







EVTHYMII MONACHI ZIGABENI

ORTHODOXAE FIDEI DOGMATICA PANOPLIA.

Hucusque latinis incognita, et nunc primum per Petrum Franciscum Zinum Veronensem e Græco translata.

Vis edoceri, quomodo contra hæreses sit differendum? lege hunc librum Priscorum patrum doctrinis conspicuum.



VENETIIS,

Apud Hieronymum Scotum.

1555

Quæ in hoc primo volumine contineantur, habes in Epiſtola ſequenti nuncupatoria.

OPTIMO ATQVE ERVDITISSIMO VERONAE PONTIFICI D. ALOISIO LIPOMANO P. FRANCISCVS ZINVS S.D.

SVMMA Dei benignitas est, & singularis erga genus humanum atque incredibilis amor, Aloisi Pontifex optime ac sapientissime, qui nos, quo felices essemus, mera bonitate adductus è nihilo procreauit. Et quia felices esse non poteramus, nisi eo frueremur, nec frui, nisi illum amaremus, nec eum amare, qui nobis incognitus esset, & cui nos esse charos non intelligeremus, omnia facit, ut se nobis & amabilissimum, & nostri amantissimum indicaret. Si quis enim tum uniuersam mundi fabricam, tum singulas eius partes contempletur, ex magnitudine, ordine, & concinnitate infinitam ipsius potentiam, sapientiamq; facilè perspiciet. Si quis consideret, in hoc ipso uniuersitatis ueluti amplissimo quodam theatro, nullum esse animal, quod eius pulchritudinem cognoscat, præter hominem, nullum, quod maiorem ex rebus omnibus utilitatem uoluptatemq; percipiat, adeò, ut omnia illius causa facta fuisse uideantur, immensam conditoris in nos beneuolentiam animaduertet. Iam si quis diuinum in homine fabricando artificium spectet, & corpus eius eo consilio, ut animo seruiat, aptè formatum, & animum sic affectum inueniet, ut miro quodam tum ueri intelligendi, tum pulchri, & boni adipiscendi studio cupiditateq; teneatur. Ex quo perspicuum fit, nec hominem nisi in Deo, qui ipsa & ueritas, & pulchritudo, & bonitas est, posse beatum conquiescere, nec Deo esse felicitate hominis optatius quicquam. Nihil autem est, quod felicitatem nobis queat adimere, nisi amorem in Deum adimat, qui sanè amor non nisi sublata cognitione Dei amitti potest, aut eripi. Itaque perpetuus Dei, atque hominum hostis Diabolus totis semper uiribus contendit, ut cognitionem hanc in animis nostris uel imminueret, uel funditus euerteret. Euerti principio tota non poterat. Recens enim mentibus impressa penitus insederat. Quamobrem operam dedit callidus aduersarius, ut illam imminueret, & paulatim labefactaret. Quod sibi successurum sperauit, si posset primis parentibus persuadere, Deum non beneuolentia, sed inuidia impulsum prohibuisse, ne arboris illius, qua boni, maliq; scientia continebatur, fructibus uescerentur. Quod enim illis interdictum fuerat, ut Deum cognoscerent, cognitumq; diligerent, atque felices essent, ipse persuasit, iccircò fuisse uetitum, ne Diis similes beatiq; forent. Qua fallacia decepti ex amœnissimo illo deliciarum loco in has miserias detrusi sunt, & ignorantiæ tenebris circunfusi tantum diuini amoris, quantum Dei cognitionis ob peccatum sibi detraxerant, amiserunt. Hic uerò magis adhuc incautos, & insidiis expositos, Deiq; formidine plenissimos adortus occasionem arripuit, qua nos diuersis rationibus impugnaret. Fingens enim calamitates nostras omnes ex inani Dei metu pendere, quo dies noctesq; discruciabamur, eo nos præcipites impellere conatus est, ut nullum esse crederemus Deum. Verùm quia paucis id poterat persuaderi, diuina illa imagine mentibus humanis insita, quæ tametsi propter peccatum infecta, non tamen prorsus erat extincta, repugnante, faciliorem illam aggressus est uiam, ut pro

uno uero'q; Deo multos, & falſos, & hominum cupiditatibus obſequentes introdu-ceret. Quæ quidem fraus ſic illi è ſententia ceſsit, ut totum propemodum orbem in-uaderet, & gentem etiam, quam ſibi Deus unam ex omnibus delegerat, corrumpe-ret, & inquinaret. Verùm cùm uerſutiſsimus hoſtis ſperaret iam ſe, quæ optauerat, perfeciſſe, nec homines poſſe perfectam amplius ueri Dei cognitionem aſſequi, tum uerò clementiſsimus hominum procreator manuum ſuarum opus miſeratus auda-ciſsimi aduerſarii dolos detexit, uim comminuit, & dominatum euertit. Miſit enim filium ſuum, qui tenebris ignorantiæ diſcuſsis ueritatis lumine mundum illuſtraret. Hic hominibus perſuaſit, Deum non eorum commodis inuidere, ſed nihil magis cu-pere, quàm ut eſſent in perpetuum feliciſsimi. Sic enim homines dilexiſſe, ut ſe fi-lium unicum daret, qui morte ſua genus humanum uindicaret in libertatem, ut om-nes, qui ſibi fidem haberent, uitam aſſequerentur beatiſsimam, ac ſempiternam. Hanc autem uitam in eo ſitam eſſe, ut ipſum uerum Deum cognoſcerent, & ſe, qui ab eo miſſus eſſet, Ieſum Chriſtum. Ad quam ueritatis cognitionem uelle omnes ho-mines peruenire. Sic igitur inimici ſerpentis caput colliſum, afflictum, & contritum eſt, nec tamen deſtitit membra, quibus pernicioſum uirus infuderat, circunuoluere, & nouas repugnandi artes excogitare. Primùm enim cœpit à ſe deficientes, & Impe-ratoris Chriſti militiam ſequentes per impios principes, & crudeles tyrannos inter-ficere. Sed cùm animaduerteret, quo plures trucidandos curabat, eo magis chri-ſtianorum militum numerum augeri, & confirmari, ad alias fraudes, & dolos ſibi confugiendum exiſtimauit. Deſperans enim tantas, tam'q; coniunctas opes externis poſſe uiribus perfringi, ſciens'q;, nullum eſſe tam amplum munitum'q; regnum, quod non domeſticis inimicitiis & ſimultatibus tandem ruat & concidat, nihil intentatum reliquit, ut inter eos diſcordiam atque diſsidium excitaret. Quamobrem uarios ho-mines ambitioſos, & arrogantes impulit, qui ſimulatione pietatis nouas, & falſas opi-niones defendentes quaſi uenena quædam in ueritatis poculo commiſcerent. Verùm Eccleſiæ ſuæ non defuit benigniſsimus Deus. Quemadmodum enim nec per malos Philoſophos, nec per tyrannos unquam permiſerat totam ſui cognitionem deleri, ita nec eam peruerti à pertinacibus rerum nouarum inuentoribus et Hæreticis paſſus eſt, ſed magnos ſemper illis uiros oppoſuit, qui diſputationibus ſcriptis'q; ſuis tanquam gladiis, & propugnaculis aduerſarios confodientes, & repellentes, ueram in Eccleſia doctrinam pietatem'q; retinuerunt ac defenderunt. Hi Chriſtianæ Reip. magnopere quidem omnes profuere, ſed præcipuè tamen Euthymius Monachus Zigabenus. qui Alexii Imperatoris iuſſu non unam, aut alteram, aut paucas Hæreſes, ut reliqui, ſed omnes, quæ ſuperioribus temporibus ad ſuam ætatem uſque debacchatæ fuerãt, aut certè plurimas, atque præcipuas inſectatus, rationem edocuit, qua poſſent om-nes labefactari, atque conuelli. Omnia enim armorum genera, quibus Chriſtianæ ueritatis propugnatores diuerſis temporibus aduerſarios proſtrauerunt, & ueritatem ipſam tutati ſunt, congregauit, & pulcherrimum quoddam ueluti armamentarium conſtituit, & adornauit, in quo & pacis tempore magna cum uoluptate licet intueri, quo genere armorum qui hoſtes deuicti ſint, & bellis ingruentibus tela ad nouos hoſtes ſuperandos depromere. Quo quidem in munere operepretium eſt, moleſtiam & prudentiam hominis admirari, qui, ut ex aliis ipſius ſcriptis facilè poteſt intelligi, cùm eſſet doctiſsimus, & marte ſuo poſſet argumentum hoc pertractare, tamen ut arrogantiam fugeret, & operi ſuo plus authoritatis conciliaret, magis'q; legentibus prodeſſet, nec fruſtra librorum numerum, qui iam, ut ætate etiam hac noſtra fieri cernimus, nimio plus excreuerat, adaugeret, nihil ferè de ſuo promens, omnia ex

proba

probatissimis scriptoribus diligentis apiculæ in morem mirabili iudicio, collegit, & excellenti ordine collocauit. Etenim cùm Ecclesia Dei, ueræq; pietatis cognitio uel ab externis hostibus impugnetur, uel ab inimicis intimis, qui ab ipsa Ecclesia defecerunt: Externi autem sint tum reliqui populi, quos sacri scriptores antiqui, uel Græcos, uel Gentes, uel Ethnicos, noui autem minus quidem latinè, sed apertè tamen & commodè rem exprimentes, paganos, aut gentiles appellant, tum ipsi Iudæi: Intimi uerò inimici sint homines seditiosi, qui uel gloriæ, uel quæstus cupiditate ducti à nobis quidem, ut Ioannes Apostolus scribit, prodierunt, sed non erant ex nobis, si enim è Christi grege fuissent, in eo utique permansissent: Quædam sunt his omnibus aduersariis communia, quædam singulorum præcipua contra nos tela. Quidam enim à nobis in omnibus ferè dissentiunt, quidam uidentur nobiscum uel paucis uel multis in rebus conuenire. Quare ne sæpius idem esset repetendum, & confusè, & sine ordine cum periculo dimicandum, uir prudentissimus sibi faciendum putauit, ut primùm aduersus eos, qui nulla propè in re nobiscum consentiunt, arma nobis subministraret, in iis duntaxat rebus, quæ sunt ipsorum propriæ. Itaque principio contra Græcos nos instruit, quorum id erat proprium, ut uel nullum esse Deum dicerent, uel plures Deos assererent, ita tamen, ut multi nullam illis esse mundi curam affirmarent. Paucissimis uerbis istos confutat. licet enim numero plures sint, quàm reliqui omnes aduersarii, & à nobis maximè discrepent, inermes tamen quodammodo sunt, facileq; uel superantur, uel cedunt, uel sese ueritatis luce perspecta nobis adiungunt. Deinde nos docet, qua ratione Iudæorum agmen hostium genus obstinatissimum propriis ipsorum armis profligetur, & concidatur. Postremo diligentissimè nos aduersus intimos hostes, & christianæ militiæ desertores armat & munit. Quod quidem agmen, & copiarum numero, & armorum genere, & pugnandi ratione est instructissimum. Numero quidem, quoniam tanquam ergastula soluentes undique cogunt auxilia. Armorum genere, pugnandiq; ratione, quia cùm à nobis desciuerint, & armis, & dimicandi rationibus utuntur iisdem, quibus nos utimur, nempe testimoniis scripturarum. Itaque periculosa admodum cum istis esset decertatio, nisi & ipsi inter se dissiderent, & ea ipsa arma, quæ in manibus nostris sunt ualidissima & acutissima, in manibus eorum uirtute spiritus spoliatis plumbea quodammodo, obtusaq; euaderent, atque inutilia. Aduersus hos igitur ferè omnes, à quibus periculum grauius impendebat, quiq; fortiores, & paratiores uidebantur, arma nobis ita comparauit, ut nos tamen prius, nostraq; communiret. Facile enim est, ueritate bene perspecta & cognita quoduis mendacium confutare. Itaque septem Titulis, sic enim huius operis partes appellat, primùm ostendit Deum esse unum tribus distinctum personis. Deinde communia quædam de Deo tradit. Tum, quia maxime Dei cognitio est, ut sciamus, naturam eius à nobis perfecte cognosci non posse, demonstrat, illam esse incomprehensam. Post de nominibus illius disputat. His enim ferè continetur quicquid de Deo uel possumus, uel nobis expedit intelligere. Ad hæc, quia gloria ipsius in eius operibus apparet clarissima, de opificio Dei, seu de rerum uniuersitatis procreatione loquitur. Denique quoniam nihil est, quod infinitam illius erga nos beneuolentiam magis indicet, q̃ quòd filium suum in mundum misit, ut homo factus homines Deos efficeret, de diuina humanæ carnis assumptione disserit. Atque his quidem titulis nihil meo quidem iudicio præclarius, nihil eruditius, nihil diuinius, iucundius, utilius legi potest. Constitutis autem iis, quæ ad ueram pietatem, religionemq; pertinent, illius reliquos aduersarios & oppugnatores expugnandi conuincendiq; rationes docet, primumq; Iudæos aggreditur.

Quibus uno titulo propriis ipsorum armis confossis ad Hæreticos profligandos, & conuincendos arma sumministrat. Tribus ergo postremis titulis Simonem Samarensem, & Marcionem Ponticum, & Manentem Persam, & Manichæos, & Sabellium, & Arium, & Eunomium superat, fugat, cædit, ac delet. Hæc priore uolumine complexus est Euthymius, altero (duo enim illum constat scripsisse) quid doceat, quoniam ad manus meas non peruenit, non habeo dicere. Verisimile tamen est, ipsum eodem ordine reliquas hæreses, quæ deinceps ad suam usque ætatem exortæ sint, refellere & coarguere. Quod quidem uolumen si poterimus inuenire, non permittemus, illud à studiosis, & piis hominibus diutius desiderari, & eas fortasse Hæreses, quæ post Euthymium sunt consecutæ, eadem ratione, qua Euthymius usus est, si tantum nobis & uitæ & uirtutis Deus suppeditabit, persequemur. Labores autem hos nostros, ALOISI PONT. OPT. & eruditissime, dicamus tibi, non quòd ex his speremus, nos ad laudes tuas quicquam additiuros. Nam id planè ineptum esset. Quid enim nomine illustrius tuo? Cuius & tam multa extant scripta, ut mirum sit, tibi ad agendum temporis spatium ullum superfuisse: Et tales ac tantæ res gestæ sunt, ut multis scribendi materiam præbuisse uideare: Et ea in tam egregia eruditione, & tam præclaris uirtutibus modestia, benignitas, comitas, ut nihil cogitari posit humanius? Nam ut conciones & reliqua monumenta tua prætercam, quis libros illos, quibus sanctorum uitas ex optimis quibusque scriptoribus tum Græcis tum latinis incredibili labore, diligentia, & sumptu colligendas curasti: & ingentia illa uolumina, quæ in sacros ueteris testamenti libros conscripsisti, speret, se uel semel posse perlegere? Quis tanta præditus est eloquētia, ut quæ uel in Lusitania, uel in Germania, missus eo Legatus à Paulo III. Pont. Max. uel postea Tridenti Legatus item in Concilio à Iulio III. Pont. Max. constitutus præclarè gesisti, ea se dicendo, scribendoúe posse putet explicare? Magna quidem fuit duorum sapientissimorum Pontificum opinio de uirtute tua, magna expectatio, sed studio, diligentia, integritate, magnam utriusque de te opinionem expectationemq; superasti. Quid commemorem ea, quæ uel Bergomi olim egisti, uel Veronæ nunc Episcopus agis? Præclarè miseris istis temporibus cum illis populis uidetur agi, quorum pastores præsentia sua proprios greges gubernant, & regunt. Beata uidetur illa ciuitas, quæ pastoris sui uel exemplo, uel oratione, uel scriptis instituitur. Nam ut aliqua ab uno eodemque hæc omnia habeat, tam magnum ac rarum est, ut id homines uix optare, aut sperare iam audeant. Quæ tamen omnia cumulatè patria mea (quo quidem ego singulari Dei Opt. Max. beneficio uehementissimè lætor, atque incredibili gaudio triumpho) abs te nunc accipit, cuius & uitæ sanctissimæ exemplo tanquam saluberrimo nutritur cibo, & eloquentissimo ex ore ueluti è uiuo, & limpidissimo, atque uberrimo fonte doctrinæ cœlestis nectar bibit, & scriptis doctissimis quasi fluctis quibusdam perennibus instructa nunquam sitis molestias extimescet. Has tam multas, & magnas animi tui pulcherrimi dotes gratiores efficit insignis liberalitas, qua cum gregem tuum uniuersum, tum inopes, & egenos in primis assiduè complecteris. Has exornat, & illustrat amabilis in omnes comitas, & mansuetudo illa singularis, qua te adeo summisse geris, adeo de te modestè sentis, ut facilè appareat, te tam egregiis uirtutibus nihil extolli, sed eas omnes Deo acceptas referre, & diuinum in omnibus illis munus agnoscere. Non igitur, quòd te ullis adminiculis ad gloriam, ad quam, licet eam nihil cures, rectissima tamen contendis uirtutum uia, putarem indigere, sed ut animum meum tui studiosissimum & amantissimum, quod mihi semper in optatis fuit, aliquo pacto declararem, monumenta hæc nomini tuo

consecraui. Quanquam ea quoque de causa tibi potissimum debentur, quòd me ad hanc prouinciam suscipiendam hortatus es, & Verona exemplari misso multum adiuuisti. Licet enim Illustriss. & Reuer. Marcellus Ceruinus Cardinalis, qua est in studiosos omnes singulari humanitate, ex Bibliotheca Vaticana mihi uetustum exẽplar accommodarit, quod multo libentius fecit, cum intelligeret, me causa tua cupere illud è greco in latinum conuertere, tuum tamen mihi multum attulit adiumẽti. Accessit huc Illustriss. & Reuer. Reginaldi Poli Cardinalis, cuius liberalitate studia mea fouentur, & sustentantur, uoluntas, qui cùm audisset ex me, te mihi mandasse, ut Dogmaticam hanc Orthodoxæ fidei Panopliam ipsi, ut eximio Ecclesiæ Catholicæ defensori, consecrarem, licet animi tui studium & beneuolentiam libenter agnosceret, & complecteretur, noluit tamen, ut consilium mutarem, iussitq; ut nomine tuo, qui tanquam unus è strenuis illis Machabæis eodem tempore Dei Ecclesiam & exemplo orationeq; communis atque confirmas, & scriptis, atque industria tua defendis aduersus eos, qui extremis istis tẽporibus, ab ea defecerunt, ornata in lucem, & manus hominum prodiret. Huiusce uiri nec authoritati scis me posse non obtemperare, cùm illi debeam omnia, persuasumq; habeam, nihil ab eo mihi præcipi, quod non sit æquissimum atque honestissimum, & tale de uirtute tua testimonium tanti te facturum existimo, ut uel ob id sperem munus hoc nostrum tibi fore gratissimum. Vale. Romæ. XIII. Cal. Aprilis. M D L III.

EVTHYMII MONACHI
ZIGABENI DOGMATICAE
PANOPLIAE

VOLVMEN PRIMVM.

OMNIA quidem Maximi, Diuiniq; gubernatoris, ac Regis nostri Alexij præclara, & illustria, atque admiranda sunt instituta, quę vel ad Reip. rectè administrandætuendæq; peritiam pertinent: vel stratagemata, militariaq; consilia, & sententias, ac præcepta complectuntur: vel acuta machinarum inuenta nihilo plerunque Palamedis Archimedisq; machinis inferiora comprehendunt: vel dicta prudenter, acuteq; magnarum gentium legatis responsa continent: vel denique, ne longior sim, cuncta illa, quibus Imperator vndique fultus, & munitus tum Remp. regere, tum ex difficultatibus sese expedire, & rebus atque temporibus accommodare vtiliter, scienterq; potest: sed hoc eius in primis laudandum, ac celebrandum est studium, atque consilium, quòd orthodoxæ fidei decreta colligenda curauit, nec quamuis tam multis mundi molestiis, innumerabilibusq; negotiis, & grauissimis occupationibus assiduè distringatur, partem hanc sibi negligendam duxit, vt ex superioribus Imperatoribus multi, quibus id satis fuit, quod plerisque vel illius, vel huiusce temporis priuatis hominibus satis est, nempe breuis fidei confessio, religionis continens elementa, quod sacrum Symbolum appellatur. At ipse cùm experimento cognitum, ac perspectum haberet, pestiferas rursum, & impias opiniones multis Romani Imperij partibus irrepsisse, ac propter longum fortasse, diuturnumq; hostium dominatum inter bonum triticum mala luxuriantis hæreticorum doctrinæ, quæ non nisi ad comburendum vtilis est, zizania fuisse sparsa ac disseminata, eaq; vt vigerent, & crescerent, turbidis sermonum riuulis ab ipsorum doctoribus irrigari, animo cõmotus, atque ob insignem eorum audaciam, atque dementiam inflammatus tanto malo sibi occurrendum, ac remedium adhibendum existimauit. Itaque cùm à publicis negotiis, grauissimisq; Reip. muneribus, & curis superesset aliquid temporis, id omne in diuinarum scripturarum voluminibus accuratè perlegendis consumebat, deq; iis cum viris eximiis, quorum egregia multitudine Regia semper referta esse solet, colloquebatur, approbatos in primis sermones colens, quorum ingenti quodam amore animus eius incensus ardebat. Ex quo factum est, vt talium sermonum consuetudine linguam exacuens tanquam ferrum ignitum aqua frigida confirmatum, atque adeò gladius vtrinque acutus ad detestabiles opiniones, atque doctrinas excindendas, vel, vt scripturæ verbis vtar,
r. 23. securis petram concidens, asperam nimirum, ac duram, atque omni sensu carentem pertinaciam impiorum euaserit. Id, quod ego testari possum, qui rem animaduerti, & annotaui, cùm ei disputanti forte fortuna bis mihi contigerit interesse. Quosdam enim secum congredientes hisce armis cominus percussit, & profligauit. Alios autem fugitantes orationis suauitate capiens, & alliciens, multamq; verbis suis patientiam, ac lenitatem immiscens ad sanitatem, & optimam frugem reducere nitebatur. Quod quidem exemplum vt post se regnaturi possint imitari, optimum iniit consilium, vt, quemadmodum illi, qui res ad militiam pertinentes comparant, eis, ac subditis eorum populis approbatorum armorum apparatum omni machinarum genere, atque instrumento bellico instructum, literarum monumentis consignatum relinqueret. Qua sanè re non sibi Pontificum munus arrogauit, sed exemplo suo Pontifices excitauit, seq; illis socium & adiutorem adiunxit. Neque verò crimini, aut vitio vertendum est, si, non solum Imperator ipse pietatis studiosissimus, sed quiuis omnino è fidelium numero, modò peritus sit, dicendiq; potestate præditus, veritatem in discrimen adductam laborantemq; tueatur, atque defendat. nisi forte qui immanem, & mortiferam aliquam feram occiderit, eo nomine in crimen vocari debet, quòd cùm non sit indigena, communi peste de medio sublata incolas, & indigenas ab eius pernicie periculoq; liberauerit. Beatorum igitur patrum recteq; fidei defensorum decretis per sapiẽtes, & peritos huius ætatis viros electis in vnumq; redactis hanc mihi prouinciam demandauit, vt eorum sententias diligenter in ordines distribuerem, & suis quasque locis aptè cõcinneq; disponerem, ac collocarem. Quamobrem cùm eius mandatis, ac iussis nefas sit aduersari, restat, vt ratione, Deoq; huius muneris duce, per quem & manus instruuntur ad pugnam, & digiti scribentes ad hæreses profligandas diriguntur, congrediamur, & manus conseramus, vel potius religionem tueri, & cum hostibus eius decertare volentibus arma comparemus adamantina, ac letalia, vereq; cœlestia, quibus qui erunt instructi, cùm lædi nequeant omnino, tum aduersarios ipsi vulnerent, prosternant, ac superent. Appellabitur autem hic liber Orthodoxæ fidei Dogmatica Panoplia, vel Decretorum armamentarium, vt cùm pugnandi tẽpus aduenerit, oporteritq;, spiritales propugnatores armari, eo patefacto armis bello pro tempore congruentibus instruantur. Hoc enim varia telorum, armorumq: genera ad omnia bella gerenda, conficiẽdaq; abundè sumministrabit. Cęterùm, cùm duplex sit, quemadmodum tradit Gregorius Theologus, orationis genus, vnum quo nostra defendimus, alterum, quo res aduersariorum oppugnamus, sic item nos agemus, vt nostris prius expositis, ac constitutis, tum demum aliena, atque hostilia profligemus. Vtrunque autem præstabimus, vt dictum est, auxilio muniti patrum sapientissimorum, qui ante nos pro veritate fidei dimicarunt, scriptaq; sua, vt firma aduersus varios hostium impetus præsidia, & fortitudinis exempla nobis hæreditaria reli-

querunt. Exponentur autem ſeruato temporum ordine aliorum ſententiæ, tanquam in malorum explicatione prauas hæreſes ita recenſentes, vt ſtatim ſequantur earum confutationes, & qui in ſingulis euertendis optimè ſe geſſerũt, ſcriptiſq; ſuis eas oppugnarunt, & transfixerunt. Antiquiores quidem vetuſtateq; iam aboletas, atque conſumptas prætermiſimus, inſigniores verò, & quarum licet extincta ſit flamma, carbones tamen eccleſiam lædunt, nobis, vt ſignum, petendas, ſagittiſq; configendas propoſuimus. Ac ſiquæ præterea ex iis exciſis, vt ſtolones quidam relicti, interim pullularunt, eas quoque deiiciendas opprimendasq; curauimus. Verùm vndénam huiuſce operis exordium nobis ducendum eſt, niſi ex illis verbis, vnde Magnus ille in Theologia Gregorius exorditur, tres, inquiẽs, de Deo ſententiæ ſunt, vna eorum, qui nullius, altera, qui multorum, tertia, qui vnius aſſerunt imperio mundum gubernari? Priores duæ pueriles ſunt, & à græcis inuentæ. Quare vt pueriles contemnantur. Nam & quod imperio caret, confuſum eſt: & quod multorum regitur imperio, ſeditioſum, & iccircò etiam imperio vacans, atque ideo confuſum. Itaque ambæ ſententiæ in confuſionem incurrunt. confuſionem porrò ſequitur euerſio, ac diſſolutio. Quid enim aliud eſt, confuſum eſſe, atque ordine vacare, niſi ad exitium perniciemq; contendere? Proinde nobis tertia illa ſententia comprobatur, qua vnius aſſeritur Imperio ac principatu cuncta regi, atque adminiſtrari. Vnius autem principatum intelligo, non quem vna perſona circunſcribit. Et quæ deinceps ſequuntur. Reliquum eſt igitur, vt pauca coniuncteq; dicamus tum contra impios Epicureos, qui à nullo, tum aduerſus alios Græcos, qui à multis affirmant mundum gubernari, dupliciq;, & contrario iſtorum errore breuiter confutato, atque conuicto ad noſtra veniamus. Reliqui græci partim ſolem, partim lunam, partim multitudinem ſtellarum, non nulli vna cum his cœlum ipſum, quorum qualitate motus, & quantitate, agere tradunt orbem vniuerſum, quidam elementa, terram, aquam, aëra, ignem propter vtilitatem, cùm ſine his vita humana degi non poſsit, alij verò aliquid eorum, quæ cernuntur, venerati ſunt, & quæ pulcherrima fuerant conſpicati, vt numina coluerunt. At Epicurus Deo prouidentiaq; reiecta caſum, & atomos introduxit. Multis autem modis atomus intelligitur. Nam & id ſignificat, quod cum difficultate ſecari poteſt, vt adamas: & quod nullam ſectionem admittit, vt id, quod vacat corpore, & quod à Philoſophis indiuiduum ſingulareq; dicitur, quod ſecari quidem poteſt, ſectum tamen corrumpitur, vt exempli gratia, Socrates. Etenim ſi ſecetur in caput, & manus, & ventrem, & pedes, non erit amplius Socrates. Atomum denique dicunt, quæ propter exiguitatem diuidi nequit, vt punctum apud Geometras, vnitas apud Arithmeticos, & momentum apud Philoſophos naturales. Tales atomi tum in aëre ſolis radiis illuſtrato apparent, tum è ſolo pauimentoq; tolluntur, Quæ ramenta quædam terreſtria videntur, ipſo etiam puluere tenuiora. Ex his omnia componi, & conſiſtere affirmat Epicurus cùm per reſolutionem a magnis corporibus diſcedens nihil ſimplicius, ſubtiliuſq; reperiat.

CONTRA EPICVREOS.

Magni Gregorii Theologi ex Oratione. II. de Theologia.

QVòd Deus ſit, quodque idem rerum ſit omnium cauſa effectrix, & conſeruatrix, cum oculi nos docent ipſi, tum lex naturalis. Oculi dum illos ad res, quę pręclarè compactæ ſunt, & ordine incedunt, immobiliq;, vt ita dicam, ratione motæ feruntur, contemplandas conuertimus. Naturæ lex, dum ex ipſo rerum, quas cernimus & contemplamur, ordine, earum authorem moderatoremq; colligimus. Quomodo enim orbis aut conſtitiſſet, aut permaneret, niſi cuncta Deus & effeciſſet, & conſeruaret? Ac, quemadmodum ſi quis citharæ pulcherrimè elaboratæ concinnitatem & compoſitionem intueatur, aut eiuſdem concentum exaudiat, ipſius citharæ opificem & moderatorem conſiderabit, ad eumq; ſtatim cogitatione rapietur, licet ipſum fortaſſe nunquam aſpexerit: ita nobis eorum, quæ facta ſunt, author, & conſeruator, & motor eſt manifeſtus, quamuis animo non comprehendatur. Quòd ſiquis non ad hæc vſque vltrò progrediatur, vt naturalibus demonſtrationibus acquieſcat, is ſanę quã improbus, ac ſtultus eſt.

In eoſdem ex eadem oratione.

NOS autem, qui Dei ſtudio tenemur, nec adduci poſſumus, vt mundũ ſine Principe & gubernatore credamus eſſe, ratione ipſa huc impellimur, vt ea, quæ ſenſibus ſunt expoſita, contemplemur, in iiſq; ab initio repetendis & explorandis immoremur. Verùm quia non eſt conſentaneum, vt illi eorum, quæ, quantum ad ſenſum pertinet, eundem obtinent honoris gradum, detur principatus, eadem ratione duce ſupra conſcendimus, atq; ita tandem ad eum peruenimus, per quẽ, hæc ipſa, vt ſint habent. ſic enim ipſi nobiſcum: Quis cœleſtibus, terreſtribuſq; rebus, & iis, quæ in aëre, & aqua verſantur, præſcripſit hunc ordinem? Immo verò quis ea, quæ antiquiora ſunt, nempe cœlum & terram, & aërem, & aquæ naturam conſtituit? Quis ea diſiunxit? per quem mutua inter hæc ſocietas, conſenſus, & conſpiratio? Ego enim virum illum, tametſi alienus eſt, laudo, qui, hæc, inquit, ecquis mouet, perpetuoq; ac nunquam ceſſante progreſſu circum agit? Nónne eorum author atque opifex qui rationem illis inſeruit, qua vnumquodque fertur atque dirigitur? Quis porrò eorum author atque opifex, nónne is, qui ea fabricatus eſt, &, vt eſſent, perfecit? Neque enim in caſu tantam eſſe facultatem concedendum eſt, vt cauſam eorum fateamur extitiſſe. Quòd ſi id conceſſerimus, num etiam pulcherrimi huiuſce rerum ordinis erit cauſa? Sed demus id quoque, ſi videtur. Vt eadem autem ratione, qua principio rerum vniuerſitas conſtitit, conſeruetur, nónne ad aliud, q̃ ad caſum referendũ eſt? ad aliud profectò. Ecquid autem erit iſtuc aliud? nihil ſanè, niſi Deus.

In eoſdem Gregorii Nyſſæ Pontificis ex libro, qui inſcribitur de cognitione Dei.

QVòd ſi ex ſimplicium elementorum terræ, aquæ, aëris, ignis permixtione, aut ex corpuſculis indiuiduis omnia, quæ in mundo ſunt, conſtent, vt aſſerit Epicurus, quod genitum eſt non genito, quodq; factum effectore ſine vlla dubitatione tanto præſtantius atque præclarius deprehẽdetur, quanto ſimplicibus elementis & corpuſculis illis, quas atomos dicunt, homo præcellit. Præterea quomodo quæ natura inter ſe contraria ſunt, aut ſine detrimento ad vnius orbis perfectionem concurrerunt: aut ſine conſilio rationeq; conuenire inter ſe & congruere potuerunt; aut homini rationem inſerere, qua ipſa carent

carent omnino, quippe quæ animi ac sensus expertia sint? Quid? nónne oportebat, cui naturæ suæ plurimum tribuissent, qualis est elephas, aut si quod animal elephante maius est, id minoribus animalibus, vt ducem, regemq́;, præstare? Nunc autem homo elephante corporis magnitudine ac robore multis partibus inferior imperat illi propter rationem, qua ab opifice suo planè ditatus est. Iã qui fieri potest, vt ex iis, quę casu temereq́; feruntur, consistant ea, quæ ordine constituta sunt?

Contra reliquos Græcos magni Gregorii Theologi ex oratione in sacra lumina.

NON solùm enim id graue fuit, quòd qui facti sunt, vt rectè viuerent, effectorisq́; sui laudem & gloriam quærerent, & Deum, quoad fieri posset, imitarentur, vitiorum omnium interiorem hominem male depascentium & corrumpentium euaserunt receptaculum, sed etiam quòd Deos sibi vitiis suis fauentes opitulantesq́; confinxerunt, vt peccare non solum liceret impunè, verumetiam laudabile diuinumq́; videretur, quod Deorum suorum exemplo fieret.

In eosdem ex eadem oratione.

VT si à pietate declinarent omnino, & à vero Dei cultu recederent, ad simulachra, & artis opera, manuum figmenta ducerentur. Quid enim illis inimici eorũ, si saperent, grauius possent imprecari, quàm vt Deos eiusmodi colerent, & adorarent, quo religione sua dignam, vt Paulus ait, mercedem perciperent, non magis honore

om. 1. eos afficientes, quàm ex eorum cultu ignominiam reportantes, contemnendi propter errorem, sed magis etiam aspernandi propter sordes & dedecus illorum, quos venerantur & colunt, vt simulachris ipsis stupidiores esse videantur, tantoq́; demẽtiores, quanto viliora, abiectioraq́; sunt eorum numina.

In eosdem ex oratione de Theologia.

CRuore, & nidore, & turpibus etiam factis nonnunquam, furoreq́;, & mactandis hominibus Deos colendos existimarunt. Talem enim esse eiusmodi Deorum cultum oportebat.

In eosdem ex oratione in sancta lumina.

TEnebricosa Dæmonum inuenta, figmentaq́; mentis insanæ atque infelicis, tempore confirmata, fabulisq́; contecta. Quæ enim vt vera colunt, ea cælant tanquam fictitia. Aequius autem erat, si vera essent, fabulas non appellare. Sin fictitia, non admirari. Neque ita temere contrarias de eadem re opiniones suscipere, non aliter, ac si in foro cum pueris colluderent, non autem cum viris sapientibus & ratione Deum colentibus disputarent, qui artificiosa ista, ac sordida ipsorum figmenta contẽnunt atque despiciunt. Verùm quoniam aliena confutauimus, age nostra cõstituamus, & confirmemus.

TITVLVS PRIMVS

Ratiocinatio, qua Deus vnus esse, eiusdemque naturæ verbum, ac spiritum item, nempe filium, & spiritum sanctum habere demonstratur. Ex oratione Gregorii Nissæ Pontificis quæ catechetica inscribitur.

QVANDO cum aliquo eorum, qui Græcorum opinionibus fauent, instituitur disputatio, commodum est, vt initio disputationis interrogetur, vtrum Deum esse fateatur, an neget. Si negabit, ex ratione sapientiaq́;, quę in mũdi moderatione viget, cogetur confiteri, vim quandam indicari, quæ rebus omnibus pręsit. Quodsi esse quidem non dubitabit, sed multos tamen esse putabit Deos, ita deinceps cum illo agemus: Existimétne perfectum esse numen, an imperfectum: eoq́; perfectionem, vt par est, tribuente diuinæ naturæ, rursum rogabimus, num omnibus illis rationibus, quæ in diuinitate cernuntur, perfectum dicat, ne ex contrariis, perfectoq́;, & imperfecto constet. Quo itẽ concesso, non erit difficile aduersarij animum Deorum multitudine distractum adducere, vt diuinitatem vnam esse fateatur. Nam si perfectum omnibus partibus dabit, multaq́; eodem pacto perfecta dicet, necesse erit, vt in iis, quæ nulla ratione discrepabũt, sed eadem prorsus videbuntur, aut proprium aliquid ostendatur, aut si proprij nihil apparuerit, nullam animus differentiam poterit cogitare. Etenim si nec ea re discrimen comprehendetur, quòd maiora minoraúe sint, quoniam perfectionis ratio non admittit, vt minor sit: nec quòd deteriora sint, aut pręstantiora, quia diuinitas non cadit in id, quòd deterius appellari potest: nec quòd antiquiora, recentioraúe sint, quandoquidem id, quod semper non est, ab eo quod numen ac Deum esse, mens concipit, abest: cum vna, eademque sit diuinitatis ratio, nullaq́; in ea verè proprietas reperiatur, necessarium est, vt qui opinionis errore multos sibi Deos fingebat, vnam diuinitatem esse fateatur. Nam si bonum, & iustum, & sapiens, & potens, & incorruptum, & æternum, & reliquæ omnes piæ notiones ita congregentur, vt omnis omnino tollatur differentia, his omnibus in vno eodemque conclusis necessario aufertur Deorum multitudo. Verùm quia religionis veritas quandam personarum differentiam perspicit in vnitate naturæ, ne dum Græcos impugnamus, in Iudæorum labamur errorem, non alienum est, vt eum quoque artificiosa quadam distinctione confutemus & refellamus. Nec illi quidem, qui à nostra religione abhorrent, numen rationis expers constituunt, hoc autem nobis concessum satis est ad id, quod volumus, comprobandum. Qui enim Deum non esse rationis expertem confitetur, is eũ habere rationem cõcedit. Atqui eodem nomine dicitur etiam humana ratio. Quare si quis ad rationis nostræ similitudinem Dei rõnem cogitabit, mox ad notionem sublimiorem perducetur. Necesse.n.est, vt eodem modo ratio seu orõ congruat naturæ, quo reliqua item oĩa conueniunt. Nam licet in hoĩe vita, & potentia, & sapientia cernatur, non tñ ob noĩum similitudinem eandem in Deo vitã, aut potentiam, aut sapientiã dices, sed pro humili naturæ nostrę cõditione demittentur & extenuabunť harum vocum sigñationes. Etenim quoniam mortalis & imbecilla est natura nostra,

iccirco & vita breuis est, & potentia infirma, & ratio, siue oratio incerta. At quicquid de supremæ illius naturæ magnitudine dicitur, id magnum, eiq; congruens est. Proinde cùm Dei ratio, siue oratio, verbumue dicimus, id non intelligimus tale, vt, quemadmodum in nobis fit, ad loquentis impetum consistat, & ad nihilum tendat, sed vt natura nostra, cùm sit mortalis, mortale quoque verbum habet, sic immortalis semperq; consistens natura verbum habet immortale, ac sempiternum. Iam si ex his conficitur Dei verbum semper constare, necesse est, illud in vita consistere confiteri. Neque enim consentaneum est, ipsum lapidum instar inanimum arbitrari. Sed si est, cùm intelligens sit, & incorporeum, viuit omnino. Nam si absit à vita, neutiquam consistit. At dicere Dei verbum non consistere, impium est, vt declarauimus, ex quo sequitur, vt hoc verbum in vita spectetur. Eius autem natura cùm simplex sit, nec duplicitatem, aut compositionem vllam admittat, nemo illud sic in vita esse cogitabit, quasi naturæ sit particeps. Nam eiusmodi cogitatio à compositione non abesset, quippe quæ rem vnam in alia constitueret. Itaque verbi simplicitate concessa, necesse est, illud non vitæ particeps, sed ipsam esse vitam confiteri. Quòd si viuit verbum, atque adeò est ipsa vita, nimirum & propositi, ac voluntatis habet facultatem. Nihil enim in eorum, quæ viuunt, est numero, quod hac careat facultate. Existimandum est autem propositum ac voluntatem eius fieri posse. Siquis enim id, quod fieri potest, non concesserit, id, quod fieri nequit, nunquam inueniet. At cùm de Deo cogitamus, quod fieri non potest, procul ab illo remouemus. Nihil enim dissentaneum in naturam diuinam cadit. Porrò tantam necesse est verbi potestatem confiteri, quantum eius est propositum voluntatis, nequa contrariorum permixtio in eo, quod simplex est, reperiatur, idq; quod fieri nequit, & quod fieri potest in eodem proposito appareant, siquidem aliud efficere valet, aliud non valet. Cæterùm cùm omnia verbi proposito perfici posint, ad nihil tamen, quod malum sit, efficiendum mouetur. Nam diuinæ naturæ motus à malo alienus est. Quicquid autem bonum est, id etiam vult, quod aũt vult, & planè potest. Quod verò potest, infectum non sinit, sed quæcunque bona sibi proponit, ea perficit. Mundus autem, mundiq; partes omnes, quæ sapienter artificioseq; factæ cernuntur, sunt bonæ. Itaque viuentis quidem ac subsistentis verbi sunt opera, quoniam Dei verbum est. Consilio autem proponentis atque deliberantis, quoniam viuit, valentisq; ad exitum perducere, quicquid proposuerit, atq; decreuerit, sed nihil tamen decernentis, nisi quod bonum, ac sapiens sit, aut siquid aliud meliore aliqua significatione declaratur. Quamobrem quia bonum esse mundum ostendimus, verbiq;, quod bonum ante decernit, decretumq; potest efficere, mundum esse opus indicauimus, perspicuum est, verbum hoc aliud ab eo esse, cuius est verbum. Est enim & hoc quodammodo vnum ex iis, quæ cum aliquo conferuntur. Siquidem audito verbo, verbi quoque parens intelligatur, necesse est. Neque enim verbum esset, nisi alicuius esset verbum. Cùm igitur auditores cogitatione distinguant verbum ab eo, cuius est verbum, non amplius mysterium nobis in periculo versatur, nedum Græcorum opiniones refellimus, videamur Iudæorum sententiam approbantibus assentiri. Nã quemadmodum in nobis dicimus verbum à mente proficisci, neque idem omnino esse, quod est mens, nec ab illa prorsus diuersum: etenim quatenus ab illa prouenit, aliud quiddam quam ipsa est: quatenus autem mentem perspicuam facit, & explicat, non aliud iam ab ea diuersum cogitatur, sed natura vnum, subiecto tantum differens: sic etiam Dei verbum, quatenus per se subsistit, ab eo distinguitur, vnde, vt subsistat, habet: quatenus autem ea declarat in seipso, quæ cernuntur in Deo, idem est natura cum ipso, in quo eadem indicia, & notæ reperiuntur. Nam siue bonitatem, siue potentiam, siue sapientiam, siue æternitatem, siue malitiæ, mortis, & corruptionis vacuitatẽ, siue aliquod aliud eiusmodi signum constituas, quo pater ipse comprehendatur, eodem signo & verbum, quod ex illo subsistit, inueneris. Ac quemadmodum hisce gradibus ascendentes ex nostra supremam illam naturam cognouimus, sic vmbris, ac simulachris quibusdam potestatis illius, quæ verbis explicari non potest, in natura nostra conspectis ad spiritus cognitionem accedimus. Quãquam spiritus, qui in nobis est, ex aliena re ducitur, nempe ex aëre, qui ad corporis constitutionem necessario hauritur, & effunditur, &, cùm verbum pronunciatur, fit vox, quæ verbi potestatem in seipsa declarat. In diuina verò natura etsi pium est, Dei spiritum cogitare, quemadmodum & Dei verbum esse concessum est, ne verbo nostro Dei verbum inferius sit, si nostrum cum spiritu, illud sine spiritu esse credatur, non tamen consentaneum est, Deoq; dignum, arbitrari, alienum quiddam, vt in spiritu nostro contingit, in Deum extrinsecus influere, in ipsoq; spiritum effici. Sed sicut Dei verbum audientes, non cogitamus illud eiusmodi, quod per se non subsistat, aut quod doctrina ingeneretur, vocéue proferatur, aut dissoluatur posteaquam pronuntiatum est, aut cui denique aliquid eorum eueniat, quæ verbo nostro videmus accidere, sed natura subsistens, & liberum, & efficax, & omnipotens: eodem modo cùm Dei spiritum, qui verbo testimonium affert, eiusque vim perspicuam reddit, intelligimus, non anhelitus spiritum cogitamus: nimis enim abiiceretur diuinæ potestatis magnitudo, si spiritus eius nostro similis putaretur: Sed cum in se subsistentem quæ in propria natura perspicitur, quæque nec à Deo, in quo est, nec à Dei verbo, cui testimonium tribuit, separari potest, aut in nihilum redigi, sed ad verbi Dei similitudinem, per se subsistit, & libera est, & per se mouetur, & efficax est, & semper bonum vult, & eius voluntati statim perficiendi potestas adest. Quamobrem qui diligenter profundum mysterium contemplatur, in animi arcano mediocrem quandam diuinæ cognitionis doctrinam comprehendit, sed eam tamen mysterij altitudinem oratione declarare non potest: quomodo eadem res numerabilis sit, nec tamen enumerationem admittat: cernatur diuisa, & simul intelligatur: Personis distincta sit, & natura non separetur. Alia nãque persona spiritus est, alia verbum, alia is, cuius & verbum est, & spiritus. Sed cùm horum distinctionem cogitaueris, naturæ vnitas nullam admittet diuisionem, ne vel principatus & imperij robur confringatur in diuersas dissectum diuinitates, vel Iudaica opinio comprobetur, sed media inter vtranque opinionem veritas incedens sic ambas hæreses tollat, vt ab vtraque tamen sumat, quod vtile est. Nam & Iudæorum profligat opinionem, dum & verbum suscipit, & spiritum credit: & Græcorum errores delet, dum naturæ statuit vnitatem, qua plurium confictio perimitur & aboletur. Rursum autem ex Iudaica sententia naturæ vnitatem admittit, ex Græcorum verò opinione solam personarum distinctionem. Atque ita vtrunque impietatis morbum curat. Etenim sicut eorum qui circa vnum peccant, medicina est numerus Trinitatis, sic

vnitatis ratio medicamentum illorum, qui distrahunt in plura.

Eisdem de rebus Damasceni ratiocinatio, qua Deum esse demonstrat.

QVicquid est, aut creatum est, aut non creatum. Quod autem creatū est, ab alio creatum est omnino. Quod verò non est creatum, id creauit ea quæ creata sunt. Hoc autem quid aliud erit, nisi Deus? Quis ergo res omnes, præter Deum, quæ vel ratione, vel sensu comprehenduntur, creatas esse non confitebitur? Quòd si creatæ sunt, sunt etiam mutabiles. Quæ enim mutatione, vt essent, assecuta sunt, ea profectò aut mutationi sunt obnoxia, & corrumpi queunt, Qualia sunt, quæ mundo continentur: aut voluntate possunt ita commutari, vt vel honesta, et bona, vel quæ his contraria sunt, complectantur, quales sunt Angeli, & animi. At Deus, qui creatus non est, prorsus est immutabilis. Quorum enim essentia diuersa est, eorum & essentiæ ratio contraria. Iam non solùm res ipsæ, quas pro creatas conspicimus, procreatorem & opificem prædicāt suum, verum etiam earum ordo, concentus, & conseruatio. Quomodo enim contrariæ elementorum naturæ ad vnius orbis perfectionem conuenissent, nisi quis eas conciliasset, & coniunxisset, & contineret? Aut quomodo præscriptum sibi ab initio ordinem, nisi aliquis esset eorum rector ac moderator, tuerentur, & conseruarent?

Eiusdem ratiocinatio, qua Deum vnum esse demonstrat.

DEus in omnibus perfectus est. Quòd si plures dixerimus Deos esse, necesse erit, discrimen aliquod in illis perspici. Nam si nulla in eis est differentia, non sunt plures, sed vnus potius. Sin differentia inter illos intercedit, qui in omnibus perfectus est, is solus est Deus. Qui verò vel bonitatis, vel potentiæ, vel sapientiæ, vel aliqua alia perfectione caret, is Deus esse non potest. Præterea, si plures sunt, qui fieri poterit, vt non circunscribantur, cùm vbi vnus est, alter esse nō queat, qui autem Deus est, is nec circunscribatur, & omnia tum impleat, tum complectatur, & comprehendat? Ad hæc quònam pacto constituatur mundus, & gubernetur, cùm ea sit differentiæ natura, vt pariat dissensionem?

Eiusdem ratiocinatio, quà verbum, & filium esse declarat.

DEus, cum perfectus sit, ratione, seu verbo nō caret. Verbum autem eius non est eius modi, vt per se nō consistat, aut esse cœperit, aut finem vnquam sit habiturum. Nunquam enim fuit sine verbo, sed cùm semper sit, semper etiam verbum suum habet, ex se genitum, & in se manens, & viuens, & perfectum, non autem tale, quale nostrum est verbum. Quorum enim natura diuersa est, eorum & verbum est diuersum. Quemadmodum autem verbum nostrum a mente gignitur, nec idem est omnino, quod ipsa mens, nec planè diuersum. Nā cùm à mente proficiscatur, aliud est, q̃ mens, & cùm mentem ipsam indicat, non est prorsus ab illa diuersum, sed cùm sit vnum natura, aliud tamen subiecto est. Sic & Dei verbum, qui filius est, quatenus propria subsistit persona, ab eo distinguitur, à quo genitum est. Quatenus autem illa in se exprimit, quæ cernuntur in Deo, vnum natura cum illo est.

Eiusdem ratiocinatio, qua spiritum sanctum esse probat.

OPortet, vt verbum habeat spiritum, cuius testimonio declaretur, & actio ipsius ostendatur. Quādo nec verbum nostrum spiritu vacat, qui in ipsa pronuntiatione verbi nostri vox efficitur, qua vis illius declaratur. Verum in nobis spiritus hic ab essentia nostra alienus est, cùm sit influens, & effluens quidam aer. In Deo autē quemadmodum verbum non ad verbi nostri similitudinem, sed per essentiam subsistit, & eandem, quam pater naturam habet, sic & spiritus sanctus per essentiam subsistit, & ex patre procedens, & in ipso existens, & Verbo, ac filio testimonium reddens, eumq; significans, vnam, & eandē cum ipsis naturam habet.

Eiusdem admirabilis per exempla ratiocinatio, qua patrem, & filium, & spiritum sanctum esse demonstrat.

QVemadmodum Solis radius, & lux sic ad nos vsq; perueniunt, vt nec à sole discedant, nec a mutua inter se coniunctione separentur: Sic & filius, & Spiritus sanctus ad nos vsque descendunt, & nostram salutem curant, vt nec à patre, nec à se vicissim disiungantur. Et quemadmodum in illis lux radium comitatur, & nobis per radium tribuitur, Sic & Spiritus sanctus filium comitans per filium dignis communicatur. Insufflauit enim vt Ioan. 20.
scriptum est, dixit: Accipite Spiritum Sanctum. Atq; vt in illis lux & solis & radii dicitur: sic & in his tum patris, tum filii, seu Christi Spiritus dicitur.

TITVLVS SECVNDVS

De patre, & filio, & spiritu sancto, distincta simul atque coniuncta Diuinitatis ratio.

Dionysij Areopagitæ ex capite de vnita, distinctaq; Theologia.

PATREM quidem esse fontem, vt ita dixerim Diuinitatis, filium autē, & spiritum fœcundæ Diuinitatis, si ita dicendum est, germina diuinitus pullulantia, & flores quodammodo, & essentia præstantiora lumina ex sacris libris accepimus, sed quónam pacto hæc sint nec eloqui possumus, nec intelligere.

Ex primo capite libri de diuinis nominibus.

QVamobrem in omni ferè Theologica disputatione summam diuinitatem sancte celebratam cernimus, tum vt monadem, & vnitatem, ꝑpter simplicitatem, vnitatemq; impartibilitatis ipsius naturam ex

ſuperantis, ex qua tanquam vnifica poteſtate vnum effici-mur, diuiduiſq; noſtri diuerſitatibus ſupra mũdanum modum copulatis in monadem deiformem, unionemq; Deũ imitantem colligimur: tum aut Trinitatem propter fœcunditatis eſſentiam ſuperantis in tribus perſonis expreſsionem, ex qua in cœlo & in terra paternitas omnis exiſtit & nominatur. Ipſa, quæ & ſuper omnia Diuinitas, quæq; vt vnitas & trinitas celebratur, nec vnitas, nec trinitas eſt aut à nobis, aut ab vllo cognita. Sed, vt vnitatem ipſius vnitate ſuperiorem, fœcunditatemq; deificam verè laudemus, Diuinitatem, quæ eſt ſuper omne nomen & in ipſis rebus eſſentia præſtãtior, diuina trinitatis, & vnitatis appellatione nominamus. Cæterum nulla monas, aut trinitas, nullus numerus, aut vnitas, aut fœcunditas, aut aliud quicquam exiſtentium, vllive cognitum aperit arcanum illud Diuinitatis diuinitate ſuperioris, & modo eſſentia præſtantiore excedentis, quod omnem & orationem, & intelligentiam ſuperat. Neq; verò ipſius vllum eſt nomen, nec ſermo, ſed in ipſo eminet in acceſſo. (Ephe. 3.)

Ex capite tertio de myſtica Theologia.

IN eo libro, quem de theologicis inſtitutionibus inſcripſimus, quæ ſint affirmãtis theologiæ præcipua declarauimus: quomodo diuina bonaq; natura vna dicatur, & trina, quæ in ipſa Patris, quæ Filii notio, quid ſignificet ſpiritus ſancti theologia. Qua ratione ex incorporeo, indiuiduoq; bono intima bonitatis lumina pullulent, & à coæterna cũ ipſa pullulatione in ipſo, & in ſe ipſis, & inter ſe manſione ſic exeant, vt ab ea nunquam diſcedant.

Ex ſecundo capite de unita diſtinctaq; theologia.

IN vnione diuina ſiue natura illa eſſentiam ſuperante coniuncta quidem ſunt & communia vnicæ principaliq; trinitati exiſtentia eſſentiam ſuperans, diuinitas diuinitate ſupior, bonitas bonitate præſtãtior, eadẽ ratio totius ꝓprietatis oĩa ſuperantis oĩa ſuperans, vnitas principio excellentior, ineffabile, qđ multis vocibus enuntiatur, ignoratio quæ paſsim intelligitur, oĩum poſitio, oĩum ablatio, excellentia omnem poſitionem ablationemq; ſuperans, Perſonarum ratione principii dominantium, ſi dicere ita licet, mutua inter ſe manſio, atq; ſedes ſupra modum vnita, nullaq; ex parte confuſa, quemadmodum lumina lãpadum, vt ſenſui expoſitis & propriis vtamur exemplis, in domo vna cùm ſint, & tota in totis mutuo ſunt, & puram abſolutamq; inter ſe propriè ſubſiſtentem habent diſtinctionem, diſcretione quidem coniuncta, & vnione rurſum inter ſe diſcreta. In ipſa quidem domo cùm lampades accenſæ ſunt multæ, videmus omnium lumina ad vnum quoddã coniuncta lumen, vnumq; ſplendorem indiuiduum præſerentia. Neq; poſſet, vt arbitror, aliquis lampadis huius lumen ab aliis ex aere cuncta lumina continente ſecernere, & vnum ab altero ſeiunctum intueri, cùm tota in totis ſine miſtione ſint inſerta. Quòd ſi quis lampadem vnam è medio tollat, proprium eius lumen totum abeuntem lampadem comitabitur, nec aliorum luminum quicquã ſecũ trahens, neq; ex ſuo cæteris aliquid linquens. Erat enim, vt diximus, illic perfecta totorum cum totis coniunctio nec vllo modo mixta, neq; vlla ex parte confuſa. Et hæc quidẽ ita ſe habent, quãuis lumen ſit in corpore aere, & ex materia nempe igne dependeat. Vnionem verò illam eſſentia ſuperiorem tranſcendere dicimus non vniones tantum, quæ fiunt in corpore, ſed illas etiam, quæ in animis conficiuntur, immò eas quoque, quæ efficiuntur in mentibus, quas quidem tota illa diuina & ſuper cœleſtia lumina, per tota, ratione plus quàm mundana ſyncerè admodum poſſident, communione quadam vnitatis illius omnibus antecellentis & vnicuiq; pro cuiuſq; modo ſe ipſam impartientis. Eſt autem diſcretio in ſuprema theologia, non ſolùm, quam modò dicebam, quia in ipſa vnitate diuina ſingulæ dominantes perſonæ puram & impermixtam ſibi ſeruant proprietatem, ſed etiam quoniã quæ in illa diuina & eſſentiam ſuperante generatione ſunt, vicisſim non conuertuntur. Solus enim fons eſſentiam ſuperãtis Diuinitatis eſt pater, neque pater eſt filius, neq; filius eſt pater. Itaque ſacri hymni ſua vnicuique diuinarum perſonarum piè ſanctèq; conſeruant.

Ex eodem capite.

NVllus bonus, niſi vnus Deus. Illud & alibi a nobis expenſum, ac demonſtratum eſt, omnes ſemper denominationes Deo dignas non per partes, ſed in tota, perfecta, integra, & plena diuinitate in ſanctis libris celebrari, & omnes ipſas indiuiduè, abſolutè, præter omnem diſcriminis obſeruantiam, integra ratione vniuerſæ integritati perfectæ & totius diuinitatis attribui. Iam verò, quemadmodum in theologicis inſtitutionibus admonuimus, niſi quis hoc de tota diuinitate dictũ confiteatur ſcindere audet temeritate nefanda vnitatem ipſam ſuper vnitam. Dicendum igitur, de tota Diuinitate accipi oportere verbum hoc ipſum, natura bonũ. Atq; aliquis ex prophetis diuinitus afflatis canit: ſpiritus bonus. Huc tendit & illud: ego ſum, qui ſum. Quod niſi de tota dictum diuinitate conſentiant, ſed vni tantum parti conentur aſcribere, quónam modo illud accipient: Hæc ait, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, qui eſt omnipotens: item illud: tu autẽ idem ipſe es. Nec non & illud: Spiritus veritatis, qui eſt, qui à patre procedit. Atqui niſi totam Diuinitatem eſſe vitam dicant, atque viuificam, quónam modo verum eſt id, quod Verbum ſacrum, ait: Quemadmodum, inquiens, pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult viuificat. Iam verò ꝙ tota diuinitas habeat omnium dominatum, perſpicuè patet. Ac de fœcunda quidem patris diuinitate, vel de diuinitate filii, non facile narratu eſt, vt arbitror, ꝗ multis theologiæ locis de patre, & filio dicatur, Dominus. Verùm & ſpiritus Dominus eſt. (Matt. / Pſal. / Exo. / Apoc. / Pſal. / Ioan. / Ioan.)

De patre item, & filio, & ſpiritu ſancto diſtinctam ſimul atq; coniunctam eſſe Diuinitatis rationem, & quæ dicunt diuinæ ſcripturæ de patre, eadem ſimiliter illas & de filio, & de ſpiritu ſancto dicere, unicam in tribus Diuinitatem oſtendentes. Magni Athanaſii.

QVæ pater ait apud Eſaiam, ea Ioannes filiũ dixiſſe aſſerit. Paulus autem eadem ipſa ſpiritui ſancto in Apoſtolorum actis aſcribit. Sic enim apud Eſaiam ſcriptum legimus: Vidi Dominum ſedentem in ſolio excelſo & eleuato, & plena domus gloria eius, & ſeraphim ſtabant in circuitu eius. Sex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duabus quidem velabant faciem ſuam, duabus verò tegebant pedes, & duabus volabant & clamabant alter ad alterum, (Eſa. 6.)

& dicebant, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth.
plena est omnis terra gloria eius. & idem paulo post. Et au
diui vocem Domini dicentis quem mittam, & quis ibit ad
populum istum? Et dixi, ecce ego, mitte me. Et dixit, vade
& dic populo huic, auditu audietis & non intelligetis, & vi
dentes videbitis, & non perspicietis. Crassum enim est ef-
fectum cor populi huius. Auribus grauiter audierunt, &
oculos suos clauserunt, ne quando oculis videãt & auri-
bus audiant, & corde intelligant, & conuertant se, & sa-
12. nem eos. Ioannes autem Euãgelista dicit: Iccirco non po-
terant Iudęi credere in Iesum, quoniã de illis dixit Esaias:
Excecati sunt oculi ipsorum, & obduratum est cor eorum,
ne videant oculis, & corde intelligant, & sanem eos. Hæc
8. ait Esaias, quando vidit gloriam eius. Paulus verò refert
oraculum ad spiritum sanctum, bene, inquiens, locutus est
spiritus sanctus ad patres nostros per Esaiam prophetam:
Aure inquiens, audietis. & non intelligetis, & videntes vi-
debitis, & non perspicietis, incrassatum est enim cor popu
16. li huius, & reliqua. Præterea cùm filius de patre Petrum al-
loquitur, beatus es, inquit, quia caro & sanguis non reue-
lauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Hæc eadem de se
ipso idem filius loquitur, nullus, inquiens nouit patrem ni-
n.ij. si filius, & cui voluerit filius reuelare. Similiter & de spiritu
2. Paulus ait: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suũ.
Rursum cùm dixisset Paulus: Multifariam multisq; modis
1. olim locutus Deus patribus nostris in Prophetis, alibi di-
r.13 cit filium loqui, experimentum, inquiens, quæritis eius, qui
in me loquitur Christus? Filius autem spiritum ait in Apo-
stolis loqui, quando inquiens, tradent vos nolite solliciti
12. esse, quomõ, aut quia loquamini. Dabitur enim vobis in il
la hora, quod loquamini. Non enim vos estis, qui loquimi
ni, sed spiritus patris, qui loquitur in vobis. Ac de patre
14. quidem, & de seipso seruator dixit: Ego & pater venie-
mus, & mansionem apud eum faciemus, apud illum uti-
que, qui templum ipsorũ erit, & dignus, qui eos suscipiat.
r.6. At Paulus de sancto spiritu, an ignoratis, inquit, vos esse
templum spiritus sancti, qui habitat in vobis. Præterea ser
5. uator ait in Euangelio: sicut pater suscitat mortuos & viui
ficat, sic & filius, quos vult viuificat. Paulus autem ad Co-
r.3. rinthios, spiritus, inquit, est qui viuificat. Docet idem Pau
r.12 lus, diuisiones, inquiens, gratiarum sunt, idem autem spiri-
tus. & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Domi
nus. & diuisiones operationum sunt, idem autẽ Deus. Ad
hæc Dauid Dominum esse piorum hæreditatem dicit, Do
15. minus, inquiens, pars hereditatis meæ. Hieremias autem
10. filium, qui formauit, inquiens, omnia, ipse est hæreditas Ia
cob. Paulus verò spiritũ sanctum, qui est pignus, inquiens
1. hereditatis nostræ. Hieremias Dominum direxisse popu-
lum ait, nõ dixi, inquiens, vbi est Dominus, qui eduxit nos
ex Aegypto. qui rexit nos in deserto. Paulus autem ad co-
rinthios scribens Christum ostendit fuisse veteris populi
ducem. Sic enim inquit: Bibebant è spirituali petra, petra
autem erat Christus. Esaias verò tribuit hoc spiritui san-
rs10 cto, dixit, inquiens, eos per abyssum, vt equum per deser-
63. tum, & non sunt defatigati: vt oues per campum & descen
1. dit spiritus à Domino, & dixit eos. Paulus cùm Deo, voca
re ipsum, attribuisset, qui me inquiẽs segregauit ex vtero
1. matris meę, & vocauit per gratiam suam, idem ad Roma-
nos scribens Christo id ascribit, in quibus estis, inquiens,
13. & vos, vocati Iesu Christi. In libro autem, quo res ab Apo
stolis gestæ continentur, hoc ipsum ad spiritum sanctum
refertur. Segregate, inquit, mihi Paulum, & Barnabam ad
opus, ad quod vocaui eos. Ex persona patris aliquando lo
88. quuntur prophetę, vt in eo loco: Semel locutus sum in san
cto meo, si Dauidi mentiar, semen tuum in æternum ma-
nebit, & quæ sequuntur. Aliquando ex persona filij, vt
cùm dicit Esaias: cognoscet populus in illa die, quia ego
sum, ipse, qui loquebar ad sum. Aliquando ex persona san Esa.52.
cti spiritus, vt cùm Paulus ad Timotheum scribit: spiritus Tim.4.
manifestè dicit, quosdam in extremis temporibus disces-
suros à fide. & cum Agabus Propheta dicit: Hæc dicit spi- Act.ii.
ritus sanctus, & cætera. Omnia replet Deus, nõnè cœlum, Hier.23.
inquit, & terram ego impleo? Dicit Dominus. Sic autem
de filio Paulus scribit: Qui descendit. idem est, qui etiam Ephe.4.
ascendit super omnes cœlos, vt impleat omnia. Quod itẽ
de spiritu sancto loquitur Dauid, quò, inquiens, ibo à spi- Psal.138
ritu tuo? dicens autem quò ibo à spiritu tuo, significauit,
omnia spiritum sanctum implere.

De patre item, & filio, & spiritu sancto distincta pariter atque unita Diuinitatis ratio, Magni Basilii ex oratione de fide.

Vbi cũcta percurreris, & omnia, quæ procreata sunt, ratione lustraueris, mentemq; super his sublimem constitueris, cogita naturam diuinam constantem, immobilem, incommutabilem, perturbationum expertẽ, simplicem incompositam, indiuisibilem, lucem inaccessam, potentiam inexplicabilem, gloriam immensam, bonitatem optabilem, pulchritudinem infinitam, quæ verbis declarari non potest pro dignitate. Illic pater, & filius, & Spiritus sanctus increata natura, princeps dignitas, naturalis bonitas. Pater rerum omninm principium: eorum, quæ sunt, author, vt sint: Viuentium radix: ex quo fons vitæ profluit. Sapientia, potestas, imago Dei inuisibilis absolutissima filius ex patre genitus, qui viuens est Verbũ, qui Deus est, & est apud patrem. Sic autem est, vt nunquàm non fuerit, cùm sit ante secula, non autem post acquisitus. Filius, inquam, non possessio effector, non factus: creator non creatus qui habet omnia, quæ in patre sunt. Filium, & patrem dico. Has mihi proprietates obserua. In eo nanque manens, vt filius sit, quicquid est pater, idem & ipse est, quemadmodum ipsemet Dominus voce sua declarat, omnia, inquiens, quæcunq; habet pater, mea sunt. Verè enim omnia, quæ in exemplaris forma sunt, imago continet. Vi-
dimus, inquit Euangelista, gloriam eius, gloriam vt vnige Ioan.2.
niti à patre hoc est, non res admirabiles ei munere & gratia tributas, sed quam ex societate naturali filius obtinet paternæ diuinitatis dignitatem. Accepisse enim cum rebus creatis commune est, natura autem obtinere proprium est geniti. Quamobrem vt filius possidet quæcunque sunt patris vt Vnigenitus autem vniuersa in se ipso continet & comprehendit, nulla re cum alio diuisa. Ex ipsa igitur appellatione eum naturæ sociũ intelligimus, non iussu creatum, sed ex essentia effulgentem, sine interuallo, sine tempore coniunctũ patri, parem in bonitate, in potentia æqualem gloriæ socium. Quid enim est aliud, nisi sigillum, & imago totum in se patrem exprimens? Quæ autem postea, in corpore constitutus ad te loquitur, disponẽs hominum salutem quam in carne nobis apparens attulit, se missum esse dicens, & nihil ex se posse facere, & se mandatum accepisse, & his similia, caue, ne præbeant tibi occasionem, & vnigeniti diuinitatem imminuas. Potentis enim ad imbecillitatem tuam summisio non debet esse diuinitatis eius imminutio. Naturam igitur cogita Deo congruentem ex verbis autem abiectioribus dispositionem intelli-

ge. Verùm si de his vellemus accuratius in præsentia disserere, longam atque adeo infinitam sermoni nostro disputationem imprudenter insereremus. Quare ad propositum reuertamur, animus, qui à materiæ affectionibus sese potuerit expurgare, & ijs, quę creata sunt post habitis ex profundo ad supera piscis instar emergere, in ea puritate, qua conditus est, situs videbit illic esse spiritum sanctum, vbi filius, & pater est, habentem & ipsum omnia coniunctim, & ex natura, bonitatem, rectitudinem, sanctitatem,
Psal. 142 vitam, spiritus enim inquit tuus ille bonus. & spiritus re-
Psal. 50. ctus & spiritus tuus illum sanctum. Et lex spiritus vitæ, Pau
Rom. 8. lus ait. Quorum nihil ipsi comparatum est, aut posterius adiunctum, sed quemadmodum nec calefaciendi vis ab igne, nec splendor à luce separari potest, sic à spiritu nec sanctitas seiungi, nec bonitas. nec rectitudo. Illic ergo consistit spiritus, illic in beata natura, nec cum multitudine numeratur, sed in Trinitate conspicitur. solus nuntiatur, non cum pluribus comprehenditur, Sicut enim pater est vnus, & filius vnus, sic & spiritus vnus est. At ministrantium spirituum multitudinem enumerare vix queas. Proinde in rebus creatis ne queras eum, qui super illas est. Ne deduxeris illum, qui sanctos facit, ad eos, qui fiunt sancti. Hic Angelos replet, sanctas efficit Potestates, omnibus vitam præbet. Hic se rebus procreatis sic impartitur, vt cùm ab alijs aliter perceptus sit, á nulla tamen eius participe minuatur. omnibus dat gratiam suam, nec tamen in accipientes insumitur, sed cùm illi, qui accipiunt, impleantur, ipse tamen integer manet. Quemadmodum Sol à corporibus, quæ ipse illustrat varijs modis excipitur, nec tamen ab illis imminuitur, sic & spiritus gratiam suam omnibus communicans integer indiuisusq; permanet. Omnes illustrat ad cognitionem Dei. Numine suo Prophetas afflat: Legislatores efficit sapientes: sacerdotes erudit: Reges corroborat: iustos dirigit: temperatos exornat: præstat munera curationum: mortuos in vitam reuocat: vinctos soluit: alienos adoptat in filios. Hæc per cœlestem agit generationē. Si publicanum credentem susceperit, eum declarat Euangelistam: si fuerit in piscatore, theologum reddit: si persecutorem resipiscentem inuenerit, gentium Apostolum facit, præconem fidei, vas electionis. Per hunc imbecilli fortes fiunt, pauperes ditescunt, rudes infantesq; sapientibus euadunt sapientiores. Hic & in cœlo consistit, & terram impleuit, & vbique est, & nusquā includitur. Totus in singulis inhabitat, & est totus cum Deo, Non ministrantis more dona distribuit, sed authoritate sua munera dilargitur. Diuidit enim singulis, inquit, peculiariter vti vult. Mittitur ille quidem vt minister, sed sua agit potestate. Hunc animis nostris vt præsto sit nulloq; nos tempore deserat obsecremus.

Eisdem ex Epistola ad Gregorium fratrem de essentię, & personę differentia.

IN sancta trinitate qui patrem nouit, & patrem ipsum intelligit, & eadem cogitatione filium comprehendit. Qui verò filium accipit, & spiritum simul assumit, & consequenter quidem secundum ordinem, coniunctè autē secundum naturam, trium in idem cōmistam in se ipso fidem expresit. & qui spiritum tantùm dixit comprehendit simul hac confessione illum etiam, cuius est spiritus: est enim Christi: & eum, ex quo: Nam est ex Deo, vt inquit Apostolus. Et quemadmodum in cathena qui extremitatem vnam attingit, simul etiam alteram trahit extremitatem, sic qui spiritum traxit, vt inquit propheta, per ipsum & filium, & patrem simul attraxit. Et qui filium apprehenderit, habebit ipsum ab altera quidem parte patrem suum, ab altera autem parte spiritum proprium adducentem. Neque enim a patre poterit separari, qui semper est in patre, neque à spiritu seiungi, qui omnia per ipsum agit. Quamobrem nulla sectio, aut diuisio vllo modo potest excogitari, qua vel pater sine filio, vel filius sine spiritu intelligatur. Sed ea in his est tum vnio, tum distinctio, quæ nec oratione potest explicari, nec animo comprehendi, cùm nec personarum distinctio essentiæ distrahat coniunctionem, nec essentiæ coniunctio personarum confundat proprietatem. Mirabili nanque ratione in his est tum coniuncta distinctio, tum distincta cōiunctio. Verùm vt aliquo modo rei obscuritas illustretur, vel quædam potius adhibeatur adumbratio veritatis, cœlestis arcus, quem Irin appellant, exemplum consideremus. Omnium enim colorum ipsius splendores & distincti videntur esse, quoniam lucidi sunt, & coniuncti, quoniam latent oculos nostros mixtionum termini, quibus distinguuntur colorum diuersitates, vt discernere nequeamus, quousque pertineat aut initium sumat vel rutilus, vel smaragdinus, vel glaucus luminis nitor. Quo quidem naturæ exemplo nos ratio docet, ne frustra laborem insumamus in dogmatis rationibus exquirendis, cùm in difficilem aliquam disputationem incidimus, & vtrum iis, quæ dicuntur, assentiendum sit, hæsitamus. Quemadmodum enim in iis, quæ oculis cernuntur, rationibus præstant experimenta, sic in sublimibus dogmatibus, cognitioni, quæ rationibus comparatur, fides antecellit.

Eiusdem ex triginta capitum ad Amphilochium decimo octauo.

VNus Deus & pater, & vnus vnigenitus filius, & vnus spiritus sanctus. Vnamquanq; personam sigillatim enuntiamus. Cumq; oporteat connumerare, non id agimus, vt inerudita numeratione ad multiplicis Diuinitatis intelligentiam adducamur. Neq; enim componendo enumeramus, incrementum ab vno ad multitudinem facientes, dicenteśq; vnum, & duo, & tria: aut primum, aut secudum, aut tertium. Ego enim, inquit Deus primus: & ego deinceps. Deum secundum ad hunc vsque diem nunquam audiuimus. Sic enim Deum ex Deo adoramus, vt personarum proprietatem confitentes, vnicum principatum asseramus, nec Diuinitatis rationem in multitudinem subdiuisam discindimus. Quoniam vna in Deo, & patre, & filio vnigenito quasi forma spectatur incommutabili coniuncta vinculo Diuinatis. Filius enim in patre est, & pater in filio. Siquidem & hic est talis, qualis imago, & Ille, qualis est hic, vt ex proprietate personarum sint vnus, & vnus, ex naturæ autem communione vtrique vnum. Quomodo igitur si vnus, & vnus, non duo Dii? Quia cùm dicatur Rex etiam imago eius, non tamen duo sunt reges. Neque enim potestas scinditur, aut diuiditur regnum. Nam sicut vnius est in nos imperium, & principatus, sic etiam qui à nobis habetur honor, est vnus, non multi. Honor enim, qui præstatur imagini peruenit ad exemplar. Quare quod hic fit artis imitatione, illic natura filius obtinet. Et quemadmodum in iis, quæ fiunt ab artificibus ex forma ducitur similitudo, sic in illa diuina incompositaq; natura ex communione Diuinitatis est ipsa vnitas. Vnus autem est & spiritus sanctus, qui & ipse singul'r effert, & per vnū filiū coniunctus patri, & per se complet omnibus laudibus celebrandam ac beatissimam Trinitatem. Cuius cum patre fi-

lioq; coniunctio ex eo satis perspicuè patet, quòd non in rerum creatarum multitudine, sed singulariter pronuntiatur. Non enim est vnus è multis, sed vnus est singulari quadam ratione. Nam sicut vnus est pater, & vnus filius, sic vnus est etiam Spiritus sanctus. Tantum igitur abest à natura creata, quantum abesse par est singularem à congregatis & habentibus multitudinem. Patri verò & filio sic vnitus est, vt vnitas cum vnitate coniungitur. Nec solum ex hoc naturæ societas declaratur, verumetiam ex eo, quòd ex Deo esse dicitur, non quemadmodum omnia sunt ex Deo, sed quòd ex Deo procedit, non vt filius generatione, sed vt spiritus oris eius. Hic autem mihi os non vt membrum intelligas, nec spiritum vti flatum, qui dissoluitur, ac disipatur, sed os Deo dignum, & spiritum essentiam viuam, sanctificationis dominam, cuius quidem societas ex his declaratur, essentiæ autem modus arcanus seruatur.

De patre item, & filio, & Spiritu sancto distincta simul, & vnita Diuinitatis ratio. Magni Gregorii Theologi ex oratione I. de filio.

A Nobis autem vnius Dei colitur principatus, non quem vna circunscribat persona: cùm fieri posit, vt & vnum à se ipso disideat, atque ita multa sit: sed quem æqualis naturæ dignitas, idem consensus, eadem motio, & omnium, quæ inde fluunt, in vnum concursus constituat. Quod in natura procreata fieri nequit, vt & numero differat, & diuisam non habeat potestatem. Iccircò vnitas ab initio ad binarium progressa numerum intra ternarium consistit. Id nobis est pater, filius, & Spiritus sanctus. Pater quidem genitor, & emissor (hic mihi nec perturbationem, nec tempus, nec corpus intelligas) filius verò genitus, & spiritus emissus. Hæc quomodo posint enuntiari, vt quæ sensibus sunt obnoxia, non occurrant, equidem nescio. Et paulo post. Quapropter vt intra nostros terminos consistamus, patrem ingenitum,
15. filium genitum, spiritum, quemadmodum ipsemet Deus, & Dei verbum alicubi dicit, à patre procedentem inducimus. Quando igitur, inquies, hi? Antequam vlla esset temporis ratio: Et, si licet iuueniliter loqui, Quando & pater. sin pergas quærere, ecquando pater? eum nunquam non fuisse respondebo, vt idem de filio etiam intelligas, & Spiritu sancto. Quòd si rursum interroges, quando filius genitus fuerit, audies à me, tum, cùm non est genitus pater. Quando processerit spiritus, cùm ipse filius non procesit. Sed sine tempore genitus est ratione inexplicabili. Quãquam dum temporis significationem effugimus, licet verbis vim afferamus, non possumus tamen aliquid, quod supra tempus sit, constituere. Siquidem illæ voces: quando, ante, post, & ab initio, temporis non sunt expertes. Spatium igitur illud, quod duratione sua respondet sempiternis, quodque nec vllus motus, nec solis cursus diuidit, aut dimetitur (id quod accidit tempori) seculum appellemus. Quomodo igitur, inquies, filius, & spiritus, cùm sint, quemadmodum pater, sempiterni, non sunt etiam, sicut ille, sine principio? Quoniam ex illo sunt, licet post illum non sint. Quod enim principio caret, æternum est: Quod autem æternum, non continuò est expers principij. Ad principium enim, quod est pater referuntur, quocirca principij non sunt expertes. Iam illud constat, non omnem causam, iis, quorum causa sit, antiquiorem esse. neque enim luce sol est antiquior. At si tempus respicias, filius, & Spiritus sanctus perinde, atque pater principio vacant, quãuis tu simplicio res perterrefacias. Nam temporis authores ipsi tempori non sunt subiecti.

Eiusdem ex oratione de dogmate & statu Episcoporum.

A Doramus igitur patrem, & filium, & Spiritum sanctum, & proprietates ita diuidimus, vt Diuinitatem vnam esse dicamus. Neque tria in vnum contrahimus, ne Sabellij morbo laboremus: nec vnum in tria diuersa, alienaq; scindimus, ne in Arij furorem incidamus. Quid enim attinet, tanquam plantam in alteram partem inclinatam & prorsus incuruam vi in partem contrariam distorquere, & peruersitate corrigere peruersitatē, ac non potius ad medium sic adducere, vt in diuinæ pietatis terminis consistamus? Cùm medium dico, veritatem intelligo, quam quidem solam spectandam rectè sentiamus, vt & improbam contractionem, & diuisionem hac ipsa absurdiorem euitemus, ne si ad vnam personam sermo contrahatur, omissa multiplici Diuinitate, nuda nobis nomina relinquamus, eundemque patrem, & filium, & sanctum spiritum arbitremur, nec magis vnum omnes, quàm vnumquẹque nihil esse definiamus: Desinant enim esse, quod sunt, si inter se confundantur, & perturbentur: néue tres diuersas, disimilesq; atque inter se dissectas naturas distrahamus, vt Arij vult furor, & insania: Aut sine principatu, aut sine ordine, & quasi aduersarios, vt ita dicam, Deos constituentes, vel ad Iudaicam demisionem declinemus, vt ingenito tantum Diuinitatem ascribamus, vel in contrariam, sed æquè malam opinionem adducamur, vt tria statuamus principia, & tres Deos, quod omnium, quę dicta sunt, est absurdisimum. Cauendum enim est, ne, dum patris nimium studiosi esse volumus, ipsum auferamus. Cuius enim erit pater, si naturæ diuersæ filius vtpote cum rebus creatis numeratus asignetur. Aut dum Christi nimium amantes videri cupimus, ei ne illud quidem seruemus, vt filius sit. Nã cuius erit filius, nisi ad causam, qui pater est, referatur? néue Patri minuamus principij dignitatem, quæ ad illum vt patrem genitoremq; pertinet. Minutarum enim rerum, & quæ se haud satis forent dignæ principium esset, nisi causa esset Diuinitatis, quæ in filio & Spiritu sancto conspicitur. Sic igitur oportet Deum vnum asserere, vt tres Hypostases, seu tres personas cum sua quãque proprietate fateamur.

Vocat Patrem causam, vt solent Doc. Græci causam sumere pro principio, vel origine, quod & in sequētib⁹ frequēter inuenies.

Eiusdem ex oratione ad Heronem Philosophum.

R Eligionem nostram ita definito, vt vnum esse Deũ doceas, ingenitum, ipsum patrem: Vnum genitum Dominum, nempe filium, qui & ipse quidem vocatur Deus, cùm per se dicitur, Dominus autem, cùm vna cũ patre nominatur. Deus quidem natura: Dominus autem principatu. Vnum Spiritum sanctum, qui ex patre prouenit, siue procedit. Et Deus quidem cognoscitur

ab iis, qui eorum, quæ proposita sunt, notitiam habent. Ab impiis autem impugnatur. Et ab aliis quidem tantum ntelligitur. Ab aliis verò, qui magis spiritales sunt, etiam prædicatur. Ac patrem quidem sub principio non esse statuendum, ne primo aliquid, vnde & ipsum existat, adiungamus. Filium verò, & spiritum sanctum non esse sine principio, ne, quod proprium est patris, adimamus. Qui cùm sine principio non sint, aliquo tamen modo, quod mirabile est, sunt sine principio. Non sine principio sunt, id est, non sine causa: sunt enim ex Deo, quamuis post ipsum non sint, vt lux ex sole. Sine principio autem, quod ad tempus pertinet, ne res fluxa stantibus antiquior sit, & essentiis id, quod essentia caret. Nec tria principia, ne à Græcis conficta Deorum multitudo consequatur. Nec vnum eo duntaxat modo, quo Iudæi putant, angustum quoddam, & inuidum, inualidumque principium, vt vel in seipsa Diuinitas consumatur, id, quod placuit iis, qui filium ita deducunt à patre, vt eum rursus cum patre confundant: vel, quod probatur ab illis, qui se nunc sapientes putant, vt filij spiritusq; naturæ demittantur, & deiiciantur à Diuinitate verente, ne sibi aduersentur, aut certe nullam habente maiorem vim, quam ipse habeant res procreatæ. Nec filium, ingenitum: vnius enim est pater. Nec filium spiritum. Nam vnus est Vnigenitus, vt illud Diuinitatis habeant, quod sunt singulares. Filius quidem, quòd generatur, spiritus autem, quòd procedit, non autem generatur. Patrem verè patrem, atque adeo multo magis, quam illos, qui sunt apud nos patres quoniam vnicè pater est. propria enim, ac singulari quadam ratione, quæ in corpora non cadit. Et solum: nam sine coniugio. Et solius patrem, nempe Vnigeniti. Et tantum patrem, vt qui filius ante non fuerit & totum atque totius patrem: Nostra enim incerta sunt. Et ab initio. neque enim postea cœpit esse. Filium, verè filium. Nam & eximio modo: & solius: & solus: & solum filius: neque enim & pater: & totum filius: & totius: & ab initio, quippe qui vnquam esse cœperit. Neque verò diuinitas ita communicatur, vt communicantem vnquam pœniteat: aut eiusmodi, quæ præcidatur, atque deficiat, vt modo adsit patri, modo adsit filio. Spiritum sanctum, verè sanctum. Non enim alius talis, aut modo tali. Neque sanctitatem habet ex adiunctione, sed ipsamet sanctitas est. Neque nunc magis, nunc minus est: Nec vllo tempore vel cœpit esse, vel desinet. Illud enim patri, & filio, & spiritui sancto commune est, quòd facti non sunt. Diuinitas item est cōis. Filio autem, & spiritui sancto id est commune, quòd ex patre sunt. Patris porrò proprium est, quòd sit ingenitus, filij autem, quod genitus, spiritus verò sancti, quod procedat. Hæc autem qua ratione fiant, nihil est, quamobrem quæras, Nam, vt ipsi testantur, soli se mutuo cognoscunt, & cognoscuntur. Intelligent etiam ex nobis illi, qui postea splendore ipsorum illustrabuntur. Da igitur operam, vt prius eorum aliquis, aut similis fias. Nunc autem hoc doce tantummodo: Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate colendam & adorandam, admirabilem in se tum distinctionem, tum vnionem continentem. Affectiones ne metuas, si generationem fatearis. Deus enim, etsi generat, affectionibus tamen vacat. In hoc tibi fidem meam obstringo. Id enim diuina, non humana ratione fit. Nam alio etiam modo est ipse Deus, quam humano. Illud potius reformida, ne tempus in ipso cogites, creatumúe putes. Deus enim non est, si factus est. caue, ne dum inani studio Deo conaris opitulari, Deum tollas, & illum, qui Deo æqualis est, conseruum facias, qui te liberum reddet, si principatum eius verè & ex animo confitearis. Ne timeas spiritus emissionem admittere, nulla enim Deus, qui diues in omnibus est, aut emittendi, aut non emittendi afficitur necessitate. Abalienationem potius, & minas extimesce, illis, qui de Spiritu sancto non tam theologicæ quàm contumeliosæ disputant, impendentes. Nec principatum ignominia affice, Diuinitatem vel in vna concludens tantum persona, vel ita dissecans, vt plures constituas Deos. Nec time, ne tibi vertatur crimini, quòd Diuinitatem asseras in tribus esse personis, cùm alius eam ne duabus quidem velit attribuere. Hæc autem contingant, si quis Diuinitatis vnitatem in trinitate personarum aut dissoluens, aut dubitans argumentis conetur euertere. Tu verò illam tuere, quãuis mentis acies ad eam comprehendendam sit imbecillior. Satius enim est te sub auspicio ductuq; spiritus argumentis rationibusq; destitui, q̃ impietati promptè desidiã sequentem inseruire.

Eiusdem ex oratione II. de pace.

ILla verè Trinitas est, fratres, non quæ constat ex rerum inæqualium numero, alioquin quid prohibeat decem, aut centum, aut decem millia, aut his etiam plura, quando multa sunt, quæ numerantur, nominare, ex quibus ipsa componatur? Sed quæ res æquales & pari honore præstantes ita comprehendit, vt quæ natura vnita sunt, vniat, nec sinat ea, quæ dissolui non possunt, solubili numero dissipari. Ita sentimus, & hanc tuemur sententiam. Quomodo autem hæc tum habitu tum ordine sese habeant, solam ipsam Trinitatem nosse confitemur, & mentes illas mundas ac puras, quibus arcanum hoc Trinitas ipsa vel nunc aperit, vel in posterum patefaciet. Nos autem scimus, vnam, & eandem esse Diuinitatis naturam, eo, qui sine principio est, & eo, qui generatur, & eo, qui procedit ita constantem, vt, si ex humanis diuina, & maxima ex paruis licet coniicere, animus noster ex mente, ratione, & spiritu constat. Quãquam nullum exemplum adduci potest, quod veritatem illius adumbret, atque exprimat. Hæc sibi ipsa conuenit, semper est eadem, semper perfecta, qualitate, quantitate, & tempore caret, creata non est, comprehendi non potest, nunquam à se deseritur, se nunquam deserit. In hac vitas, & vitam: lumina, & lumen: bona, & bonum: glorias, & gloriam: verum & veritatem, & spiritum veritatis sancta, & sanctitatem ipsam agnoscimus. Vnamquãque in ea personam, si per se spectetur, Deum esse dicimus animo, & cogitatione distinguentes, quæ separari non possunt. Tres item personas eadem motione naturaq; inter se coniunctas colimus vt vnum Deum. Harum nullam hæc supra se deteriorem habuit, aut præstantiorem, neque enim id fieri potuit: nec post se deteriorem, aut præstantiorem est habitura, neque enim id fieri poterit. Nec aliud quicquam eodem honoris gradu secum est acceptura. Nihil.n. eorũ, quæ creata, & serua sunt, & tantum habent, quantum illis est impertitum, quæque suis circunscripta sunt terminis, ad increatam, & principem, & immensam, atque infinitam naturam potest aspirare, sed partim omnino sunt remotissima, partim propius absunt, aut aberunt. Idque non natura, sed munere. Ecquando hæc, cùm ita de Trinitate sentimus, vt ei libenter seruiamus? Si tamen recta dominantis diuinitatis cognitio, qua mentis imbecillitate

tate non commisceas ea, quæ inter se distant, seruitus appellanda est, ac non potius libertas, & regnum. Quorum autem tam præclara seruitus est, qualis erit eorum principatus? Si tanti refert cognouisse, quanti erit cognito perfrui? Hoc vobis vult magnum ipsum mysterium. Hoc in patrem, & filium, & spiritum sanctum communi nomine fides, & regeneratio, abnegatio impietatis, & Diuinitatis confessio. Nam id per illa verba, communi nomine, intelligitur.

Eiusdem ex oratione in diem Natalem Christi.

CVM Deum dicimus, Patrem, & filium, & spiritū sanctum intelligimus, ne si supra ternarium hunc numerum Diuinitas diffundatur, Deorum multitudinem introducamus: aut, si infra circūscribatur, illam inopia dānemus. in alteroq; Iudæos imitemur, vni totum ascribētes imperium, in altero autem Græcos sequamur, Deorum turbam confingentes. In vtraque enim opinione, licet inter se contrariæ sint, similis error deprehenditur.

Eiusdem in sancta lumina.

CVM auditis Deum, vno simul, & tribus luminibus illustramini. Tribus quantum pertinet ad proprietates, seu mauis Hypostases, aut personas. Neq; .n. in vocibus expendendis digladiabimur, dum ad eandem nos sententiam ducant. Vno autem quantum ad essentiæ rationem Diuinitatemúe spectat. Indiuiso enim, vt ita dicam, diuiditur modo, diuisoq; coniungitur. Nam Diuinitas in tribus est. Et hæc tria, in quibus est Diuinitas, vel vt verius dicam, quæ ipsa sunt Diuinitas, vnum sunt. Nec plura hic admittimus nec pauciora. Hæc verò ita statuimus, vt neq; in vnitate confusio sit, neq; in diuisione dissidium. Aequè enim & cōtractionem Sabellij, & Arij dissectionē detestamur, quorum sentētiæ licet ex diametro pugnent, in eandem tamen impietatem incurrunt. Quorsum enim attinet, Deum vel prauè coniungere, vel inæquales in partes dissecare? Nobis autem vnus est Deus Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus christus, per quem omnia: & vnus spiritus sanctus, in quo omnia. Quæ quidē verba, ex quo, & per quem, & in quo naturas non secant, ne si pro positionum quidem, & nominum ordo commutetur: sed distinctas vnius minimè confusæ naturę proprietates notant. Id ex eo perspicuè patet, quod ad vnum rursus omnia referuntur, vt facilè animaduertes, si attentè legeris, quæ ab eodem Apostolo alibi scripta sunt, cùm dicit: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Addit enim ipsi gloria in secula. Amen.

(margin: ...or. 8.; ...m. 11.)

Ex eadem oratione.

PAter est pater, & sine principio: Filius est filius & non sine principio, à patre enim est. Quòd si temporis principium intelligas, ipse quoq; erit sine principio, quippe qui temporum sit effector, non autem subditus tempori. Spiritus est verè spiritus sanctus à patre proueniens, non ea ratione, qua filius, neque enim generatur, sed procedit. Quòd si noui aliquid in verbis, quo res dilucidior fiat, vsurpandum est, nec pater deperdit aliquid ex eo, quod ingenitus est, generat enim. Nec filius ob id, quòd generatur: nam ex ingenito. Nec spiritus, quia vel ad patrem, vel ad filiū referatur. Procedit enim, & Deus est, licet impijs aliter videatur. Nam si proprietas est, erit immobilis. Sin moueatur, & concidat, quomodo erit proprietas? Qui autem ingenito, genitoq; Deos ita statuunt, vt communi tantùm nomine conueniant, natura autem diuersi existant, ij fortasse & Adam, & Seth natura diuersos esse contendent, ille quòd sine carnis opera, & coniunctione factus sit, hic autem ab Adam Euaq; progenitus. Vnus igitur Deus in tribus, & tria vnum, vt dictum est.

Eiusdem ex oratione, qua ad Baptismum suscipiendum cohortatur.

HAnc tibi totius vitæ sociam, præfectamq; tribuo Diuinitatem vnam, & potestatem, quæ & in tribus singulariter inuenitur, & tria particulatim comprehendit. Neque essentia, aut natura est inæqualis, neque superlatione, demissionéue augetur, aut imminuitur, sed vndique æqualis, vndique eadem: quemadmodum vna est pulchritudo cœli, & magnitudo: Trium infinitorum infinita coniunctio, quorum vnusquisque, si per se consideretur, est Deus. Sicut pater, sic etiam filius, & sicut filius, sic etiam spiritus sanctus, proprietate vniuscuiusque conseruata. Sin tres simul considerentur, sunt vnus Deus. Id propter eandem naturæ essentiam, hoc propter imperium singulare. Vnum cogitare non possum, quin à tribus luminibus illustrer. Hæc intueri distincta nequeo, quin ad vnum perducar splendorem. Cùm aliquod eorū vnum contemplor, in eo totam lucem animaduerto, oculosque meos ita repletos sentio, vt si, quod maius est, illos effugiat non valeam magnitudinem eius comprehendere, & deficienti id, quod alij exuperat, attribuere. Cùm tria cogitatione coniungo, lampadem vnam sic intueor, vt lucem eius copulatam, atque vnitam diuidere, aut dimetiri non possim. Tu generationem reformidas, ne Deo affectionum experti, affectionem assignes. Ego creationem timeo, ne Deum tollam, si vel filium à patre vel spiritus naturam à filio contumeliosa, & inæquali sectione seiungam. Id enim absurdum est, quòd ab istis, qui peruerse Diuinitatem examinant, non solum Deo ascribitur, quòd creatus sit, verumetiam quos creatos asserunt, rursum dissecant. Nam vt à patre seiunctum filium in rebus humilibus & infra positis, nempe creatis locant: Sic rursum procul à filio dignitatem spiritus separatam ponunt, vt ista noua Theologia & Deus simul, & res creatæ afficiantur ignominia.

Ex eadem oratione.

VOlo patrem maiorem dicere: Ex quo enim æquales habent, vt sint æquales, ex eodem habent (id quod ab omnibus concedetur) vt sint: sed vereor, ne illum, qui principium est, minorum principium cōstituam, & cui honorem tribuere maiorem conor, ignominiam afferam. Ei nāque decori esse non potest humilitas eorum, qui ab ipso sunt. Ad hæc te fore suspicor insatiabilem, vt, cùm maiorem acceperis, ita naturam seces, vt in omnibus maiorem dicas. Nam natura maior non est, quamuis detur, vt causa sit. Eorum enim, quæ eiusdem sunt essentiæ, nullum essentia maius est. Volo in honore spiritui filium anteferre, sed Baptismum non patitur, quo sum initiatus per ipsum spiritum.

Eiusdem ex oratione ad Episcopos, qui naui aduenerant ex Aegypto.

DVas in rebus maximas cognosco differentias, dominationem & seruitutem, non quas apud nos vel tyrannis fecuit, vel paupertas diuisit, sed quas ipsa natura præscripsit, si tamen fas est, ita loqui, cum prior sit etiam ipsa natura superior. Harum vna est effectrix, & princeps, & immobilis: altera facta, & subiecta, & commutabilis. Atque, vt breuius dicam, vna supra tempus est, altera sub tempore. Prior vocatur Deus, licet in tribus consistat, causa, opifice, & perficiēte, hoc est, patre, filio, & spiritu sancto. Qui nec ita distracti sunt, vt dirimātur natura: nec ita compressi, vt vna concludantut persona. Id enim Arianam sapit insaniam: hoc Sabellianam impietatem: sed & planè distractis coniunctior est, & penitus solitariis copiosior. Posterior nobiscum est, & quæ creata sunt, vniuersa complectitur, quorum, vt vnūquodque magis, aut minus accedit ad Deum, sic inter cætera magis, aut minus excellit. Hæc cùm ita se habeant, quibus Dominus cordi est, ij accedant ad nos, vt vnam in tribus Diuinitatem adoremus, nihil abiectum, aut humile sublimi illi inaccessæq; gloriæ ascribētes, sed excelsam vnius Dei maiestatem in tribus personis perpetuis laudibus, & vno ore celebrantes. Quomodo enim ei naturæ, cuius amplitudinem, quoniam immensa, infinitaq; est, explicare non possumus, quicquam abiectum, aut humile tribuemus? Quisquis autem aliter sentit de Deo, & iccircò præstantissimam eius essentiam in naturas scindit inæquales, is si diuino gladio dissecabitur, Luc. 12. & pars ipsius ponetur cum infidelibus, vt & nunc & in posterum acerbos prauę opinionis fructus percipiat, minimè erit admirādum. Ac de patre quidem nihil attinet dicere, cuius ab omnibus, qui naturali cognitione & communi sensu præditi sunt, amplitudo conceditur, quanq̃ ignominiæ primas ipse tulit cùm à veteribus illis nouarum rerū studiosis in bonū, & malum opificem diuisus est. De filio aūt, & spiritu sancto, videte, q̃ simplici & breui ratione disserāmus. si quis poterit aliquid in his deprehēdere, quod inuerti, commutariúe queat, quod temporis, aut loci, aut potestatis, aut actionis aliquo fine, aut mensura comprehendatur, nisi ipsum natura bonum, nisi sponte sua mobiles, nisi eiusdem essentiæ, nisi adorandi, nisi collaudandi, nisi venerandi, nisi eodem numero habendi planè videbuntur, id comprobetur, atque ostendatur, nec verbum faciam, quin sententiæ vestræ acquiescentes eos conseruorum honore colendos esse fateamur, licet eo nomine in his facienda sit diuinitatis iactura. sin omnia, quæ pater habet, filij sunt, excepto, quòd filius non est ingenitus: Et quęcunque sunt filij, sunt etiam spiritus, præter vnum id, quod spiritus non est genitus. Quicquid autem de filio dicitur, quod ad corpus spectet, id ad assumptum pertinet hominem & salutem nostrā, cùm id, quod nostrum erat, assumpserit, vt noua coniunctione nobis, quod suum erat, elargiretur, desinite tandem aliquando delirare, inanium verborum & nos ab ipso depellentium inuentores. Vt quid deperitis, ò domus Israëlis, vt scripturæ verbis vicem ve- Iac. 2. stram deplorem? Veneror equidē filij appellationes, tam multas, tamq; sublimes, & magnas, quas Dæmones quoq; pertimescunt. Veneror item æqualem spiritus sancti dignitatem, sed minas aduersus illos, qui spiritū ipsum execrantur, reformido. Execratio enim est, non Theologia, quæ spiritum à Diuinitate remotum statuit. Illud autem hic est obseruandum. Quòd cùm Dominus sit is, cui male dicitur spiritus tanq̃ Dominus vltor existit. Ferre nō possum, vt verser in tenebris, posteaquam sum illustratus, & ex tribus, in quorum nomine baptizatus sum, aliquem minorē dicam, vt verè in aqua sepultus sim, non ad regenerationē initiatus, sed ad mortem. Audacter dicam, ò Trinitas sancta, tu arrogantiæ ignoscas meæ. Nam de animæ periculo agitur. Ego quoque imago sum Dei, cœlestisq; gloriæ, licet in terris degam. Quamobrem adduci non possum, vt credam, me per illum qui eiusdem sit conditionis, qua ego sum salutem assequi. Si spiritus sanctus non est Deus, euadat prius, meq;, qui eodem cum illo sum ordine, tunc diuinum efficiat. Nunc autem quæ fraus, qui dolus est gratiæ, immo verò eorum, qui gratiam tribuunt? Egóne credam in Deum, vt impius reddar? Aliud confitebor, vt aliud discam? Quænám sunt istæ fallaciæ verborum, & fraudes, q̃ suis me interrogationibus ad hęc confitenda perducūt, vt ad illa deueniam? Miserum, atque obscurum splendorē meum, sordidamq; munditiem, si baptismo sic abluor, vt nigrior fiam: si nitidiores, atq; mundiores aspicio, qui non sunt abluti: si mala baptizantis opinione deludor: si spiritū meliorem quæro, & non inuenio. Da mihi baptismum alterum, & de priore male sentito. Quid mihi perfectam inuides regenerationem? Cur me ex tēplo spiritus, qui Deus est, creati spiritus habitaculum reddis? cur eorū, quæ mea sunt, aliud honoras, aliud afficis ignominia? Inæquales in diuinitate partes constituis, vt mihi gratiam seces, & imminuas, vel potius vt gratiæ me subducas & subtrahas? Aut totum honora, vane Theologe, aut totum despice, vt quāuis impiè sentias, tibi tñ ipse constes, nec naturam ęque honoratam, iniquè iudices. Ea verò nostræ sit orōnis summa Dei laudes cum Seraphinis decanta, qui vnum in principatum tres conferunt sanctitates, & essentiæ illius primæ tantum ostendunt, quantum ipsorum alę studiosis patefaciūt. Illustrare simul cum Dauide lumen ipsum sic alloquente: in lumine tuo videbimus lumen, filium nimirum in spiritu, quo quid fieri potest illustrius? cum Ioanne Tonitrus filio tonitrum emitte, nihil de Deo humile, nihil terrenum, sed excelsum, atque sublime aliquid sonans, vtpote qui cognoscas, in principio esse verbum, & verbum esse apud Deū, & Deum esse verbum, & Deum verum ex vero patre, nō autem conseruum bonū, sola filij appellatione decoratum & alium consolatorem, alium nimirum ab eo, qui loquit, quod est Dei verbum. Et cùm legis: ego & pater vnum sumus: naturę coniunctionem contemplare. Qñ illud audis: ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, personarum distinctionem intellige. At cùm patris, & filij, & spiritus sancti nomen, tres vtiq; proprietates, vna cū Luca in rebus ab Apostolis gestis versans inuenis, cur cum Anania, & Saphira nouis furibus in is societatem? verè. n. nouum furandi genus est, cùm quis ea, quæ propria sunt surripit, præsertim si non argentum, aut aliud quippiam, qđ vile paruumq; sit, vt linguam auream, aut tenuem, aut didrachma, miles ille quondam insatiabilis, sed diuinitatem ipsam furetur, mentiaturq; quemadmodum audiuisti, nō homini, sed Deo. Venerandam spiritu cole potestatem, quibus vult, & qñ vult, & quantum vult, aspirantis. Descendit enim super Cornelium, & domesticos eius ante baptismum, super alios autem per Apostolos post baptismum, vt & ex iis, quæ, non vt seruus, sed tanq̃ dñs gerit, & ex illis, quæ in eo, qui initiandus est, requirit, diuinitatem testetur suam. Cū Paulo, qui in tertium sublatus est cœlum, tracta Theologiam, qui nunc tres personas, ordine commutato ita connumerat, vt nunc primo, nunc secundo, nunc tertio loco eandem personam nominans naturæ declaret æqualitatem: Nunc duas, aut vnam earum aliquam tātum

ponit,

ponit,tanq̃ reliquæ consequantur omnino. Aliàs spiritui assignat actionem Dei,quasi nihil referat, hunc, an illum dicat. Alias autem pro spiritu Christum affert.Et aliquando quidem personas distinguit vnus, inquiens, Deus, ex
8. quo omnia,& nos in ipsum:Et vnus Dominus Iesus Christus,per quem omnia,& nos per ipsum.Aliquando autem vnam exprimit Diuinitatem,quoniam,inquiens, ex ipso, & per ipsum,& in ipsum omnia,nimirum per ipsum spiritum,quemadmodum in multis scripturæ locis declaratur.

Eiusdem ex oratione in Arianos, in qua & de se ipso loquitur.

NOs autem adoramus patrem,& filium,& spiritum sanctum,patrem Deum,filium Deum, & spiritum sanctum,nisi molestè fers,Deum. Naturam vnam in tribus proprietatibus, quæ mente percipiuntur, perfectæq́; sunt,& per se constant.Quæ numero quidem distinguuntur, diuinitate verò diuidi nequeunt.Has mihi voces concede tu,qui hodie minitaris,reliqua qui volũt, curent. Non patitur in filio pater iacturam fieri, nec filius in spiritu sancto.Fieret autem iactura,si essent creati.Quod enim creatum est,Deus non est.Non fero, inquis, perfectionẽ imminui.neq; ego.Vna fides, vnus Dominus, vnum ba-
4. ptisma.Si ab hoc excidero,vbi nanciscar alterum? ecquid dicitis vos,qui baptizatis,aut rebaptizatis?Licet ne esse spiritalem sine spiritu?Aut particeps spiritus est, qui spiritum non colit?Aut spiritum colit is,qui in nomine creati, conseruiq; spiritus baptizatur?Minimè verò. Nunquam dices tam multa,vt à vera sententia discedam.Non fallam te, pater expers principii.Non fallam te, Verbum vnigenitum. Non fallam te,sancte spiritus. Quid confessus sim, quem deseruerim,quem sequutus sim,memini. Non committã, vt qui magistri fidelis voces edoctus sum,discipulus sim infidelis:qui veritatem confessus sum,amplectar mendaciũ: qui vt perfectus euaderem,veni, reuertar longe, q̃ veneram,imperfectior:qui vt vitam assequerer, sum baptizatus,in aqua mortem inueniam,instar eorũ, qui in ipso partu moriuntur,& obitum cum ortu coniungnnt. Quid me eodem tempore beatum facis,& miserum?lucidum, & obscurum?pium,& impium?an vt spem regenerationis amittam?Verùm,vt paucis rem concludam. Esto confessionis memor.In quem baptizatus es?in patrem:Bene, sed iudaicum idest adhuc.In filium.Rectè,neq; enim hoc amplius iudaicum,attamen nondum perfectum. & in spiritum sanctum.Optimè,perfectum istud iam est.Cæterùm agè, nũ in hos simpliciter,an aliquod est etiam horum commune nomen.Quidni? ecquod illud est? Deus. In hoc nomen commune crede,in cede,& regna,& ascendes hinc ad cœlestem illam felicitatem,quæ, vt mihi quidem videtur, nihil aliud est,nisi expressa horum comprehensio.

Ex oratione,quã habuit in conspectu centum quinquaginta Episcoporum.

VErùm vt hæc singula breuiter percurramus, is, qui sine principio est,& is,qui principium est,& is, qui cũ principio est,sunt vnus Deus. Nec illius, qui est sine principio,natura in eo sita est, ꝙ sine principio,aut ingenitus sit.Nulla nanq; natura constituitur ex eo, ꝙ hoc, aut illud non sit,sed ꝙ hoc sit.Est enim positio illius, quod est,non autem ablatio illius,quod non est.Neq; principiũ ex eo,quòd principium est, ab eo, qui sine principio est, diuiditur.Neq; enim natura principium est, quemadmodum nec eius natura,qui principium non habet, est illud ipsum,quod vacat principio. Hæc enim,nempe,sine principio esse,& esse principium,ad naturam spectant,nõ autem naturæ sunt.Illud etiam,nimirum esse cũ illo, qui principio vacat,& cum eo qui principium,itidem habet. Nomen verò illius,qui non habet principium est pater. Eius autem qui est principium,filius.At illius, qui cum principio est,spiritus sanctus.Horum trium vna natura. Vnitas pater,ex quo sunt,& ad quem referuntur reliqui,non vt in vna confundantur persona,sed vt sic inter se vicissim habeant,cùm id nec tempus,nec voluntas, nec potestas impediat,quæ solét esse causæ,cur nos in multa distrahamur, nec solúm ab aliis,verùm etiam à nobis ipsi distemus. At quorum natura simplex est,ij & idem esse,& vnũ esse propriè dicuntur. Contentiosas verò in alterutram sermonis parté declinationes,compensationesq́; valere iubeamus. Ne vel in vno contra tres Sabellium secuti improba contractione distinctionem euertamus: vel in tribus contra vnum Ario fauentes diuisione praua vnitatem dissoluamus.Non enim malum malo commutare quærimus,sed à bono non aberrare. Illud enim ludicrum improbi cuiuspiam sit,male res nostras expendentis. Itaq; nos per mediam,ac regiam incedentes viam, in qua virtutum etiam graditur chorus,vt asserunt illi,qui in eiusmodi studio præstant,credimus in patrem, & filium, & spiritum sanctum, eorumq́; vnam & eandem naturam esse dicimus & dignitatem.In his & baptisma perfectionem habet,& in nominibus,& in rebus.Abnegas enim, vt nosti tu, qui initiaris, impietatem illorũ,qui filium,aut spiritum volũt esse Deũ, quiq́; patrem,& filium,& spiritum commiscent atq; confundunt,& distinctam,atq; vnam diuinitatem confiteris. Quem igitur natura vnũ agnoscimus & adoramus, in tres Hypostases,siue personas, si cui ea vox magis placet, ita distinguimus.Neque enim qui de eiusmodi vocibus digladiantur,se,cùm idem sentiant, vicissim debent insectari, perinde quasi pietas in verbis,ac non in rebus ipsis consistat. Quid enim dicitis vos, qui tres affertis Hypostases? Num tres esse naturas existimatis?respondete.Scio vos esse reclamaturos,siquis ita de vobis suspicetur.Quid autem vos,qui personas adducitis,vnumne quippiam compositum,& tribus præditum personis,& hominis omnino faciem præferens confingitis.Apagè,vos item valde reclamaturos scio.Nullam enim eiusmodi esse personam Dei. Quid ergo vestræ vobis volunt Hypostases?aut rursum vestræ vob is personæ?Vos enim iterum interrogbabo. Nonnè ita tres esse, vt non natura diuisi, sed proprietatibus distincti sint?Optimè.Quomodo possint aliqui magis inter se conuenire,& idem dicere,q̃ qui ita sentiunt,licet verbis & vocabulis discrepent?cernitis,qualem me vobis conciliatorem præbeam?Quo pacto à verbornm significatione ad ipsam rem,eundemq́; sensum tum veterem, tum nouam opinionem deducam?sed redeundum ad propositũ. Alius ergo & dicatur,& sentiatur ingenitus: alius genitus, alius procedens,siquis fingendis vocabulis delectetur.Nõ enim vereor,ne qui sunt expertes corporis ratione corporea cogitentur, vt putant ij, qui diuinitatem calũniantur. Quæ autem creata sunt,dicantur illa quidem esse Dei. Nã illud etiam magnum à nobis existimatur: sed nihil, quod creatũ sit,omnino dicatur Deus.Aut tunc assentiar, quod creatum sit, esse Deum.cùm ego quoque propriè & verè Deus extitero.Sic enim res habet.Si Deus est,non est creatus,hoc enim in nos,qui Dei non sumus,cadit: sin creatus est,non est Deus.Nam tempore aliquo cœpit esse. Quod esse cœpit,aliquando non fuit.Quod autem verè non est,

id quomodo Deus? Nihil igitur, quod creatum est, horum trium vllum esse potest. ac multo minus, quod ab homine factum est, cùm non modo creatum sit, sed etiam vilius homine, qui illud fecit. Nam si homo ad gloriam Dei factus est, opus autem hominis ad eius vtilitatem, (exempli gratia, Amussis vt currus fiat, & serra, vt ostium ad communem hominum vsum) nimirum homo superior est. Quanto enim Deus rebus à se procreatis, tanto itidem homo rebus à se confectis est præstantior.

Ex oratione de spiritu sancto.

EQuidem cùm attentiore animi studio mecum ipse multa considerarem, & vndiq; rationem dirigens aliquam tantæ rei similitudinem indagarem, nihil eorum, quæ infra sunt posita, inueni, cui meritò posset divina natura comparari. licet enim aliquid ei in aliqua parte simile videat, maiori tamen ex parte dissimile est, meq; simul cum ipso exemplo deorsum trahit. Considerabam oculum (sic enim appello fontis caput) & fontem, & fluuium, cogitabamq; num primo pater, alteri filius, tertius spiritui proportione responderet. Quandoquidem hæc nec tempore distant, nec continuum. ac mutuum inter se nexum dirimunt, & tribus quodammodo videntur distingui proprietatibus. Sed ille me timor incessit, primum ne quendam diuinitatis fluxum admitterem nullam in se firmitatem continentem: Deinde, ne vnum numero introducerem. Oculus enim, & fluuius vnum numero cum sint, figuram diuersam retinent. Rursum consideraui solem, radium, & lucem. Verùm & hic obortus est metus, primum, ne, vt solis, & eorum, quæ sunt in sole, sic incompositę illius naturę compositio esse aliqua videretur. Deinde, ne patris essentia constituta filium, & spiritum non subsistentes arbitraremur, sed Dei suspicaremur esse facultates, qua non subsisterent, sed inhærerent. Neque enim radius, & lux est alius sol, sed à sole quidam veluti manentes riui, & quędam illius eẽntiæ qualitates. Præterea verebar, ne, quod iis, quæ dicta sunt, absurdius est, Deo per hoc exemplum simul & esse, & non esse tribueremus.

Item de patris, & filii, & spiritus sancti distincta simul & unita diuinitatis ratione Gregorii Nyssæ Pontificis ex oratione contra Ablauium.

CVm & patrem Deum, & filium Deum, & spiritum sanctum Deum esse fateamur, cur non dicimus tres Deos, sed vnum Deum? Primùm, vt quod in promptu est, respõdeamus, ne multiplicem Deorum turbam à Græcis confictam introducamus. Deinde, siquid elegantius, magisq; reconditum dicẽdum est, quoniam nomen hoc, Deus, actionem significat, à verbo enim θέειν deductum est, quod passim currat. vel à verbo θεοῦσθαι, quòd cernat omnia. vel à verbo αἴθειν, quòd improbitatem exurat, ac perdat. Quemadmodum igitur vnaquæq: persona talem actionem perfectam habet, sic nomen actionem illam significans obtinet, vt & sit, & appelletur Deus. Rursus quemadmodum vna, atque incommutabilis in tribus est actio, sic etiam est vna diuinitas, & vnus Deus in tribus personis. At enim, inquies, Petrus, & Paulus, & Ioãnes tres personæ cùm sint, dicuntur etiam tres homines. Respondeo, primum nos & hic abuti hominis vocabulo, cum eo tres homines appellamus. Siquidem homo, & humanitas vniuersum quiddam significant, quod singularia complectatur. Deinde illud adiungo, nomen hoc rei naturam explicare. In trinitate verò, quæ creata non est, nullum inueniri nomen, quod eius naturam declaret. At cur, cùm personas singulas appellemus Deum, non etiam earum singulas diuinitatem appellamus? Quoniam quemadmodum licet homo, & humanitas pariter de vniuersis dicantur, non tamen æquè dicuntur de singulis: Socrates enim homo dici potest, humanitas autem nequaquam potest: sic etiam Deus, & Diuinitas habent. Deus enim agentem significat, Diuinitas autem actionem. Trium verò personarum nulla est, quæ sit actio, sed agens potius est vnaquæq; illarum. Dicimus tamen Diuinitatem Patris, & diuinitatẽ filii, & diuinitatem sancti spiritus, sicut humanitatem Socratis, & essentiam, & naturam, & siquid aliud est personis commune.

Eiusdem ex oratione ad Euagrium Monachum de Diuinitate.

QVemadmodum inter cogitationem, & mentem, & animum nulla diuisio, aut sectio potest inueniri, sic nulla inter sanctum spiritum, & filium, & patrem sectio, aut diuisio cogitari potest. Intelligibiliũ enim diuinarumq; rerum natura est indiuisibilis.

Ex eadem oratione.

SIcut in solis splendore radii naturali quodam habitu ita coniuncti sunt, vt diuidi inter se nequeat, nec ab ipsa luce separari, sed luminis gratiam ad nos vsque deferunt: sic filius, & spiritus sanctus, tanquam gemini patris radii, & cum ipso coniuncti sunt patre, & ad nos vsq; veritatis demittant lumen. Et quemadmodum ab vno aliquo aquarum fonte bina flumina decurrunt, & cùm situ quidem fluenta diuidant sua, vnam tamen, & eandem humoris obtinent qualitatem, & neque disiunguntur à fonte, & inter se per ipsum coniuncti sunt, & propria tamen vtrũq; ratione defluit. Eodem modo & prima illa causa, nempe pater, & vitæ fons duplicem quandam filii, & sancti spiritus in nos gratiam emittit, nec ipse quicquam essentiæ suæ damni facit: Nulla enim propter eorum ad nos perfectionem illius sequitur imminutio: Et hi cùm ad nos vsque perueniant, non tamen à patre separantur.

Item de patre, & filio, & spiritu sancto, distincta simul & vnita diuinitatis ratio. Sancti Cyrilli expositio fidei.

CRedimus in vnum Deum patrem, qui nec principiũ habet, nec genitus est, & semper fuit pater, nec postea id assecutus est. Neque enim fuit vnq̃, cùm non esset, sed ex omni æternitate pater est Neque prius factus est filius, deinde pater, qualis est in corporibus ordo, sed ex quo est, semper autem est, pater & est, & appellatur. Credimus & in vnum filium genitori coæternum, qui nunquam cœpit esse, sed semper est, & cum patre est Ex quo enim est pater, semper autem est, ex eo & filius est. Hæc enim tam nomina, q̃ ipsæ res ita copulantur inter se, vt separari non possint. Quòd si filius non semper fuit, sed fuit aliquando, cùm non esset, nec pater fuit semper, ex quo enim generauit, hoc habet nomen. Sin autem semper est pater Deus (nefas enim est, temporis authorem ipsi tempori subiicere, & temporis spatio posteriorem pronuntiare generationem illam, quæ siue tẽpore est, & superat om-

ne tempus)semper est filius. Ex patre quidem ea ratione genitus, quæ verbis explicari non potest, cũ patre semper est,& vnà cũ patre cognoscitur. In principio, inquit, erat
n. 1. verbum,& verbum erat apud Deum,& Deus erat verbũ. Hoc erat in principio apud Deum. Quod autem in principio est, quando non est? Neq: enim dixit: In principio factus est: sed, in principio erat. Si ratione conemur superare illud: erat: tunc esse non poterimus in principio. Omnia posteriora sunt illo, qui est in principio, & apud Deum est, & tempus,& æuum,& siquod aliud cogitari potest temporis spatium. Quòd si non fuit semper cum Deo,& patre filius, sed postea factus est, necessarium erit, vt tempus, & æuum, aut aliquod spatium inter patrem & filium intercedat. At si id concesseris, ea, quæ facta sunt, effectore priora
. 1. ra esse reperientur: Omnia enim, inquit Euangelista per filium facta sunt, & sine ipso ne vnum quidem factum est. Vnum autem ex omnibus est æuum,& tempus. Et Beatus
1. Apostolus, nouissimis, inquit, diebus locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem omnium, per quem fecit & secula. Quare si secula sunt opera filii, non sunt ante effectorem suum. Quòd si secula non sunt ante, ne tempus quidem illud, quod dies & noctes efficiunt, atque metiuntur. Nam dies,& noctes lucis exortu, occasuq; fiunt. Lux verò post cœlum,& terram,& aera facta est, quæ quidem omnia Deus Verbum voluntate patris fabricatus est. Quamobrem cùm tempora, & secula cum reliquis omnibus rebus à Deo verbo facta sint, nihil erit medium inter patrem & filium, sed semper Deus pater,& semper cũ patre filius.
.1. Itaque, In principio, clamat Euangelista, erat verbum. Et Paulus Apostolus, qui cum sit, inquit splendor gloriæ, &
1. figura substantiæ. Et alibi, qui cùm in forma, inquit, Dei
. 2. esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Voces illæ: erat, sit, esset, illum semper esse declarant. Quocirca paulo post ait Euangelista: Vita erat, & vita erat lux hominum. Et rursum: Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in mundum. Et rursum: Vnigenitus
1. filius, qui est in sinu patris. Et in Epistolis, qui erat, inquit, ab initio. Ita de Vnigenito Dei Verbo philosophari à diuino spiritu edocti sunt illi, qui ab initio Verbi fuerunt inspectores & ministri. Quapropter non in eorum, quæ creata sunt, numero. creatorem ipsorum: nec in eorum numero, quæ facta sunt, ipsorum effectorem constituerunt, nec germanum Dei filium vllo modo creatum appellauerũt. Nec voces illas: factum est, cum diuinitate coniunxerunt. Sed has In principio erat Verbum. Et illas: qui cùm esset splendor gloriæ,& figura substantiæ. non autem has: Qui cùm factus esset splendor gloriæ, & figura substantiæ. Itemq;: qui cùm in forma Dei esset. Non autem: qui cùm in forma
p.2. Dei factus esset. Et alibi, qui est imago Dei inuisibilis. Nõ
1. dixit: qui factus est imago Dei inuisibilis, sed, qui est. Atq; ita Diuinitatis rationi passim coniunctum est illud: erat. Et illud: cum sit. Et illud: cum esset. Et illud: est. Quin etiam
3. ipse Deus cum Magno Mose loquẽs ita se appellauit, ego, inquiens sum, qui sum. Et rursum, hæc, inquit, dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos. Hæc autem esse filii verba concedunt etiam impietatis execrandæ propugnatores, qui patrem quidem inseparabilem statuunt, sed medium inter patrem,& res creatas filium locant, eumq; Patriarchis & Prophetis apparuisse,& locutum esse dicunt, sed ipse Deus Verbum per Hieremiam verbis id nos perspicuè
. 31. docet, cùm ait: In diebus illis, & in tpe illo feriam domui Israel.& domui Iuda testamentum nouum, nõ secundum testamentum, quod tuli patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti.

Quæramus igitur, quis testamentum nobis hoc nouum dederit. Nónne constat id nobis Dominum Christum attulisse? Ipse enim in sanctis Euangeliis clamat: Dictum est antiquis: Non occides: Ego autem dico vobis: Omnis qui temerè irascitur fratri suo, reus erit iudicii. Dictum est anti- Matt. 5.
quis. Non peierabis. Ego autem dico vobis, ne iuretis omnino. Et alia horum similia præscribit, his vtens verbis: Dictum est antiquis id: ego autem hoc dico. Sic autem impero, non vt latas iam leges euertam, & abrogem, sed vt eas stabiliam, atque confirmem, & qua ratione obseruandæ sint, doceam. Nouum ergo testamentum tribuit nobis Dominus Christus, qui autem hoc tribuit, is vetus etiam dedit Israeli post eius liberationem ex Aegypto. Qui verò illud dedit,& populum ab Aegyptiaca seruitute liberauit, ipse nimirum Mosen ad Pharaonem misit, ipse dixit: Hæc dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. Hoc autem & alibi Hieremias planum facit, Hic, inquiens Deus noster, & non comparabitur alter cum eo. Inuenit omnem viã scientiæ, & dedit illam Iacob puero suo, & Israeli dilecto suo. Bar. 3.
Post hæc in terra visus est,& cum hominibus conuersatus. Ab eo, quod posterius est, incipientes propheticum sensum inuestigabimus. Ecquis ille, qui in terra visus est,& cũ hominibus est versatus. Deus profectò Verbum, vt omnibus mente quidem præditis patet, qui naturam nostram assumpsit, nec rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo, Philip. 2.
sed se ipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Hic vtiq; viam scientiæ demonstrauit Iacob puero suo, & Israeli dilecto suo, dum antiquam per Mosem in solitudine legem tulit. At illam qui tulit, idem Mosi loquens, hæc, inquit, dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos. Proinde sic etiam Exo. 3.
clamabat Propheta: Hic Deus noster,& non comparabitur alter cum illo. Quibus verbis eum esse talem testatur, Bar. 3.
non qui minor sit, sed cui nullus comparetur. Cernitis, quo modo Euangelicæ doctrinæ congruant prophetica testimonia? Moses prædicat, qui est. Immò verò ipse Deus Verbum de se ipso dicit, qui est. Paulus sæpe dicit illud: ὤν, nempe qui est. Addit etiam illud: ὑπάρχων, quod idem valet. Dicit etiam illud; ἐστί, quod superioribus vocibus æqualem vim habet. Easdem voces Ioannes ille Theologus cũ spargit atq; dissemiat in tota Euãgeliorũ historia: tũ ipm procœmium illis potissimum illustrat. Neq; enim semel, aut bis, aut ter, sed sæpius pronuntiat illud: erat, In principio, inquiens, erat Verbum, & Verbum erat abud Deum, & Ioan. 1.
Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Credimus & in spiritum sanctum illum rectum, principem, bonum, cõsolatorem, ex Deo procedentem, Non genitum: Vnus enim est Vnigenitus. Non creatum. Nusquã enim in diuina scriptura inuenimus, eum in rerum creatarum numero positum, sed ordine cum patre,& filio constitutum. Audiuimus item illum à patre procedere. Quomodo autem procedat, curiosius vestigando non laboramus. Sed Ioan. 15.
intra terminos nobis à theologis,& beatis viris prescriptos acquiescimus. Quinetiam ab ipso Seruatore nostro Iesu Christo didicimus, à sancto spiritu trinitatem expleri. Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris,& filii,& spiritus sancti. Qui cum patre, & filio Matt. 28.
connumeratur, is vtiq; rebus creatis omnibus antecellit. Quamobrem Paulus etiam in eo constanter manet, vt spiritum ipsum cum patre,& filio simul pronuntiet. Gratia, inquit, Dñi nostri Iesu Christi,& cõicatio sancti spiritus cũ 2. Cor. 13
omnibus vobis. Et rursum, Diuisiones, inquit, gratiarum 1. Cor. 12
sunt, idem aũt spiritus,& diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & diuisiones operationum sunt, idem aũt Deus, qui operatur omnia in omnibus. Eius verò

essentiam declarans clamabat, hæc autem operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis peculiariter, prout vult. Non enim vt iussus est, sed vt vult, credentibus dona distribuit. Ná per ipsum veniã pctõrum accepimus. Per ipsum libertatem assecuti sumus: Per ipsum adepti sumus gratiam adoptionis. Non enim accepimus, inquit Paulus spiritum seruitutis iterum in timorem. Sed accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater, Et spiritus, inquit, vitæ liberauit me à lege peccati, & mortis. Et alibi, Dominus autem est spiritus, vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Iam qui alios liberos reddit, ipse non seruit. Quomodo enim conseruis dedisset, quod ipse non habet, quod assequi nequit, quo frui cupit ille quidem, sed nõ potest? Qui libertatem credentibus elargitur, & seruientes liberos efficit, is profectò non seruit, sed dominatur, & iure dominatus, quos vult, libertate donat. Quamobrẽ & beatus Paulus, hæc, inquit, omnia operatur vnus atq; idem spiritus diuidens vnicuiq; peculiariter, vti vult. Iccircò & Propheta in veteri testamẽto potestatem ipsius significãs clamabat: Dominus misit me, & spiritus eius. Et Deus Iudæos accusans, fecistis, inquit, consilium, sed non secundum me, & fœdera sed non per spiritum meum. In quo socium imperii spiritum sanctum esse declarat. Et alio loco, cur ego, inquit, vobiscum sum? & spiritus meus constitit in medio vestri? At Iob effectorem ipsum & principem, non autem ministrum, aut factum credens, spiritus, inquit, diuinus fecit me, & flatus omnipotentis edocet me. Quòd si humanam naturam fabricatus est, eãdem, quam pater & filius essentiam habet. Nam cúm hominem faceret. Deus, faciamus, inquit hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Quorum autem vna est imago, eorum profectò vna est etiam essentia.

(Rom. 8. Ro. 8. 2. Cor. 3. 1. Cor. 12 Esa. 48. Iob. 33. Gene. 1.)

Item de patre, & filio, & spiritu sancto distincta, simul, & vnita Diuinitatis ratio. Sancti Maximi.

VNus Deus, vnius filii pater. & spiritus vnius sancti fons, vnitas minimè confusa, & minimè diuisa trinitas. Mens sine principio, solius solus per essentiam Verbi principio carentis genitor. Et solius æternæ vitæ spiritus sancti fons.

Eiusdem.

VNus Deus, quoniam vna Diuinitas simplex, & sine principio, & partitionis, & diuisionis expers. Et tota Trinitas eadem, Vnitas tota secundum essentiam eadem. Et Trinitas tota secundum personas eadem. Pater, & filius, & spiritus sanctus ipsa Diuinitas est. Et in patre, & filio, & spiritu sancto est ipsa Diuinitas. Tota in toto patre ipsa est: Et totus in ipsa tota pater est. Et tota in toto filio est ipsa: Et totus in ipsa tota filius est. & tota in toto spiritu sancto est ipsa: Et totus in ipsa tota est spiritus sanctus. Non enim ex parte Diuinitas est in patre: nec pater ex parte Deus est. Neque ex parte in filio Diuinitas est: Nec filius ex parte Deus est. Neque ex parte in spiritu sancto Diuinitas est: nec spiritus sanctus ex parte Deus est. Nam neque Diuinitas secari potest: neque pater, aut filius, aut spiritus sanctus Deus est imperfectus. Sed tota est ipsa, & perfecta, perfectè, in perfecto patre. Et tota est ipsa, & perfecta, perfectè, perfecto in filio, Et tota, perfectaq;, & perfectè, est ipsa perfecto in spiritu sancto. Nam totus in toto filio, & spiritu sancto perfectè est pater. Et totus in toto patre, & spiritu sancto perfectè est filius. Et totus in toto patre, & filio perfectè est spiritus sanctus. Quandoquidem vna eademq; essentia, & potentia, & actio est pater, & filius, & spiritus sanctus, cùm nullus eorum ab altero separatus aut sit, aut cogitetur.

Vnum est, quod principium & essentiam exsuperat, bonum, sancta trium personarum vnitas, pater, filius, & spiritus sanctus. Trium infinitorum infinita coniunctio, quæ quomõ sit, aut quid sit, aut qualis sit, nulla prorsus res creata potest percipere. Omnem enim intelligentium vincit intelligentiam, & à recondita, atq; intima natura sua non egrediens oẽm oĩum cognitionum notitiam superat.

Eiusdem.

VNam nosse oportet diuinitatis naturã, & vim, nempe Deum vnum, qui in patre, & filio, & spiritu sancto spectetur, vtpote sola sine causa mens, quæ per essentiam subsistit: Et vnius per essentiam subsistentis principioq; carentis Verbi genitor est: Et solius est æternæ vitæ per essentiam subsistentis spiritus sancti fons. In vnitate trinitas, & vnitas in trinitate. Non vna tamen in altera sic est, vt vel in vnitate Trinitas, tanquã in essentia accidens sit: vel contra in trinitate vnitas. Est enim expers qualitatis. Neque vt alia, atque alia. Siquidem naturæ diuersitate nõ differt à trinitate vnitas, cùm simplex sit, atq; vna natura. Neq; vt vna sub altera. Nam potentiæ summissione distincta non est ab Vnitate trinitas. aut vnitas a Trinitate, nec, vt commune aliquod, aut genus vniuersum, & quod sola cogitatione comprehendatur, distat à partibus, formisq; suis, ita differt à trinitate Vnitas, cùm sit essentia propriè p se, & potẽtia per se verè pollens. Neq; vt vna per alteram. Nullo enim habitu medio copulatur, tanquam causa cum eo cuius est causa, id, quod omnino idem est, atque habitu caret. Neq; vt vna ex altera: non enim per accessionẽ præcessionemve trinitas est ab Vnitate, cùm sit ingenita & p se existat. Sed vt quæ eadem re vera Vnitas, & trinitas dicitur, & intelligitur, Vnitas quidem ratione essentiæ, trinitas autem modo, quo existit. Tota Vnitas eadem distincta personis. Et tota Trinitas eadem non vnitate confusa. Ne vel diuisione introducatur Deorum multitudo, vel confusione Diuinitas euertatur.

Eiusdem.

SOla simplex, & vniformis, & nullius egens, & immutabilis est effectrix illa rerum omnium sanctæ trinitatis essentia. Omnes autem res procreatæ essentia constant, & accidentibus, & diuina semper indigẽt prouidentia, quippe quæ non sunt à mutationibus liberæ. Nec accidens igitur de Deo nec qualitatem oportet dicere. Hæc enim in res compositas & mutabiles cadunt. At omnia quæ Deus habet, habet natura, nec illi inhærent vt adiuncta & acquisita.

Eiusdem.

IN simplici & infinita trinitatis eẽntia nec habitus, nec aptitudines quæras, ne illam, vti res procreatas compositam esse comminiscaris.

Eiusdem.

EX iis, quæ sunt, eorum causam authoremq; cognoscimus. Ex ipsorum autem differentia discimus existentem in eo, qui est, sapientiam filium. Ex naturali verò eorundem motu existentem in eo, qui est, vitam, potestatem illam, vnde res vitam hauriunt, nempe spiritum sanctum intelligimus.

Eiusdem

Eiusdem ex interpretatione præcationis Dominicæ.

Nomen Dei & patris per essentiam subsistēs est Vnigenitus filius. Et regnū Dei & patris per essentiam subsistens est Spiritus sanctus. Quod enim hoc loco Matthæus regnum dicit, alius Euangelista alibi Spiritum sanctum appellauit, adueniat, inquiens Spiritus sanctus, & nos expurget. Neq; enim pater habet adiectiuum nomen. Nec regnum in ipso tāquam dignitatem aliquam attributam cogitamus. Nunquam enim esse cœpit, vt etiam pater, aut Rex esse posset incipere. Sed cùm semper sit, semper etiam est pater & Rex. Nec initium habuit omnino, vt vel esset, vel pater, & Rex esset. Quòd si semper ita est, vt semper & pater sit & Rex, semper vtique & filius, & Spiritus sanctus per essentiam cum patre simul existunt, cùm & ex ipso sint, & in ipso naturaliter, & supra causam, & rationem, non autem per causam post ipsum sint. Habitus enim, qui habet hanc vim, vt res simul ostendantur, non concedit, vt ea, quorum est habitus, mutuo considerentur.

Eiusdem.

Si verbum procreationem rerum antecedit, nec fuit, nec est, nec erit verbo quicquam antiquius. At verbum nec sine mente est, nec expers vitæ, sed & mētem, & vitam habet, mentem quidem generantem, & per essentiam existentem patrem. Vitam autem per essentiam existentem Spiritum sanctum.

Item de patre, & filio, & Spiritu sancto distincta simul atque unita Diuinitatis ratio Damasceni. Cap. VIII.

Credimus igitur in vnum Deum, principium vnum sine principio, increatum, ingenitum incorruptibile, immortale, æternum, infinitum, nullis terminis, aut finibus circūscriptum, immensa potentia præditum, simplex, incompositum, corporis expers, inexhaustum, perturbationibus vacans, immobile, immutabile, inuisibile, bonitatis, & iustitiæ fontem, lumen intelligibile, inaccessam potestatem, nulla nisi propriæ voluntatis mensura comprehensam. Nāque omnia, quæcunque vult, potest, omnium, quæ creata sunt, seu videantur, seu non videantur, effectrix est, omnia continet, omnia conseruat, omnia prouidet, omnibus dominatur, atque imperat, & infinitum obtinet regnum, atque immortale, cui nihil cōtrarium est: quæ complet omnia, & à nullo comprehenditur, immo verò cuncta complectitur, & continet, & superat: quæ per totas incontaminata naturas permeat, & super omnibus, & ab omni essentia exempta est, vtpote quæ præstat essentiæ, & rebus antecellit, plusquam diuina, plusquam bona, plusquam plena, cuncta principia, ordinesq; definiens. Et omni principio, atque ordine firmior, Essentia, & vita, & ratione, & cognitione præstantior. Ipsa lux, ipsa bonitas, ipsa vita, ipsa essentia. Quod ab alio neque vt sit, neque aliud quippiam habet. Sed ab ipso tanq̃ à fonte omnia quæ sunt, essentiam: quæ viuūt, vitam: quæ ratione sunt prædita, rationem hauriunt. Omnibus denique bonorum omnium est causa. Omnia nouit prius, q̃ fiant. Vna est essentia, vna diuinitas, vna potentia, vna voluntas, vna actio, vna facultas, vna dominatio, vnum regnum. Quod in tribus perfectis personis sine confusione coniunctis, & sine distractione distinctis (id quod mirabile est) ab omnibus rebus procreatis ratione præditis creditur & adoratur. Patrem, & filium, & Spiritum sanctum, in quos & baptizati sumus. Sic enim mandauit Apostolis Dominus, vt baptizarent, baptizantes, ipsos, inquiens, in nomine patris, & filij & spiritus sancti. In vnum patrem omniū principium, & causam, à nullo genitum, qui sine causa est, & solus ingenitus, omnium quidem rerum effector, sed vnius tantum natura pater, vnigeniti nimirum filij sui, Domini autem, & Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi. Et emissor Spiritus sancti. Et in vnum filium Dei vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, ex patre natum ante omnia secula. Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, eiusdē essentię cum patre, per quem omnia facta sunt. Quem cùm ante omnia secula dicimus, sine principio, & tempore genitum indicamus. Neque.n. ex eo, quod non erat, aut esset deductus est filius Dei, qui splendor est gloriæ, & figura essentiæ patris, viuens sapientia, & potestas. Verbum in patre subsistens, per essentiam, & perfecta, & viuēs imago inuisibilis Dei. Sed semper fuit cum patre, & in ipso, æterna ratione, & sine principio ex ipso genitus. Neq; enim pater vnquam fuit, cùm non esset filius. Sed simul pater, simul filius ex ipso genitus. Pater enim sine filio dici non posset. Nam si filium non haberet, non esset pater. Sin postea filium habuisset, postea fuisset pater, cùm antea pater non esset, atque ita fuisset immutatus, vt ex eo, quòd pater non erat, pater euaderet. Quo nihil dici potest grauius, aut magis execrandum. Nam fieri nequit, vt naturali destituatur fœcunditate. Cuius quidem fœcunditatis est, vt ex seipso, hoc est, ex propria essentia similem æqualemq; generet. Quapropter impium est dicere in generatione filij tempus intercessisse, aut essentiā filij post patrem fuisse genitum. Ex ipso enim, id est, ex patris natura filium genitum dicimus. Quòd nisi ab initio cū patre simul existere filium ab ipso genitum concedamus, patris ipsius personam immutabimus, quippe qui cùm pater, non esset, postea pater effectus sit. Nam res procreatę, licet postea factæ sint, non tamen ex Dei essentia, sed ex nihilo, vt essent, voluntate, & potentia ipsius factum est. Nec attingit mutatio naturam Dei. Generatio enim fit, cum ex generantis essentia generatum essentia simile producitur. Creatio autem & effectio non excreantis & efficientis essentia, sed extrinsecus fit, & id, quod creatur, & efficitur, essentia prorsus dissimile est. Solus ergo qui & perturbationis expers est, & immutari inuertiq; non potest, & eodem modo se semper habet Deus, sine perturbatione & gignit, & creat. Etenim cùm natura perturbationibus vacet, nec fluat, nullam neque generando, neque creando perturbationem subit, nullius indiget opera. Sed generatio, cùm naturæ sit ipsius opus, & ab eius essentia proueniat, nullum habet initium, & est æterna, ne is, qui generat immutetur, néue Deus prior, & Deus posterior sit, additionemq; suscipiat. Creatio autem in Deo, cùm sit voluntatis opus, non est Deo coæterna. Etenim quod non erat, & vti esset obtinuit, ei qui nullum habet principium, & semper existit, coæternum esse non potest. Quēadmodum igitur non eodem mō facit homo, quo Deus, cùm homo non possit ex nihilo quicquam efficere, sed ex ante subiecta materia, nec voluntas eius solum præcedat, sed cogitatio, & in animo rei formam, quam facturus est, fingat, deinde manibus ad faciendum aggrediatur, & laborando defatigetur, & sæpe quod sibi ipse proposuit, nō assequatur, cùm res instituta sibi ex sententia nō succedat, Deus aūt voluntate sola ex nihilo fecerit vniuersa: sic etiā non eodem modo generat Deus, quo ipse homo. Deus.n. & tempore, & principio, & perturbatione, & fluxu, & corpore vacans, qui & solus est, & fine caret, sine tpe, sine

Mat. 28.

principio, sine perturbatione, sine fluxu, sine cõmixtione generat. Et eius generatio, quę comprehendi non potest, nec principium, nec finem habet. Ac sine principio quidem, q̃m immutabilis est, sine fluxu autem, quia perturbationis est expers, & corporis, sine commixtione verò, quoniam incorporeus est, & solus Deus, nec alterius indiget. At sine termino, & fine, propterea ꝙ principio caret, & tẽpore, & nunquam desinit, & semper se habet eodem mõ. quod enim principio vacat, vacat & fine. Quod autem per gratiam fine caret, non continuo caret etiam principio, quales sunt Angeli. Generat igitur, qui semper est, Deus, verbum suũ perfectum, sine principio, & sine fine, ne, qui tempore antiquiorem naturam, & essentiam obtinet, in tempore pariat. Homo vero q̃ diuersa ratione generet, ex eo perspicuum est, ꝙ ortui & interitui est obnoxius, ꝙ fluit, repletur, & corpore indutus est, naturaq; marem, & fœminã continet. Mas enim fœminæ eget auxilio. Verum propitius sit, qui his oĩbus superior est quique præstantior, q̃ vt vlla cogitatione comprehendi queat. Docet igitur sancta, & catholica, atque Apostolica Ecclesia simul patrem, & simul vnigenitum eius filium, ex ipso genitum, sine tempore, sine fluxu, sine perturbatione, ratione quadã, q̃ intelligentia non assequitur, & solus ex omnibus rebus nouit ipse Deus. Quẽadmodum simul est ignis, & quæ ab igne lux proficiscitur. Neq; prius est ignis, post autem lux, sed simul sunt, Et quemadmodum lux, cùm ab igne generetur, semper in ipso est, nec vllo modo ab ipso separatur: sic filius à patre generatur, nec omnino ab eo seiungitur, sed semper in ipso est. Illud tamen in his discrimen apparet, quod lux quãuis ab igne gignatur, & ab eo nequeat separari, sed in ipso semper maneat, propriam tamen non habet ὑπόστασιν, præter illam, quam habet ignis, cuius ipsa lux est qualitas naturalis. Filius autem Dei vnigenitus, ita natus ex patre, vt ab eo nunquam separatus, seiunctusúe fuerit, & in illo semper manens propriam habet hypostasim præter eam, quam pater habet. Verbum dicitur, & splendor, quia sine commixtione, sine fluxu, sine seiunctione genitus est à patre. Filius autem, & figura paternæ substantiæ, quia perfectus est, & in ipso patre per se subsistit, & illius in omnibus similis est, excepto, quòd non est ingenitus. Vnigenitus verò, quoniam ex solo patre tantum genitus est. Nulla enim alia generatio filij Dei generationi similis est, quia nec alius est filius Dei. Quãuis enim & Spiritus sanctus à patre procedat, id tamen non fit per generationem, sed per processionem. Hic est alius existendi modus, qui non magis intelligi comprehendiq; potest, quam ipsa filij generatio. Itaque ipsius sunt omnia, quæ pater habet, præter id, quòd non est ingenitus, quo tamen non essentiæ differentia, nec dignitas, sed existendi ratio declaratur. Quemadmodum & Adam, qui non est genitus, est enim figmentum Dei: & Seth, qui genitus est, est enim filius Adam: & Eua, quæ ex costa ipsius Adam processit, cùm pariter sint omnes homines, non natura, sed existendi ratione inter se differunt. Ac quemadmodum animalia licet differant inter se, quòd alia ex nihilo creata sint, alia ex animalibus genita, ipsa tamen prima animalium genera inter se conueniunt, quòd quãuis ingenita sint, quia non aderant alia animalia, ex quibus generari possent, non tamen increata sunt, sed omnia creata verbo Dei, à quo ex nihilo facta sunt, sic tres illæ plus quam Diuinæ sanctæ Diuinitatis personæ, quãuis in eo conueniant, quòd omnes increatæ sunt, eo tamen differunt, quòd non sunt omnes ingenitæ. Nam solus pater ingenitus est, non enim ab alia habet hypostasi, vt sit. Et solus filius est genitus, ex patris enim essentia sine principio, sine tempore, sine fluxu genitus est. Et solus Spiritus sanctus ex patris essentia est, non tamen genitus, sed procedens. Sic enim diuina docet scriptura. Generationis verò processionisque ratio comprehendi non potest. Illud præterea sciendum est, paternitatis, & filiationis, & processionis nomen non ad beatam Diuinitatem à nobis, sed ab ea ad nos fuisse translatum: sic enim ait Diuus Apostolus: Propter hoc flecto genua mea ad patrem, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra. At cùm patrem filij principium esse, & filio maiorem dicimus; non significamus, eum filio, per quem fecit. & secula, tempore, naturáue præstare, aut alia re vlla, nisi causa, quòd nimirum à patre filius sit genitus, non autem à filio pater, quodque filij pater sit author naturaliter, sicut etiam dicimus ab igne lucem, non autem ignem à luce proficisci. Proinde cùm audiemus, patrem esse principium filij, aut maiorem filio, vt causam intelligamus. Et quemadmodum non dicimus, aliam esse ignis, aliam lucis essentiam, ita patris, & filij non diuersam essentiam, sed vnam eandemque dicimus. Et cùm ignis propter lucem ab ipso proficiscentem cernatur, lucem non instrumentum, igni, vnde prouenit, seruiens, sed eius naturalem potius potentiam asserimus, sic affirmamus patrem, quæ facit, omnia facere per vnigenitum filium suum, non vt per instrumentum ipsi ministrans, sed vt per naturalem & eiusdem essentiæ potestatem. Et quamuis dicamus ignem illustrare, dicimus tamen & lucem illustrare, sic omnia, quæ pater facit, facit & filius. Verùm hoc interest, quòd lux propriam & ab ea, quam habet ignis, diuersam hypostasim non habet. Filius autem perfecta hypostasis est, à patris hypostasi non separatus, vt ante declarauimus. Fieri enim non potest, vt in rebus creatis exemplum reperiatur, quòd perfectè rationem exprimat sanctæ Trinitatis. Quomodo enim quæ creata sunt, & composita, & fluxa, & mobilia, & definita, & caduca, & figuram habent, diuinam illam naturam, quæ est ab istis omnibus affectionibus libera, quæque omnem essentiam superat, effingere valeant atque explicare? Quòd autem his, & pluribus etiam perturbationibus sint obnoxiæ res omnes procreatæ, quodque ad interitum tendant, nemini dubium est. Similiter credimus & in vnum Spiritum sanctum, Dominum, & viuificantem, qui ex patre procedit, & acquiescit in filio, & cum patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, vt eiusdem essentiæ, & coæternus. Qui Dei spiritus est, & Christi spiritus, & principalis, vitæ fons & sanctitatis, qui Deus cũ patre, & filio, & est, & appellatur, increatus, plenus, opifex, omnipotens, infinitæ potentiæ, rebus omnibus creatis imperans, nullius eorum parens imperio. Qui implet, nõ impletur: largitur, non accipit: sanctos facit, non sanctus efficitur, qui consolator est, & omnium consolationes complectitur, in omnibus patri & filio similis, à patre procedit, & per filium communicatur, & ab omnibus rebus creatis accipitur. & per se creat & facit, & continet omnia, qui subsistit, siue in propria hypostasi existit, nec à patre, & filio propter mutuam inter se coniunctionem separatur, aut seiungitur. Et habet omnia, quæ pater, & filius habent, nisi quòd nec ingenitus, nec genitus est. pater enim est sine causa atq; ingenitus, quippe qui à nullo habet, ne à se ipso quidem, vt sit, neq; est eorũ, quæ habet aliquid, sed ipse potius est principiũ, & causa rerum omnium, vt sint, & quõ sint. Filius autem à patre est, non alia rõne, sed genitus. At Spiritus sanctus & ipse quidem est à

est à patre, verùm non genitus, sed procedens. Quo autem pacto inter se differant gigni, & procedere, intelleximus. Quæ verò differentiæ sit ratio, aut æqualis sit filij ex patre generatio, aut Spiritus sancti ex patre processio, nullo modo possumus intelligere. Quæcunque igitur habent filius, & spiritus, habent a patre, etiam illud ipsum, quòd sunt. Nam, nisi pater sit, nec filius est, nec Spiritus sanctus. Et nisi pater aliquid habeat, nec filius habet, nec spiritus. Et propter patrem, id est, quoniam pater est, est etiam filius, & spiritus. Et propter patrem habent filius & spiritus, quæcunque habent, hoc est, quoniam habet illa pater. Excipimus esse ingenitum, & esse genitum, & procedere, quibus solis notis & proprietatibus inter se differunt tres illæ sanctæ Hypostases, siue personæ, nec essentia, sed propriæ hypostaseos seu personæ signo, & nota distinguuntur. Dicimus autem vnumquéque ex tribus habere perfectam hypostasim, ne ex tribus imperfectis compositam naturam vnam perfectam, sed in tribus perfectis personis vnam essentiam perfectionem oẽm superantem, & præcedentem cognoscamus. Quod enim ex imperfectis constat, compositum omnino est. Ex perfectis autem personis fieri non potest compositio. Quamobrem nec speciem dicimus ex personis, sed in personis imperfecta autem dicuntur, quæ rei perfectæ speciem non conseruant. Lapis enim, & lignum, & ferrum, per se quidem singula perfecta sunt, ex propria nimirum natura considerata. At si considerentur in ædificio, quod ex ipsis confectum est, sunt imperfecta. Nullum enim ipsorum est per se domus. Quocirca perfectas personas dicimus, ne compositionem in natura diuina cogitemus. Compositio enim dissensionis initium est. Tres rursus personas inter se mutuas vnum dicimus, ne Deorum multitudinem introducamus. Ex eo, quòd tres sunt personæ, nullam adesse compositionem, aut confusionem, quòd autem eiusdem essentiæ, atque inter se mutuæ, nec voluntatem, nec actionem, nec virtutem, nec potestatem, nec motionem, (vt ita dicam) diuisam, sed eandem esse, vt Deum vnum esse, cognoscimus. Vnus enim verè Deus est, Deus, & verbum, & eius spiritus. Scire autem oportet, aliud esse, re ipsa aliquid intueri, aliud animo, & cogitatione complecti. In omnibus enim rebus procreatis re ipsa diuisæ cernuntur hypostases. Nam Petrus à Paulo re separatus perspicitur. Communitas autem, & coniunctio, & vna eorum species animo cogitationeq; comprehenditur. Petrum enim & Paulum eiusdem esse naturæ, & communem atque vnam habere naturam, ipsa mente percipimus. Siquidem vterque eorum animal est ratione præditum, & mortale. Et eorum vterque caro est animata animo ratione menteq; insigni. Ipsa igitur natura communis animo concipitur. Hypostases nãque non sunt in seipsæ mutuo. Sed vnaquæque priuatim, & singulariter, & per se est separata cùm illi adsint plurima, quibus ab aliis distinguatur. Etenim & loco distant, & differunt tempore, & sententia & robore, & forma, & figura, & habitu, & temperamento, & dignitate, & studio, & cum omnibus propriis notis, tum ea potissimum diuiduntur, quod in se vicissim non sunt, sed separatim. Ex quo fit, vt & duo, & tres homines dicantur, & multi. Idq; in omnibus rebus procreatis videre licet. In sancta verò, & quæ essentiam, & omnia superat, & comprehendi nequit, Trinitate res aliter habet. Nam quod commune, atque vnum in illa est re ipsa spectatur propter eandem (eandem dico, non similem) tum æternitatem, tum essentiam, tum actionem, tum voluntatem, tum sententiam, tum potestatem, tum bonitatem, atque vnam motionis vim. Vna est enim essentia, vna bonitas, vna virtus, vna voluntas, vna actio, vna potestas, vna, & eadem, non tres inter se similes, sed vna, & eadem motio trium personarum. Vnum enim sunt singulæ ipsarum non minus ratione aliarum, q̃ sua. Hoc est, in omnibus vnum sunt pater, & filius, & Spiritus sanctus, nisi quòd vnus ingenitus est, alter genitus, tertius procedit. Quod autem in ea est distinctum, cogitatione consideratur. Vnum enim Deum cognoscimus. Differentiam qua gignentis, & geniti, & procedentis notio pateat, in solis proprietatibus, quatenus alius est causa, alius à causa pendet, perfectusq; est personæ, siue essentiæ modus, cogitamus. In ipsa enim Diuinitate, quæ nullo circũscribitur loco, loci spatium, vt in nobis, non possumus dicere. Personæ enim in se vicissim sunt, non vt confundantur, sed vt ita se mutuo habeant, vt Dominus indicat, cùm ait: Ego in patre, & pater in me est. Neque voluntatis, aut actionis, aut potentiæ, aut aliarum rerum, quibus nos verè penitusq; distinguimur, differentiam. Quamobrem nec tres Deos esse dicimus, patrem, & filium, & Spiritum sanctum, sed vnum potius Deum sanctum Trinitatem, filio, & Spiritu sancto ad vnam relatis causam, non autem compositis, aut coniunctis eo quidem modo, quo Sabellius eos contrahebat. In vnum enim, vt diximus, ita conueniunt, non vt confusi sint, sed vt sine mixtione, & concretione sese vicissim habeant, & distinguantur. Neque ita disclusis, essentiáue dissectis, vt eos Arius distrahebat. Diuinitas enim, vt breuiter dicam, in personis distinctis indiuisibilis manet. Quemadmodum vna esset lucis concretiò atque coniunctio, si tres soles inter se coacti nihil a se vicissim distarent. Quando igitur Diuinitatem, primamq; causam, & principatum, & vnam, atque eandem Diuinitatis, vt ita dicam, motionem, & voluntatem, eandemque tum essentiæ, tum virtutis, tum actionis, tum dominationis vim dicimus, vnum cogitamus. Quando autem ea, in quibus est ipsa Diuinitas, vel vt accuratius loquar, quæ sunt ipsa Diuinitas, à primaq; causa sunt, eandemque cum illa sine vllo discrimine gloriam obtinent, id est filij, & Spiritus sancti personas, tres sunt, quos animo complectimur, & adoramus. Verùm id nobis aduertendum est, quòd cùm non dicamus, patrem esse ex aliquo, dicimus tamen ipsum filij patrem. Filium autem nec sine causa, nec patrem dicimus, sed ex patre, & filium patris. At Spiritum sanctum, & ex patre dicimus esse, & patris spiritum nominamus. Ex filio autem spiritum non dicimus, sed filij spiritum appellamus. Si quis enim, inquit Apostolus, spiritum Christi non habet. Et per filium nobis esse patefactum, & impertitum confitemur. Nam insufflauit, inquit, & dixit discipulis suis: Accipite Spiritum sanctum. Quemadmodum enim à sole tum radius, tum splendor per radium, sic à patre, filius, & per filium spiritus proficiscitur. Ipse enim pater filij & spiritus, vt sol radij, & splendoris est fons, per filium autem spiritus, vt per radium splẽdor, nobis impertitur, qui nos illustrat, & à nobis accipitur. Filium verò neque spiritus, neque ex spiritu dicimus.

Aduerte q̃ in mã processionis Spũs sancti more Græcorum loqtur, ante determinationem factam in concilio Ephesino sub Theodo. Iuniore & Celestino Papa, q̃ pcederet etiã a filio. Vel dici põt dicere Damasc. non

Eiusdem ex Cap. XII.

Et pater est Deus, qui semper est ingenitus, cùm à nullo genitus sit, & filium gignat coæternum. Et filius est Deus, qui semper est cum patre, sine tẽpore, & sempiternè, & sine fluxu, & sine perturbatione, & sine

dici spūs. ex filio, .i. non haberi clare in scripturis q̄ pcedat ex filio, nō negat tñ esse ex filio vl' pcedere ex filio. Et ita annotat. D. Tho. 1. p. q. 36 articu. 2. argum. 3. & in eius responso. Et hoc mō itelligere potes oīa alia similia dicta, si in aliqua incideris in hoc ope.

seiunctione ab ipso genitus. Et Spiritus sanctus est Deus, virtus sanctos efficiens, in sua subsistens persona, à patre procedens, acquiescens in filio, & eiusdem essentiæ cum patre & filio. Verbum est, quod per essentiam semper adest cum patre. Verbum est etiam naturalis animi motus, quo animus ipse mouetur, & intelligit, & cogitat, cùm sit quasi lux & splendor ipsius. Præterea verbum est & illud intimum, quod in corde loquitur. Ad hæc verbum est animi nuntius. Verbum igitur, quod est Deus, per essentiam in propria consistit persona. Reliqua tria sunt animi facultates, quæ non per se propriæ consistunt. Quorum primum est animi germen naturale, quod semper ab ipso naturaliter manat. Alterum autem & intimum dicitur. Tertium verò pronũciatur. Spiritus multis modis intelligitur. Nam & Spiritus sanctus, & virtutes ipsius, & Angelus bonus, & Dæmon, & animus, & nonnunquam etiam mens, & ventus, & aër, dicitur spiritus.

Item de patre, & filio, & spiritu sancto distincta simul, & vnita diuinitatis ratio. Diuersorum patrum.

Fieri non potest ex duabus perfectis personis compositio. Quãobrem nec speciem dicimus ex personis, sed in personis. Itaq; perfectas in sancta Trinitate personas dicimus, ne in illis vlla compositio cogitetur. Has aũt in se vicissim singulas propter mutuum earum inter se habitum relationemq; pronuntiamus.

In omnibus quidem rebus procreatis, singularum diuisio personarum re ipsa perspicitur. Michael à Gabriele re ipsa separatus est, & Petrus à Paulo, & reliquæ eodem modo. Quod autem in ipsis commune, atque vnum est, animo & cogitatione concipitur. Cogitatione enim tantummodo comprehendimus humanitatem, & si qua vox eodem modo communem Angelorum notionem queat explicare, neque enim Angelitatem ausim dicere. At in Trinitate Diuina contra fit. Quòd enim commune, atque vnum est, re ipsa cernitur. Etenim Deum esse vnum, & vnam eandemque naturam, & potestatem, & sapientiam, & virtutem, & actionem, & voluntatem reipsa cognoscimus. Personarum verò distinctionem tenui cogitatione complectimur. Neque enim audemus vllam eiusmodi circũscriptionem, qualem hic in personis cernimus, aut loci interuallum, & alias id genus proprietates, quibus res singulæ tanquam terminis suis conclusæ separantur à cæteris, cogitare. Sed eas tantum notiones, quibus pater genitor, filius genitus, spiritus procedens intelligitur. Has quidem Græcos fingendis vocibus feliciores imitati non inutiliter fortasse, barbarè quidem certe paternitatem, filiationem, & processionem appellant. Quæ ratione naturam atque essentiam superante fiunt. Itaq; Deum vnum eos esse dicimus, cùm ipsorum personas sine diuisione distinctas, & sine coniunctione copulatas, propter diuisionis coniunctionisque rationem natura simul & essentia præstantiorem, perfectæ, & re ipsa distinguere nequeamus.

Distinguuntur Hypostases non essentia, sed propriis personarum notis. Quare per sanctæ Trinitatis nomina, patris, & filij, & Spiritus sancti, non naturarũ discrimen, sed indices personarum proprietates edocemur.

Essentia, & natura, & genus, & species, & forma, ex patrum sententia, idem sunt in Deo. Item persona, & nota, & proprietas, & indiuiduum, idem sunt. Et essentia quidem atque natura de omnibus subiectis pariter dicuntur. Quemadmodum & omnes homines vnius essentiæ naturæq; sunt. Hypostasis verò, & persona, & indiuiduum significant id, quod propriè, & per se subsistit, & ab alio sine interitu suscipit distinctionem.

Species, & forma idem sunt in sancta Trinitate, essentiamq; significant. Qui vidit me, inquit, patrem vidit. Hic autem, videre, significat cognoscere.

Essentia personas coniungit. Personæ verò proprietatibus, quasi notis quibusdam separantibus, essentiam distinguunt.

Essentia nunquam dicitur de iis, quæ per se non constant; natura verò sæpissimè. Quapropter, hæc est, inquit ille, natura mendacij. Et ille, ductus, inquit, aquæ fontem ostendit suum: sermonis autem natura cor loquentis indicat.

Si ea, quæ communia, & vniuersa, & tota, & perfecta de subiectis sibi singularibus dicuntur, dicitur & Diuinitatis natura tota, & perfecta de singulis ipsius personis. Commune enim & vniuersum quiddam est natura, & essentia. Singulare autem hypostasis, & persona, non quòd naturæ partem habeat, partem non habeat, sed quod indiuiduum sit. Et essentia commune quiddã est, quoniam de pluribus dicitur, indiuiduum verò singulare, quia dicitur de vno tantum.

Ecclesiæ definitione & lege non est idem natura & hypostasis. Sed quæ inter commune, & proprium: inter vniuersum, & singulare; inter indefinitum, & definitum: eadem est inter naturam, atque hypostasim differentia. Beatum tamen Cyrillum, & alios patres his duobus nominibus promiscuè & communiter vti, vbi de diuina humanæ carnis assumptione disserunt, non ignoramus. Abutuntur enim, dum aliàs quidem hypostasim pro essentia, aliàs autem essentiã pro hypostasi pronuntiant, non quòd eas idem esse sentiant, sed quoniam initio non solùm diuina scriptura, verumetiam Ecclesiæ doctores multis in rebus sine vllo discrimine quibusdam vocibus vtebantur, scientes, verba nihil afferre incommodi, cùm res aliter habeant. Quæ quidem ipsius Cyrilli sententia est. Et ipse rerum sacrarum demonstrator Dionysius ait, dementis atque imperiti hominis esse, non rei propositæ, sed verbis animum adhibere. Et Gregorius Theologus, Neq; verò, inquit, qui de verbis digladiantur, id turpe existiment, quasi pietas nobis in verbis, non autem in rebus ipsis posita sit. Et rursum, veritas, inquit nobis non in verbis, sed in rebus est sita. Quando igitur verbis abutuntur authores, propriè neque sunt, neque accipiuntur illæ res, quas ea verba videntur significare, sed quas ipsi volunt intelligi. Itaque cùm hypostaseon vnionem, & differẽtiam, & proprietatem Cyrillus dicit, loco essentiæ vtitur hypostasi, vt ea voce naturas vnitas per se subsistere declaret, doceatq; non similitudinum, & formarum quarũdam, quæ non per se constent, sed rerum subsistentium vnionem fieri. Quòd autem ita sit, ex verbis ipsius, quibus in Apologia primi Anathematismi aduersus Theodoreti reprehensiones vtitur intelligi potest. Si extra hypostases, inquit, solæ per se formæ vicissim conuenissent, illa vnionis ratione similitudines quædam, & formæ per se non subsistentes conuenissent. Nunc aũt non similitudinum, sed rerum conuentus fuit, ergo & hypostaseon. Verùm q̄ inter naturam & hypostasim discrimen esse crediderit, ipsemet docet in secũda ad Nestorium Epistola, seruatoris, inquiens, nostri voces in Euangeliis neque ad duas hypostases, neq; ad duas referimus personas. Item in Epistola, quam ad Orientales scribit, Euangelicas, inquit, & Apostolicas voces, quæ de Domino pronuntiantur, scimus à viris Theologis partim

tim

tim ita communiter accipi, vt ad vnam referantur personam, partim ita diuidi, vt duabus naturis tribuantur. At idem alibi non est, inquit, duplex, sed vnus, & solus Christus. Hoc autem ait propter vnam eius personam. Quantum enim ad naturas spectat, dicitur etiam duplex. Quando igitur oratio simpliciter, & sine controuersia constituitur, animaduertimus, non solùm patres, sed diuinam scripturã liberè simpliciterq; vocabulis vti. Nam D. Apostolus & id, quod in homine intrinsecus est, hominem: & id, quod extrinsecus, hominem item appellat, atq; ita nomen totius partibus tribuit. At ècontrario Prophetæ modò carnem, modò animam vocantes hominem, partium vocabulis totum indicant. Verùm, quando tempus id postulat, propriis vocibus vtuntur. Ea verò ratione, quam ante diximus, & Theologus Ioannes, Verbum, inquit, caro factum est, cùm vellet dicere, factum est homo. Cæterùm hac de re ne digladiemur, aut contendamus. Ait enim Magnus Dionysius, id eorum esse proprium, qui non res diuinas cupiunt intelligere, sed inanes aucupantes sonos in literarum elementis, & syllabis, & verbis ad intelligendum difficilibus, quæ ad animi ipsorum cognitionem non perueniunt, sed labiorum atque aurium tenus circunsonant, immorantur.

Duplex est hypostasis. Nam modò significat id, quod simpliciter est in essentia, quoniam subsistit, & est, & sine propriis signis ac notis cõsideratur: Modò personam indicat per se cum ipsis propriis notis subsistentem. Etenim quæ Peripateticis appellare placuit indiuidua, ad quæ cùm genera & species diuisione peruenerint, consistunt, quòd diuidi amplius non possint. hominis enim in corpus, animamq; diuisio interitum afferre solet, ea Doctores Ecclesiæ personas, & hypostases nominarunt. Hypostases autẽ dictæ sunt, quia genera, & species, quæ communia sunt, & nõ circunscripta, in his existunt, & circũscribuntur. Quanuis enim animal, & homo, quorum vnum est genus, alterum species, propriam etiam rationem habeant, qua sint, tamen in ipsis indiuiduis, exempli gratia in Petro & Paulo habent hypostasim, sine quibus subsistere nequeunt. Et hæc quidem hactenus de hypostasi. Ambiguum item est hoc verbum: Enypostaton. Significat enim, id quod simpliciter est, qua quidem significatione non solum essentiã, quam qui hæc profitentur aut hyparcton, aut hypostoton dicunt, enypostaton vocamus, quòd simpliciter sit, atque subsistat, verùm etiam accidentia quoniam in alio, nempe in essentia, non in se habent, vti subsistant, & sint. Enypostata appellamus, quæ tamen magis propriè et enypostata dicũtur. Significat etiam id, quod per se est, & per se propriè consistit, qua quidem significatione & indiuidua vocantur enypostata, quæ quidem propriè hypostases magis, & sunt, & cognoscũtur. Verùm & de voce hac, Enypostaton, satis dictum sit. Anypostaton quoq; est verbum anceps. Dicitur enim, Anypostaton, non solùm id, quod nullo modo prorsus est, verùm etiã id, quod in alio subsistit, qualia sunt accidentia, quia per se subsistere nequeunt. Quòd si subtilius, & accuratius peruestigemus, inueniemus hypostasim etiam alia multa significare. Nam præter illa quæ dicta sunt, onus etiam significat hypostasis siue substantia, vt indicat ille Deuteronomii locus: Quo-
te. 1. modo potero ego solus onus vestrum sustinere? Illic enim græci habent hypostasim, in hebraico autem volumine est, maschen, quæ vox onus significat. Ad hæc significat
.6.a. etiam cibum, siue annonam hypostasis, vt ex libro Iudicũ intelligi potest, vbi Iudæi, quoniam Madianitæ, inquiunt, diripuerunt, fructus terræ, & substantiam nostram. Quod enim hic est substantiam, græce autem hypostasin, apud Hebræos est, micheia, quod victum significat. Hypostasis item ponitur loco spei. Nã in libro, qui inscribitur, Ruth,
Noemi sic ait: non est mihi filius, nec spes. hebraicè autem Ruth.1.b
sic habet, Thicuiam, qua voce procreandorum liberorũ spes declaratur. Pretium item, siue mercedẽ significat hy-
postasis, vt in primo libro Regum, pro mercede fabri. Ad 1.Reg.13
securim, inquit, & quæ sequuntur, merces hæc erat. Quod hic est merces & hypostasis græcè, hebraicè dictum est, ardaban, quo quidem verbo pretium & merces indicatur.
Significat etiam castra, vt in eodem primo Regum libro, 1.Reg.14
Veni, inquit Ionatas ad armigerum suum, ascendamus ad castra aduersariorum. Hic est hypostasin, apud Hebræos autem, Mataam, quod castra, siue tentorium significat. Valet etiam hypostasis id, quod in rebus liquidis subsistit, qua significatione dicimus vrinæ hypostasin. & facultatẽ, vt illud: & substantia mea, tanquam nihilum ante te. Et firmamentum, vt illud; fixus sum in limo profundi, & non est substantia. Et negotium, vt illud Hieremiæ coëgit, inquit sine tuo negotio. Et arcanum, vt idem Hieremias de falsis Prophetis, & si steterunt, inquit, in substantia mea, hoc est, in arcano meo. Et firmamentum, vt Ezechiel de cœli fabrica, Describens, inquit, domum, & quæ sequũtur, vbi hypostasin ponit pro firmamento. Et laudem, vt Apostolus quod loquor, inquit, non loquor secundum Deum, sed in stultitia, in hac substantia gloriationis.

TITVLVS TERTIVS

De Deo, seu de Diuinitate communiter. Perspicuum est, qui Deum, aut Diuinitatem, aut diuinum numen dicit, communi horum appellatione tres vnius Diuinitatis hypostases, siue personas declarare. Areopagitæ.

Hæc vt essent dilucidiora, paraphrasi quadam sunt paulo latius explicata, ab ipso quidem Euthymio.

DIVINVM numen causa quidem est, vt res sint. Ipsum verò non est, quippe quod nulla rerum sit, sed omnibus antecellat. At licet Deus etiam dicatur
esse, vt eo loco, ego sum, q sum Exo.3.
nõ tamen est, quo res ipsæ sunt, aut quouis modo (Qui enim fieri queat, vt effector ita sit, vt sunt ea, quæ ab ipso facta sunt?) sed est simplici, & propria & excellenti ratione, quam ipse solus cognitam habet. Cuius enim natura ignota est omnibus, quæ post ipsum extiterunt, huius & essentia est prorsus ignota. Eodem pacto Deum & esse vnum, & vnum non esse dicimus. Vnũ quidem, qp nullus alius eiusmodi sit: Non vnum autem, qp omnem vnitatis notionem cognitionemq; superet. Vnũ præterea, quia diuidi nequit, & simplex est: Non vnum autem quoniam eorum, quæ nõ diuidũtur, quæq; simplicia sunt, nullum est, sed omnibus, quæ vnũ sunt, prestat, omnemq; diuisionis expertem rationem, & simplicitatem anteit, & eorum quoq; author existit. Essentiam item, & non essentiam dicimus Deum. Essentiam, quoniam verè per se est. Non essentiam quia essentiæ præcellit, & eius effector est.

Ad hæc Vnitatem, & non vnitatem. Vnitatem quidem, quia est ipsa vnitas: Non vnitatem verò, quoniam est omni præstantior vnitate, & omnis vnitatis constitutor. Hæc, & alia multa de Deo, non deficienti, sed exuperanti ratione dicuntur, vt illud etiam, quòd sensus non habeat, & lumen sit non aspectabile.

Eiusdem.

DEus & est omnia quæ sunt, quatenus est omniũ principium, & causa, & omnia in se cõplectitur. Et nullum est eorum quæ sunt, quatenus essentiam exuperat. Quamobrem de ipso & omnia & simul omnia dicuntur, & est omnium nullum. Omnem formam, figuráq; continet, idemq; omnis formæ, atq; figuræ est expers. Præterea de Deo dicuntur etiam eiusmodi. Rerum principia, & media, & fines, antequam res ipsæ sint, immenso & eximio modo Deus in se complectitur. Et omnibus existendi lumen per causam vnitate coniunctiorem elargitur.

Eiusdem.

DE Deo & affirmamus omnia, vt de illo, qui est omnium causa: Et negamus omnia, vt de illo, qui sit omnibus excellentior. Deus enim & est omnia ratione quadam ipso digna. Et nullum ex omnibus est, quoniam essentiam superat. Porrò affirmationes in Deo negationibus nõ sunt contrariæ. Quoniam est omni positione, & ablatione, omni habitu, priuationeq; superior.

Eiusdem.

Psal. 17. SAepe contrario modo priuantia dicuntur de Deo. Vt
i.Tim.6. illud: posuit tenebras latibulum suum. quod Apostolus Paulus lumen in accessum appellat. Lucem, inquit, habitans inaccessibilem. Nam lux, ad quam accedi nõ potest, atq: ideò non cernitur, æqualis est tenebris, quæ non videntur, in eo duntaxat, quòd illa perinde, atq; hæ, videri non potest. Lumen enim omnibus partibus splendidissimum non possumus intueri, quoniam splendore suo præstringit aciem oculorum. Et ignorantia Dei est præstantissima cognitio & stultitia Dei omnem superat sapientiã.

Eiusdem.

DEus neque lux est, neq; tenebræ: neq; cognitio, neque ignoratio: neque veritas: neque mendacium: &, vt breuiter omnia complectar, nec positio est, nec ablatio. Præcellit enim omnibus, quæ a nobis, & supra nos cogitantur. Quandò & pater, & filius, & spiritus non sunt, vt nos intelligimus, aut vt illi intelligũt, qui nobis sunt sapientiores, sed omnem & mentem, & rationem superãt. Positiones enim, & ablationes, & habitus, & priuationes, numerantur in iis, quæ sunt post Deum.

Eiusdem.

DEus est rerum essentia, vt earum principiũ, & causa. Seculum seculorum, vt qui semper est magis propriè, q̃ ipsa secula. Tempus, vt rerum mensura, qua quidem ratione est etiam terminus rerum, vt qui ipsas terminat. Quandoquidem & secula, & infinita seculorum series infinitate terminatur illius, qui infinitus infinities infinitè ipsa complectitur. Generatio, vt qui ad ortum deducit ea, quæ quoquomodo fiunt. Locus, vt qui omnia continet. Omnia deniq; superior omnibus.

Eiusdem.

DEus & terminus rerum dicitur, & infinitas. terminus, vt ipsas terminans. Infinitas vt super ipsas extensus. Nam eius infinitas omnia transiliens infinitè patet.

Eiusdem.

QVi Deum modò ipsam essentiam, ipsam vitam, ipsam potentiam, ipsam pacem, & alia eiusmodi esse dicunt modò ipsius cẽtiæ, ipsius vitæ, ipsius potentiæ, ipsius pacis, & aliorum id genus authorem, effectoremq; constituunt, non loquuntur inter se pugnantia. Nam tum nominatur ex rebus, & maximè ex iis, quæ primò sunt, vt earum causa: Tum excellentiori quadam ratione, vt præstantior omnibus illis etiam, quæ primo sunt. Dicimus autem ipsam essentiam, seu ipsum esse, vt ipsam, vitam, & ipsam potentiam, & ipsam pacem, & alia eiusdem generis, nunc quidem eo modo, qui dignus est Deo, nempe vnum rerum omnium omni principio excellentius principium, & causam: Nunc vt tribuuntur, & communicantur à Deo. Ac primò quidem modo sic ea ꝓnuntiant Græci: τὴν αὐτοουσίαν, ἤτοι αὐτοεῖναι, τὴν αὐτοζωὴν, τὴν αὐτοδύναμιν, τὴν αὐτοειρήνην. altero autem modo sic: τὴν αὐτοουσίωσιν, τὴν αὐτοζώωσιν, τὴν αὐτοδυνάμωσιν, τὴν αὐτοειρηνεύσωσιν.

Et hæc quidem absoluta, & præcipua, & prima ratione à Deo subsistere dicimus. Quidam verò Sacrorum Doctorum etiam ipsius bonitatis & diuinitatis authorem dicunt plusquam diuinum Deum. Nam ipsam bonitatem, & diuinitatem asserunt esse communionem, & gratiam bonos diuinosq; facientem.

Eiusdem.

ET magnum & paruum Deo qui rerum est omnium causa, tribuuntur in multis scripturæ locis. Paruus ostenditur, quoniam in aura tenui. Magnus dicitur vt magnitudinis elargitor, & infinita præditus magnitudine, & omnem magnitudinem superans Cuius magnitudo quantitatẽ, & mensuram, & terminum non habet. Paruũ seu tenue dicitur in Deo, quod nullam habet molem, nullũ spatium occupat, & sine ullo impedimento per omnia trãsit, penetrans usq; ad diuisionem animæ, & spiritus, & cogitationes, intentionesq; cordis. immo uero omnia discernens, nulla enim res est procreata, quæ obtutum eius effugiat. Et paruum hoc item quantitatem non habet & infinitum est, & inuisibile, & cum nequeat ipsum comprehendi, omnia comprehendit. Idem præterea, & diuersum de Deo dicitur. Illud quidem in eo loco. Tu autem idem ipse es. hoc autem in illo: Domine, Domine, quis similis tui? Idem ergo dicitur, quoniam immutabilis est, & in eisdem, atq; eodem modo semper habet, & quia non commiscetur, non indiget, non augetur, non imminuitur, & rebus tribuit, ut eadem dicãtur. Diuersus uero dicitur, quòd nulla res sit, qualis ipse est. Omnes enim res ab eo, qui uerè est, create sunt, & ipse summis omnibus superior est, & ab omnibus ita diuersus, ut in nullo earum ordine posit constitui, & quia diuersitatem & discriminum est effector. Dicitur etiam similis. Ego, inquit, oculos impleui, & in oculis Prophetarum similis fui. Quoniam hac, aut illa forma se illis conspiciendum prebebat, & eis aspectu similis effi-

ciebatur, ad hæc quia similitudinis est largitor. Nam faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Sciendum est autem, eadem esse Deo & similia, & dissimilia. Similia quidem quatenus imitãtur eum, qui nulla potest exprimi imitatione. Dissimilia verò, quatenus ea, quæ à causa proficiscũtur, absunt ab ipsa causa. Status etiã, & motus dicuntur de Deo. Status quidem, quia firmus, & stabilis in eodem perstat, ac permanet. Et quia à se ipso dimoueri non potest, & quia supra omnia extat. Motus autẽ non propter mentis, aut animi, aut naturæ, aut quæ in loco fit, aut eiusmodi aliam motionem; sed propter immensum rerum omnium complexum, & propter immobiles prouidentiæ ad res ipsas progressus, & actiones omni actionę præstantiores.

Eiusdem.

DOminator omnium dicitur Deus non solùm, vt qui omnibus imperat, & omnibus iuga suæ dominationis imponit, & amoris sui viuculis omnia deuincit. Verùm etiam qui, vt sedes omnia firmat, & fundat, et eẽntiam superantis essentiæ suę complexu sic omnia continet, vt ea à se non sinat accidere.

Eiusdem.

POtentia Deus & est, & dicitur. Vt infinitæ potentiæ, vt omnipotens, vt qui potẽtia ad ortum deducit omnia, & potẽtiam omnibus largitur. Nihil enim est eorũ, quæ sunt, cui non ab eo sit cõicata potẽtia vel mentis vel rõnis, vel vitæ, vel sensus, vel essentiæ. Quinetiã ipsum esse, si fas est ita loqui, ab ipsa potentia essentiam essentia præstantiorem obtinente habet, vt sit. Et qui cuncta corroborat, vt possint suas quæq; motiones, & vires, & actiones exercere. Quod enim nullam planè potentiam habet, non est. Illa enim potentia omnium domina ad extremos vsque rerum terminos permeat. Hæ sunt quæ cùm vita, & sensu penitus careant, potentiam tamen habẽt, vt sint. Hęc igitur potentiæ potentia, potentiæ largitrix, & ipsa potentia potentior, confirmat etiam, & corroborat, quæ sunt imbecilla, & impotẽtia, atq; inualida, cuiusmodi sunt culices & conopes, & muscæ, & siqua sunt his etiam imbecilliora. Dixit enim Deus de brucho, & locusta, quoniam potentia mea magna.

Eiusdem.

COmmunicare se dicitur Deus, propter munera sua, quæ rebus vniuersis distribuit. Non communicare autem, quia nulla res est particeps essentiæ, aut vitæ aut sapientiæ, aut vllius eorum, quæ habet ipse ratione quadam præstantissima, & singulari.

Eiusdem.

EX quo fit, vt à singulis rebus totus habeatur, & nulla res vllam eius partem habeat. Vt centrum in medio circulo à rectis omnibus lineis totum, & nulla eius pars ab vlla habetur. Velut sigillum, quod omnibus ex se, sumptis exemplis ita se totum atq; idem communicat, vt à nullo tamen eorum vlla ipsius habeatur pars. Hoc tamen præstat illa diuinitatis, quæ est rerum omnium causa, non impartiendi se, ratio, quod nulla attactus mixtionis ve societate cum illis coniungitur, quibus communicatur. Quòd si quis obiiciat, non in omnibus exemplis totum, atq; idem signum effingi, respondebo, non illius culpa, quod se totũ atque idem singulis accommodat, sed excipientium diuersitate contingere, vt vnius, & totius, & eiusdem exemplaris imagines dissimiles sint. Exempli gratia, si simplicia, facilia, leuia, & tractabilia, non resistentia, non aspera, non fragilia, nõ instabilia sint, puram, & expressam, & firmam effigiem percipient. Sin aliquid eorum defecerit, quę dicta sunt, ideoq; minus ad formam suscipiendam apta, atq; idonea fuerint, id erit causa dissimilitudinis, & deformitatis, & aliorum incommodorum, quæ materiæ ad formam excipiendam minus accommodatæ contingunt.

Eiusdem.

VNus est rerum omnium essentia, & pulchritudo, & bonitas, & sapientia Deus, quem expetunt omnes, qui vnius sunt formæ, participes autem illius fiunt, non vno omnes modo, quanuis ipse vnus, & idem existat, sed alius alia, atq, alia ratione, vt cuiq; diuina libra distribuit pro cuiusq; habilitate.

Eiusdem.

QVoniam Deus & est, & rebus largiẽs, vt sint, multas parat essentias, multiplicare dicitur vnum illud quod est, ex ipso multarum rerum ortum deducens. Manet autem & sic vnum in multiplicatione, & plenum in diuisione, quia propter essentiam omni essentia superiorem est eximio, & iis, quæ sunt, antecellenti quodam modo. Quinetiam cùm vnum sit, & vni, & multitudini, & toti, & parti vnum communicans, vnum rursus essentia præcellenti est singulariter, idest, propriè, & eximiè, cùm nec vnum sit ex iis, quæ sunt, nec multitudo, nec totum ex partibus, nec pars ex toto. Atq; ita neque vnum est, neq; vnius particeps, sed procul ab his vnum est, vtpote vnum, eo quod est in rebus, vno longè præstantius. Præterea propter multorum Deorum ab ipso proficiscentem effectionem ex diuina cuiusq; pro viribus specie, & videtur & esse dicitur vuius Dei progressus, & diuisio, & multiplicatio, attamen vnus est Deorum princeps effectorq; Deus, in diuisis non diuisus, vnum in multis, nõ commixtus, nec multiplicatus, vt qui eximia essentia singulariter est, & plusquam diuina ratione summus Deus. Quæ quidem cogitans Magnus Paulus. Quanuis enim inquit, multi sint, qui dicuntur Dij, siue in cœlo, siue in terra, siquidem multi sunt Dii, & Domini multi, tamen vnus nobis est Deus pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. 1.Cor.8.
Nam in diuinis etiam vnitates diuisionibus antecellunt.

Eiusdem.

QVemadmodũ vnũ quidem est vnitas & oĩbus numeris antecedit, & omniũ numerorum est causa, nec tamen numerus, sed principium numerorum. Et omnis numerus est particeps vnitatis. Dicimus enim binariũ vnum, & ternarium vnum, ac reliqua deinceps eodẽ modo. Itemq; dimidium vnum, bipartitum vnum, & tripartitum vnum, atq; ita deinceps. Nec solùm numeri, sed numerorum partes. & particulæ, vnitatis, siue vnius participes sunt. Et nulla est multitudo, nullum totum, nulla pars, nulla particula, quæ sit vnius expers. Sed qđ partibus multiplex est, vnum est toto. Et quod est accidentibus multiplex, est vnum subiecto. Et quod est multiplex numero, aut potẽtia, est vnum specie. Et quod specie multiplex est, vnum est genere. Et quod progressibus est multiplex, est

vnum principio. Et si quis omnibus omnia coniunctim ac cumulet, toto vnum erunt omnia. Sic etiam Deus dicitur vnus, non modò, vt solus, & rerum omnium in omnibus excellentissimus, neq; vt simplex est, & qui nec in partes secari, nec diuidi, nec affici vllo modo potest, verum etiam, vt qui ante omnia existit, & est omniū causa. Vnum enim est causa rerum omnium. Et singulariter, seu propriè, & excellenter est vnum, & ante omnia. Omnia autem ex ipso, & post ipsum, vt se rebus omnibus pro cuiusq; habilitate communicat. Quod enim prorsus est illius expers, omnino nō est. Et eo, q̄ est vnum, est omnia. Et quod est vnum omnium causa, non est eorum omnium vnum, sed est supra omne, quod est vnum. Et omnis tum vnius, tum multitudinis tam effector est, quam definitor. Et sine vno multitudo non est. Sine multitudine autem vnum erit, sicut & vnitas ante omnem numerum multiplicatum. Et omnia etiam quæ sunt inter se contraria in se ipso vnum illud vna specie & sine confusione coniuncta ratione quadā essentiam superante præoccupauit, atq; complexus est.

Eiusdem.

Diuina pax & in se ipsa est, & intra se ipsam, & ad res omnes progreditur, seq; illis familiariter communicat. Et omnium est cōciliatrix, ac diuiduam earum multitudinem ad totam vnitatem conuertit. Et omnia sine confusione mutuò commiscet, omniaq; vicissim contrahit. Et sibi, & omnibus proprietatem cuiusque conseruat, per quam vna, & indissolubilis omniū coniunctio constat, & consensio, ac concentus quidā efficitur, cùm vnumquodq; non mixtum aut turbidum, sed purum, & syncerū in propria specie ita maneat, & coniunctione quidem copuletur, naturæ autem proprietate diuidatur. Ipsa igitur præcipua cōciliatrix pax mediis extrema deuincit. Quamobrem & antiquissimæ illæ conciliatrices Potestates tum ipsæ inter se, & cum vna omnium principali pace copulantur, tum ea, quę sibi subiecta sunt mutuò inter ipsa, & secū, & cum uno rerum omnium pacis principio, & causa coniungunt. Nihil est igitur omnino, quod pacem non amet. Ac tametsi illi, qui inimicitiis, rixis, & seditionibus gaudēt, a pace, & pacis commodis videntur abhorrere, & ipsi tamen obscuris quibusdam pacis simulachris capiuntur, & cum variis perturbationum motibus cōcutiantur, eos imperitè cohibere sedareq; concupiscunt, & sperant, se voluptatum, quarum inordinato victricium tumultu premuntur, expletione pacem adepturos.

Eiusdem.

IN ea causa, quæ cuncta in vno complectitur, pulchrū, & pulchritudo distinguenda non sunt. Hæc enim omnibus in rebus in participes & communiones diuidentes, pulchrum dicimus quod est pulchritudinis particeps, pulchritudinem verò communionem illius rerum causæ, quæ pulchras res omnes efficit. Deum autem & pulchrum dicimus, vt qui & totus, & semper, & excellenti ratione pulcher est, & pulchrorum omnium natura, & fons, & causa. Pulchritudinem verò appellamus, quoniam ab eo rebus omnibus pro suo cuiusq; modo pulchritudò communicatur, & quia omnium concinnitatis, & nitoris est author, omnibus instar lucis communicans radiorum omnia pulchra facientium quasi fontis riuulos, & ad seipsum omnia vocans. attrahendi enim vim habet pulchritudo, eiusq; nomen apud græcos à verbo, quod vocare significat, videtur esse deductum.

Eiusdem.

IN Deo idem est pulchrum & bonum. Pulchri nanq; & boni cupiditate flagrāt omnia, ad illudq; valde currūt, id quod apud Græcos boni ipsius vox exprimit. Et nihil est omnino, quod non sit pulchri, boniq; particeps. Siquidem & omnia, quæ sunt, ab ipso pulchro, bonoq; habent, vt sint: Et à pulchro & bono mouentur, & reguntur, & continentur, & propter pulchrum & bonum existunt, & ab omnibus pulchrum, & bonum expetendum, amandum, diligendum, & admirandum videtur. Ausim dicere, & id, quod non est, esse pulchri, boniq; particeps. Tunc.n. & ipsum est pulchrum & bonum, cùm per negationem de Deo dicitur. Vt cùm Deum increatum principiū, terminūq; non habeat. & alia eiusmodi, quæ non esse significāt, asserimus. Appetit enim & ipsum, quod non est, quodam modo Deum, & quadam ratione in eo conatur esse.

Eiusdem.

OMnes mentium, animorum, & corporum status, & motus ex pulchro, bonoq; sunt. Omnibus enim status & motus est id, quod supra omnem motum vnumquodq; in ratione propria confirmat, & ad proprium excitat motum.

Eiusdem.

EX Deo, & in Deo est etiam ipsum esse, & rerum omnium principia, & quæ sunt, omnia, etiam quæ inter se sunt contraria. Sunt autem in Deo immensè, & eximiè, & coniunctim, & vnicè. Nam & in vnitate omnis numerus ante singulariter extitit. Et vnitas vt omnis numeri causa vnicè in se numerum omnem habet. Et omnis numerus vnitate vnus efficitur. Quātum autem progreditur ab vnitate, tantum diuiditur & multiplicatur. In centro item omnes circuli lineæ vna copulatione coniunctæ sunt. Et centrum in se ipso rectas omnes lineas tum ipsas inter se, tum etiam cum vno illo principio, à quo progressæ sunt, vna ratione cōiunctas habet. Ac in ipso quidem centro penitus coniunguntur. Parum autem ab eo distantes, parum & inter se distant. Magis verò ab illo recedentes, magis etiam à se vicissim recedunt. Præterea in tota rerum vniuersitatis natura omnes singularis naturæ rationes simul deuinctæ sunt. Ad hæc moderatrices singulorum totius corporis vires in animo vnicè copulantur. Quamobrem absurdum non est, vt per obscuras ac tenues imagines ad ipsam rerū omnium causam ascendentes, oculis mundo sublimioribus omnia in ipsa rerum causa singulari vinculo coniuncta & copulata contemplemur.

Eiusdem.

SI noster hic sol, quāuis vnus sit, & vnicam lucem emittat, tam multas tamen, ac varias rerū essentias, & qualitates vita donat, & nutrit, & auget, & perficit, & tuetur, & diuidit, & copulat, & fouet, & fœcundat, & immutat, & corroborat, & gignit, & agitat, & res omnes ꝓ suo quæq; modo vnius & eiusdem solis participes sunt. Et multas communicationum causas vnus ipse sol in se ipso singulariter ante possidet, atque complectitur: multo magis in ipsa tum solis, tum rerum omnium causa per vnam essentiam præstantiorem coniunctionem prius inesse rerum vniuersarum exemplaria concedendum est. Exemplaria nunc appellamus rationes illas ante in Deo singulariter existentes, & rerum effectrices essentiarum. Quas quidem rationes Paulus vocat prædestinationes, diuinasq; voluntates, quibus res definiūtur, & fiunt. Per has omnia,

quæ sunt, is, qui essentia præstantior est, præfiniuit, ad ortumq; produxit. Quapropter infinitate sua super extensa omnia prius singulariter habet, & comprehendit, & singulariter omnibus communicatur, quemadmodum vna vox à multis auribus vt vna percipitur.

Eiusdem.

Cor.6. VT viri boni dicuntur domus Dei: Habitabo enim, inquit, in ipsis, & inambulabo: ita bonorum virorũ domus est Deus. Esto mihi, inquit Dauid, in Deum
. 30. protectorem meum, & in domum refugij mei, vt saluum
15. me facias. Et ipse Dominus ait: Vos in me, & ego in vobis. Et quemadmodum Deus sic est in ipsis, vt non includatur nec circũscribatur, sic & ipsi in eo sunt sine vlla cum ipso mixtione per essentiam, & sine confusione.

Eiusdem.

DIuina Dei qualitatem quantitatemq; non habentis latitudo putanda est ampla & prouida illius ad omnia progreßio. longitudo autem eius potentia, quæ supra extenditur. Profunditas verò arcana illius occultatio, propter quam percipi, cognosciq; non potest.

Eiusdem.

DEus in sacris arcanorum visionum oraculis tum canus, tum iuuenis fingitur. Canus, vt esse rerum principium intelligatur: Iuuenis autem, vt nunquam senescere, & finem habere significetur. Vel iuuenis etiam ob rationem arithmeticam, vt diuinum rerum initiũ ostendatur. Vnitas. n. & qui sunt vnitati proximi numeri priores sunt illis, qui ab vnitate longius recesserunt.

Eiusdem.

NEque res cognoscunt Deum, vt Deus est: nec Deus cognoscit res, vt ipsæ sunt. Res autem non cognoscunt Deum, vt Deus est, quia nullæ res id assequi possunt, vt Deum cognoscant, vt est Deus, hoc est, quomodo natura sese habeat. Hoc. n. modo solus ipsę se nouit. Deus verò non cognoscit res, vt ipsæ sunt, qm̃ eas ratione essentiam superante cognitas habet.

Eiusdem.

DEus quidem rebus omnibus adest: Neque enim in loco est, vt aliqua absit: sed omnia complectitur. Ipsæ autem res non omnes adsunt Deo, sed illæ duntaxat, quæ diuina sunt propinquitate dignæ. Nos autem tunc ad illum appropinquamus, cùm inuocamus eum votis precibusq; sanctißimis, & animis puris, ac minimè coinquinatis, præbemusq; nos aptos, & idoneos, qui ad ipsum accedamus. Ac quemadmodum, si cathena multis contexta luminibus, & è summo suspensa cœlo huc vsque perueniat, nos autem alternis eam manibus apprehendentes vlterius semper tendamus, ipsam quidem detrahere nobis videamur, reuera autem nõ eam supra infraq; præsentem deducemus, sed nos potius ad sublimiores ipsius splendores tollemur. Aut si conscensa naui, funes ex aliquo saxo ad nos protensos, & quasi dedita opera sic nobis exhibitos vt eos ex altera parte prehenderemus, corripientes contra nitamur, nõ saxum ad nos, sed nos simul, & nauim ad saxũ promouemus. Sic etiam precantes & obsecrantes, non Deum ad nos, qui vbique præstò est, trahimus, sed nos ad ipsum diuina commemoratione obsecrationeq; promouemus, eiq; nos commendamus.

Eiusdem.

APud nos quidem ebrietas, tendit ad deteriora, & est immodica vini repletio, qua mens loco dimouetur. Apud Deũ autem spectat ad meliora & est immodica omnis boni repletio, qua mens ab intelligentia dimouetur. Ab intelligentia enim eximitur, dum supra intelligentiam collocatur.

Item communiter de Deo sancti Maximi.

PVtetur igitur eorum quæ cogitantur, quæque dicuntur Deus, mens intelligentium, & intellectorum. Dicentium, dictorumq; verbum. Vita viuentiũ, & præbentium vitam. Omnibus denique omnia existens, & factus per ipsa, quæ sunt, atque fiunt. Nam per se nihil vlla prorsus ratione aut est, aut fit, eorum quæ sunt aliquid ex his, quæ sunt & fiunt, quippe qui cum illorum nullo naturaliter coniungatur. Itaque magis admittit, vt de se potius dicatur non esse, qui præstantiori quadam ratione est. Oportet enim, si cognoscenda est inter Deum & ea, quæ creata sunt, differentia. Vt Deum excellenti præditum essentia dicamus esse id, quod illa non sunt. Et quod illa sunt, id Deum excellenti præditum essentia negemus esse. Et vtrunque de Deo piè sic affirmemus, vt neutrum tamen asseramus de illo propriè dici posse. Vtrunque nimirum, & esse, quoniam sit eorum causa: & non esse quòd omni eorum causa sit excellẽtior. Neutrum rursus propriè. Neutro enim id constitui, quod quæsitum est, nempe, quid per essentiam, naturamq; sit. Cui enim nihil omnino quod sit, aut quod non sit, naturaliter coniungitur, ad hunc eorum vel quæ sunt, aut dicuntur; vel quæ non sunt, aut non dicũtur, nihil aspirare consentaneum est. Simplicem enim habet essentiam, & omnibus incognitam, & inaccessam, & quæ nec verbis explicari potest, & est omni affirmatione, negationeq; superior.

Eiusdem.

VNus & solus per naturam propriè semper est Deus, totum, quod propriè est, omni rõne in seipse includens, vt q. & essentia propriè præstantior existit. Qđ si ita est, nihil oĩno eorum, quæ vlla rõne dicuntur esse, planè id habet, vt propriè sit. Quare nihil esẽtia diuersum cũ illo prorsus ab æterno põt considerari, non seculum, non tempus, non aliquid eorum, quæ seculo, & tp̃e continenť. Nã propriè, & non propriè esse nunq̃ inter se conueniunt.

Eiusdem.

SOlus Deus simplex est propriè, & propriè vnũ, & vnitas, & monas. Oĩa verò, quę post Deum sunt, duplicia sunt, & composita, licet non pari ratione. Nam quæ mente, & intelligentia continentur, ex essentia constant, & differentia, qua vnumquodq; eorum constituitur, & ab aliis separatur. Quicquid autem habet aliquid, quo ipsius essentia declaretur, nõ est simplex: Quę verò sensibus percipiuntur, constant ex materia, & forma.

Eiusdem.

IN Deo, & qui est, & bonus, & Deus, & opifex, & essentia præstantior, & infinitas, & immortalis, & quæ his similia sunt, non dicimus esse differẽtias essentiam constituentes, ne ipsum ex his compositum asseramus, sed appellationes quasdam, quibus aliqua eorum, quæ circa ipsum spectantur, patefiunt, cùm nulla tamen ex ipsis, ea, quæ ad essentiam & naturã eius pertinent, ostendat. Quædam enim diuinæ naturæ congruentia significant, non autem indicant ipsam naturam, quod quidem differẽtiarum essentiam constituentium proprium est.

Eiusdem.

IN partes diuidi non potest Deus, quia non habet quãtitatem. Quantus non est, quoniam & qualitatis expers.

Nó est qualis, quia & simplex. Simplex est, quia & interminatus. Interminatus, quia & infinitus. Infinitus, quia & immobilis. Immobilis, quia & sine principio. Nihil enim habet ante se, & maius. Nihil secum, & æquale. Nihil post se. Vacat autem principio, quoniam & ingenitus est. Ingenitus porrò, quoniam est vnus, & maximè singularis. Vnus verò maximeq; singularis quoniam immensus omnino, ideoq; nec explicari, nec cognosci potest, & sola hæc vera illius habetur cognitio, quod cognosci non potest.

Eiusdem.

INfinitus est Deus, non ea re solum, quòd principio vacat & fine, verumetiam quantum ad essentiam, & potentiam, actionemq; pertinet. Neque enim per essentiam percipi, nec per potentiam, actionemq; cognosci potest. Atque vt verius loquar, omni ratione & modo est indefinitus. Hec.n. est infiniti proprium. Nam sicut vnitas, neq; numerus est, neq; numerabilis, neq; totū, neq; pars, neq; habitus numeri, sed oīs numeri principium & causa, sine principio autem, quia nullum habet numerum antiquiorem, & causam, vt ipsa sit, sic etiam Deus, vt paruum exemplum afferatur, omnem & quantitatem, & qualitatem, & habitum superans & simplex est, & sine principio, & rerum principium.

Eiusdem.

SImplicem Deus, cùm simplex sit, vnam, bonam, omnibus omnia conficientem actionem habet, instar radij solis, qui omnia fouens agit in singulis pro naturali cuiusq;, & ad suscipiendum apta potestate.

Deus, qui est, ipsa essentia, & ipsa bonitas, & ipsa sapientia, immo verò, qui his omnibus sublimior est, nihil habet omnino contrarium. Quæ autem creatæ sunt res, gratia & munere sunt omnes essentiæ participes. Et quæ ratione menteq; constant, ac naturam ad bonitatem sapiētiamq; suscipiendam idoneam obtinent, cōtrarium habent essentiæ quidem ipsum non esse, naturæ verò ad bonitatem, & sapientiam accipiēdam accommodatæ, malitiam & ignorantiam. Porrò semper vt sint, aut non sint, in potestate est effectoris. Vt autem bonitatis & sapientiæ fiant participes, aut non fiant, in ipsarum, quæ ratione sunt præditæ, situm est voluntate.

Eiusdem.

GRæci, qui dicunt, rerum essentiam ab omni æternitate simul fuisse cum Deo, qualitates autem ab eo post accepisse, Essentię nihil esse contrarium asserūt, sed in qualitatibus solis contraria reperiri. Nos autem, qui solam diuinam essentiam quia sola propriè sit infinita, nihil habere contrarium tradimus, rerum essentiæ contrariū esse ipsum non esse dicimus. Quippe quæ ex nihilo facta est. In eius autem, qui illam creauit, esse potestate, vt ipsa vel sit vel non sit. Verùm ipsi, nempe bono, placere, vt sit, maneatq; omnipotenti ipsius virtute conseruata.

Eiusdem.

OMnis essentia proprio termino circūscripta, & definita, principium est eius motus, qui potentia in ipsa consideratur. Omnis autem essentiæ motus medium quiddam est. Nam & essentiam sequitur, & actionem antecedit. Et omnis actio propria ipsius ratione naturaliter circunscripta finis est illius motus, qui ab essentia proficiscitur. Verùm Deus nec principium, nec medium, nec finis est. Hi nāque sunt earum rerum termini, quę tempore diuiduntur, & quæ simul cum seculo, vt aliquis dicat, cernuntur. Tempus enim, cùm eius mensura sit motus, numero circunscribitur. Seculum autem, quoniam cum eius essentia, categorica, siue, (vt trita & vulgata iam voce vtar) prædicamentum. Quando, simul intelligitur subit diuisionem, & existendi principium sumit. Quòd si tempus, & seculum non carent principio, multo minus ea, quę tempore & seculo continentur. Deus igitur neq; essentia est, ne principium dicatur: nec potentia, ne medium vocetur: nec actio, ne finis nominetur. Sed effector essentiæ, essentiaq; præstantior: & effector potentiæ, potentiaq; valentior: & omnis actionis habitus nunquam desinens. Atque, vt breuiter dicam, omnis essentiæ, & potentię, & actionis, & principij, & medij, & finis author.

Eiusdem.

OMne principium, & medium, & finis habitus omnino categoriam non effugiunt. Deus autem omni planè habitu cum sit superior, nec principium est, nec medium, nec finis, nec aliud quicquam eorum, quæ in habitus categoria considerantur, vel cum aliquo conferuntur.

Eiusdem.

REerum principiū, & medium, & finis dicitur Deus, sed non vt agens, aut patiens, id, quod intelligēdum est in omnibus nominibus, quæ ipsi tribuuntur, sed principium est, vt effector: medium, vt moderator: finis vt circūscriptio, ex ipso enim, inquit, & per ipsum, & in ipsum omnia.

Eiusdem.

NIhil eorum, quæ sunt, seipsum facit. Quod autem à se non est factum, causa non caret. Quod causa nō caret, non est immobile. Quod immobile non est, propter causam mouetur omnino. Moueri igitur naturaliter pendet à causa, per quam fit, & ad quam dirigitur ipse motus. Nihil enim eorum, quæ mouentur, sine causa moueri natura patitur. Principium autem omnis motus naturalis, & eorum, quæ mouentur, generatio. Principium verò illorum quæ generata sunt, generationis, est Deus, vt author generationis. At finis motus naturalis est eorum quæ generata sunt, status, quem post trāsitum eorum, quæ transierunt, efficit infinitas illa in qua, quoniam nullum est spatium, cessat motus rerum, quæ mouentur naturaliter. Omnis ergo generationis, & motus, & status rerum principium, & medium, & finis est Deus. Quoniam & ex ipso genitæ sunt, & per ipsum mouentur, & in ipsum sunt desituræ, qui ipsam quoque motus omnes definientem ac terminantem complectitur infinitatem.

Eiusdem.

EOrum, quę fiunt, quæq; mouentur, motionis & principium, & finis est Deus, & eorum quæ in ipsum feruntur stabile, atque immobile firmamentum. Et omnium deniquę rerum terminus interminatus, & infinitus finis.

Eiusdem.

HOmines certo quodam termino, boni, sapientes, & iusti vocantur. Deus autem absolutè dicitur bonus, & sapiens, & iustus, & bonitas, & sapientia, & iustitia quippe qui est omnis virtutis essentia. Quāobrem qui virtutis est particeps, Dei particeps est, qui virtutis, vt diximus, essentia, & fons est.

Eiusdem.

DEus, qui cognitio per essentiam est, solam boni cognitionem habet, vt qui solius boni natura est.

Omnis

2.T
Mat

Omnis autem secundum Deum natura ratione prædita simplici mentis motu non potest eodem tempore boni & mali notitiam habere, cùm vnius contrarij cognitio, alterius contrarij naturaliter ignorantiam afferat. Sic etiã oculi non possunt eodem tempore sursum deorsumq; aut dextrorsum simul ac sinistrorsum contueri.

Eiusdem.

ET seipsum Deus, & quæ sunt infra se cognoscit. Natura item ratione menteq; prædita & Deum, & quę infra Deum sunt, cognoscit. sed non eodem modo, quo Deus. Hic.n. ex essentiæ suæ contemplatione seipsum per semetipsum intelligit. Et quæ sub ipso sunt, ex sapientia cognoscit sua, per quam, & in qua condidit omnia. Illa verò & Deũ cognoscit, dum illius, qui nullius rei particeps est, particeps fit, tum ex eo, quòd est, tũ ex eo, quòd bene, per gratiam est. Quę autem sub Deo sunt, percipit, dum artificiosam in illis sapientiam eius, & naturales ipsorum rationes comprehendit. Angeli tamen, vt qui mentes sunt puræ, sublimius intelligunt, demissius homines, vt qui corporis pondere deprimuntur.

Eiusdem.

DEus propriè nec intelligere dicitur nec intelligi, ne compositus existimetur. Nam quod intelligit, coniũctam habet intelligendi potestatem. Et quod intelligitur, potestatem habet coniunctam, vt intelligatur. Nec intelligentia propriè dicitur, siquidem intelligentia naturaliter essentiam subiectam habet ipsius intelligentiæ susceptricem. Reliquum igitur est, vt, post hæc omnia, cùm non possimus, Deum hoc modo intelligentiam dicere, dicamus eum ipsam per essentiam intelligentiam, & totam intelligentiam, & intelligentiam solam, atq; omni intelligentia præstantiorem.

Eiusdem.

DEus nec intelligentia cognoscit intelligibilia, nec sensu sensibilia. Neque enim fieri potest, vt qui rebus est excellentior, res percipiat ea ratione, qua se vicissim ipsæ percipiunt. restat igitur, vt ea tanquam proprias voluntates intelligat, quandoquidem & volens fecit omnia.

Eiusdem.

RAtiones omnium rerum ante secula habens in se Deus, ex illis omnia, quæ vel mente, vel sensu percipiuntur, procreauit, opportuno tempore tum vniuersa, tum singula constituens. Singulis enim rebus præcessit ratio, qua ita sunt factæ. Quamobrem rationes omniũ, in Deo erant fixæ, quibus eas ex nihilo fecit. Atque his quidem rationibus cognoscit omnia prius, q̃ fiant. Hæ verò à Dionysio Areopagita præfinitiones & diuinæ voluntates appellantur. Quapropter si ex propria quisque ratione in Deo existente moueatur, in Deo est. Ex quo illud dicitur: Nouit Dominus, qui sui sunt. Sin præter illam moueatur, à Deo excidit. Ex quo illud: Non noui vos.

2. Tim. 2 / Matt. 25.

Deus non qualitatum, sed essentiarum quæ factæ sunt, effector est.

Eiusdem.

HOmines ea, quæ cernuntur, in quibus veritas omnino non est, spectantes iudicant. Deus autem occultum animi motum agentis intuens, & rationem, qua ad agendum adductus est, rectè, & iustè iudicat ea, quę ab hominibus fiunt.

Eiusdem.

NOn omnia, quæ cogitationibus nostris imbecillis occurrunt, dignè decoreq; possunt explicari. Nullum habet Deum Deus, nec alium colit, nec in aliquem credit. Num igitur aut sine Deo Deus? aut impius? aut infidelis? Minimè verò. Hæc igitur & horum similia suggerit cogitatio, sed pietas eloqui non permittit.

Item communiter de Deo. Ioannis Damasceni, ex cap. XI.

CAeterùm, quoniam in diuina scriptura plurima de Deo corporea quadam ratione dicta reperimus, sciendum est, nos, vt qui homines sumus, & crasso isto carnis indumento circũdati, non posse diuinas, & sublimes, & à materia remotas diuinitatis actiones intelligere, nisi quibusdam similitudinibus, & notis, inter nos vsitatis vtamur. Quare quæcunq; de Deo legimus dicta corporibus nostris congruentia, ea symbolicè dici, & sublimius aliquid, q̃ sonant, significare intelligamus. Simplex enim est Deus, & figuram non habet. Itaque per oculos, & palpebras, obtutumq; Dei, potentiam eius omnia cernentem, cogitationemq; nihil ignorantem accipiamus. Quia per hunc sensum perfectior in nobis certiorq; cognitio comparatur. Per aures autem benignitatem ipsius preces supplicationesq; nostras clementius admittentẽ. Et nos enim in eos, qui nobis supplicant, mitiores sumus, dũ aurem eis audiendis humanius admouemus. Per os, sermoneq; Dei, declarationem voluntatis eius. Nam ore, & sermone intimos animi sensus patefacimus. Per cibum, & potum, nostram ad parendum voluntati eius propensionem & studium. Siquidem & nos gustandi sensu necessariam naturæ appetitionem explemus. Per odoratum, vim eius nostri erga ipsum amoris & beneuolentiæ susceptricem. Quãdo nos item hoc sensu fragrantem odoris suauitatem percipimus. Per faciem, præsentiam eius ex operibus ipsius sese ostendentem. Etenim nos quoq; qui simus facie & vultu potissimum indicamus. Per manus, perfectam, & præclaram ipsius rationem agendi. Quoniam & ipsi quæ magis vtilia honestaq; sunt, propriis manibus efficimus. Per dexteram, auxilium illius in prosperis secundisq; rebus. Quod etiam nos in iis, quæ maiorem decoris, & dignitatis speciem habent, quæque maioribus indigent viribus, dexteram adhibemus. Per tactum, exquisitam eius vel valde minutarum occultarumq; rerum notitiam, & exactionem. Quandoquidem & ij, qui à nobis excutiuntur, & contrectantur, nihil in se possunt occultare. Per pedes & gressum egentium patrocinium, aut inimicorum vltionem, aut alias eiusmodi actiones, aut profectionem, & aduentum. Pedum enim opera nos quoque vtimur incedentes. Per iusiurandum, immobilem eius in proposito permansionẽ. Nos enim quoque pacta conuentaq; iureiurando confirmamus. Per iram & indignationem, eius ab improbitate abhorrentem voluntatem, eamq; detestantem. Nam & nos ea, quæ voluntati nostræ contraria sunt, odio prosequentes irascimur, & indignamur. Per obliuionẽ, & somnum, & dormitationem, procrastinationem vltionis inimicorum, & dilationem auxilij, quod amicis ab eo ferri consueuit. Omnia denique, quæ corpori conuenientia referuntur ad Deum, arcanam habẽt significationem, qua ex iis, quæ in nobis sunt, ea, quæ sunt supra nos, intelligimus. Excipio quæ de corporea Dei verbi peregrinatione dicta sunt. Totum enim hominem pro salute nostra suscepit,

nempe animam ratione prædítam, & corpus, & naturæ humanę proprietates, affectionesq; naturales, nulli tamen obnoxias culpæ aut reprehensioni.

Eiusdem ex cap. XIII.

Locus corporeus est terminus continentis, quatenus continet id, quod continetur. Exempli gratia, aër continet hócce corpus. Verum non totus, qui comprehendit aër, comprehensi corporis locus est, sed aëris ambientis extremitas, quæ corpus comprehensum attingit, Quod autem continet, omnino in eo non est, quod continetur. Est etiam locus intelligibilis, vbi intelligitur & est natura ĩtelligibilis, & incorporea. Vbi adest, & agit, & ratione non corporea, sed intelligibili continetur. Neq; enim figuram habet, vt ratione corporea comprehendatur. Quare Deus, cùm materiæ sit expers, & circũscribi ne queat, in loco non est. Ipse enim sui ipsius est locus, qui omnia implet, & supra omnia est, & complectitur omnia. Dicitur tamẽ & in loco esse, & Dei locus dicitur, vbi actio eius perspicua fit. Ipse enim per omnia transit sine mixtione, & actionem suam omnibus communicat pro apta cuiusque ad suscipiendum facultate. Puritatem dico, & naturalem, & voluntariam. Puriora autem sunt, quæ materia carent, q̃ quæ in materia depressa sunt: & quæ virtute sunt prædita, q̃ ea, quæ sunt cum vitiis coniuncta. Dicitur igitur Dei locus, qui plus habet actionis eius & gratiæ. Iccirco sedes ipsius appellatur cœlum, quòd in eo sunt Angeli, qui eius obtemperant voluntati, vt eum semper collaudant. Hæc enim ipsi quies est. Et terra scabellum dicitur pedum ipsius. In hac enim per carnem cum hominibus versatus est. Pes autem Dei sancta eius caro multifariam est appellata. Dicitur & Ecclesia locus Dei. Hanc enim ad eius gloriam, vt templum, constituimus, in quo preces etiam ad eum fundimus. Similiter & ea loca, in quibus eius opera manifesta sunt, quæ vel in carne egit, vel sine corpore, loca dicuntur Dei. Sciendum est autem, Deum in partes non diuidi, sed esse vbique totum omnino, & non partem in parte, quo pacto corpora diuiduntur. Sed totum in omnibus, & totum super omnia. Angelus verò ratione quidem corporea in loco non continetur, quasi formam, figuramq; suscipiat, attamen in loco esse dicitur, propterea quòd intelligentia præsto est, & agit, vt congruit naturæ ipsius, & non esse alibi, sed illic, vbi agit, intelligentia contineri. Nequit enim eodem tempore diuersis in locis esse. Nam solius est Dei, vbique agere eodem tempore. Angelus enim naturali celeritate, qua promptè, citoq; ex vno in alium locũ pertransit, in diuersis locis agit. Deus autem cùm sit vbique, & super omnia, vbique eodem tempore variè agit vna & simplici actione. At animus corpori deuinctus est, & totus toti coniunctus, non autem pars parti copulatus. nec continetur à corpore, sed ipsum continet, vt ignis ferrum. Et in ipso manens actiones proprias exequitur.

Eiusdem ex eodem cap.

Id, quod circũscriptum est, aut loco, aut tempore, aut comprehensione continetur. Quod autem non est circunscriptum horum nullo comprehenditur. Solus igitur Deus non est circunscriptus, quippe qui principium, finemq; non habet, & omnia continet, & nulla comprehensione continetur. Solus enim nec comprehendi, nec definiri, nec ab vllo cognosci potest, sed ipse se solus nouit.

Angelus verò & tempore circũscribitur, nam esse cœpit; & loco; licet, vt diximus, intelligibili; & cõprehensione, Nam & se mutuò Angeli aliqua ex parte naturaliter cognoscunt, & à procreatore perfectè comprehenduntur. Corpora autem & principio, & fine, & loco corporeo, & comprehensione sunt circunscripta.

TITVLVS QVARTVS

Diuinam naturam comprehendi non posse.

Magni Gregorij Theologi, ex oratione in diem Natalem Domini nostri Iesu Christi.

SEMPER fuit, & est, & erit Deus, immo verò semper est. Nam illud, fuit, & erit, temporis, cui nos obnoxij sumus, & naturæ fluxæ sunt partes. Deus autem semper est, atque ita se, dum in Monte Mosem alloquitur, nominat. Totum enim ipsum esse principium finemq; non habens veluti infinitum quoddam & nullo termino circunscriptum essentiæ pelagus in se ipso comprehensum continet, sic omnem & temporis & naturæ rationem superans, vt à mente sola, & ab hac etiam admodum obscurè, atque tenuiter adumbretur. Neque enim ex iis, quæ in ipso sunt, sed ex iis, quæ sunt circa ipsum aliam ex alia cogitationem colligens ad vnum quoddam veritatis simulachrum aspirat, quod instar fulguris non consistentis sed oculorum aciem celeriter perstringentis, principem animi facultatem, eorum duntaxat, qui sunt expurgati, paulisper illustrans, ante se subducit, quàm apprehendatur, & prius effugit, quàm intelligatur. Vt, quemadmodum ego quidem sentio, & eo, quod percipitur, ad se alliciat: Nam quod nullo pacto percipi potest, assequendi spem adimit; & quod se quis assecuturum omnino desperat, id sibi ne sequendum quidem existimat: & eo, quòd non percipitur, moueat admirationem, admiratione autem magis accendat consequendi cupiditatem, cupiditate verò nos expurget, expurgatosq; diuinos, & sui similes reddat, & cum eiusmodi tanquam cum amicis, iam familiariter versetur, vel potius (vt iuuenile aliquid liberius dicam) in Deis Deus coniũgatur, & cognoscatur, tantum fortasse quantum eos ipse cognoscit. Infinitus igitur est Deus, & ad intelligendum difficillimus, eiusque nihil aliud nisi infinitas ipsa percipitur. Sin aliquis opinetur, Deum, quòd naturæ simplicis sit, aut nullo prorsus modo, aut planè perfecteq; percipi, is diligenter attendat, quid sibi velit illud, esse naturæ simplicis. Neq;.n. illi idem est natura, & simplicitas, quemadmodum nec iis, quæ composita sunt, idem est essentia, & compositio. Verùm cùm infinitum dupliciter consideretur, nempe quãtum pertinet ad principium & ad finem, quod enim est superius his, & non in his, idest infinitum. Cùm igitur animus se ad superiora conuertens, non inuenit, vbi cogitans de Deo consistat, & innitatur, infinitum & inaccessum illud, ἄναρχον, hoc est, principio carens dicimus: vbi autem ad inferiorem tendenti idem ei contingit, illud ἀθάνατον, & ἀνώλεθρον, id est, immortale, & nullum interitum subiens vocamus: At vbi in vnum vtrũque coniecerit, illud αἰώνιον, id est, æternum appellamus. Aeternitas enim nec tẽpus est, nec vlla temporis pars, cùm nihil eam dimetiatur, sed quod nobis est tempus, solis conuer-

fione

sione dimensum, idem sempiternis rebus æternitas est, cum illis quasi quodam temporis motu & spatio simul extensa.

Eiusdem ex oratione de theologia.

DEus difficile intelligi, explicari nullo mō potest, vt quidam è græcis theologis, nō insitè mea quidem sententia philosophabatur, quo & intelligendi ꝓpo sita difficultate Deum ipse comprehendisse videretur, & explicandi ratione sublata reprehēsionem effugeret. Ego Deum nec explicari posse verbis existimo, & animo concipi multo minus. Nam quod animo conceperis, forte declarare posis si minus apertè, obscurè saltem, vt qui audit, nisi auribus, & mente captus sit, vtcunq; percipiat. Rem verò tantam nulla penitus ratione comprehendi posse iudico, nec solùm ab iis, qui humi defixi nihil nisi humile abiectumq; cogitant, verùm etiam ab illis, qui in rebus sublimibus contemplandis versantur, & Deo sunt amicissimi, à nulla deniq; natura procreata, cui ad veritatis cognitionē aspiranti caligo ista, & crassa carnis nebula tenebras offundit. Atq; haud scio, an ne à naturis quidem illis excelsis, quę mente sola & intelligentia constant, apprehēdatur. Hæ tamen quoniam propius accedunt ad Deum, & toto illius lumine illustrantur, eum fortasse si nō penitus, perfectius certè, & clarius, quàm nos intelligunt, & comprehendunt, quanquā & ipsæ quoq; aliæ magis, aliæ minus, pro ratione ordinis, in quo sunt collocatæ. Verùm vt hæc ita se habeāt, certè, quod ad nos attinet, non solùm illa pax, quæ superat omnem sensum, & comprehensionem, & ea, quæ iustis promissa sunt, quæ nec oculis cerni, nec auribus percipi, nec cogitatione comprehendi possunt, sed res etiam istæ procreatæ propemodum ignorātur. Et harum enim, mihi crede, vmbram tantùm tenemus. Cùm audis ea Dauidis verba: Videbo cœlos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, & certam in his, ac firmam ordinis rationem, attende, illum non videre se, sed aliquando visurum dicere. At illa natura, quæ his longè sublimior est, & à qua hæc perfecta sunt, multo minus percipi comprehēdiq; potest, nō dico, ꝙ sit, sed quæ sit. Neq; enim inanis est prædicatio nostra, nec stulta fides. Neq; hæc ita decernimus, vt rursum ex humanitate nostra impietatis initium ducas, aut calumnieris, & in nos inueharis, tanquàm ignorantiam profiteamur. Nam plurimum interest, vtrum dicas, tibi esse persuasum, aliquid esse, an, te scire, quid illud sit.

[Margin: ...lip. 4. ...or. 2. ...l. 8.]

Eiusdem ex eadem oratione.

ECquis ad illud sapientiæ fastigium peruenit? Ecquis tanto vnq̄ munere dignus effectus est? Ecquis adeò mentis os patefecit, attraxitq; spiritum, vt eo cuncta scrutante, & cognoscente, etiam ꝓfunda Dei, ipsum Deū sic apprehenderit, vt id, ad quod omni studio, & cogitatione Resp. cœlestis aspirat, iam assecutus, illo non egeat amplius? Quid enim vnquam Deum esse suspicaberis, si rationis argumentis penitus innitaris, aut quónam te rationis exquisita subtilitas adducet. O quisquis es, qui te maximū philosophum, & theologum profiteris, quiq; gloriaris, tanquam ea, quæ sunt immensa, sic consecutus, agè, nū Deus corpus? Et quomodo? infinitum ne, & interminatū, & nulla præditum figura, quodq; nec tangi, nec cerni potest? Num & hæc corpora? non arbitror te id ausurum dicere. Neque enim ea est natura corporum. An corpus quidem, non autem hæc? Ne te quidem adeò stupidum puto, vt Deum esse statuas illum, qui nulla re nobis antecellat cur enim colendus nobis & adorandus, si loco circunscribit? Aut quomodo effugiet, quin ex elementis compositus sit, & in ea rursum redactus omnino dissoluatur? Compositio enim pugnæ principium est, pugna dissensionis, dissensio interitus. Interitus autem à Deo, & à prima illa natura planè remotus. Tollatur ergo dissensio, ne sequatur interitus. Tollatur pugna, ne adsit dissensio. Tollatur compositio, ne pugna consequatur. Deniq; nec corpus sit, ne compositio admittenda sit necessariò. Sic ab extremis ad prima regrediens constat ratiocinatio. Quòd si Deus ita continet, vt ipse quoq; cōtineatur, quo modo defendemus, id quod de illo dicitur, nempe eum per omnia commeare, & implere omnia? Nònne cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus? Et, spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Vt illi sit ignominiæ, ꝙ & corpus esse dicatur, & quæ fecit ipse, non comprehendat. Vel, quod fieri nequit, erit corpus in corporibus. Aut, quod liquidis rebus accidit, implicabitur & cōmiscebitur, vt aliam ipse secet, ab alia dissecetur. Id, quod indiuiduis Epicuri corpusculis, & anicularum fabulis est absurdius. Corruit igitur eorum ratio, qui Deo corpus attribuunt, vt ipsa nec corpus, nec solidum, aut firmū aliquid habere videatur. At enim corpus quidē est Deus, sed expers materiæ. si quintum est corpus, quod (vt opinati sunt quidam) citato in orbem motu circunferatur, agè sit expers illud materiæ, quintumq; corpus, aut, si ita vis, vacet etiam corpore, neq; enim id nunc in controuersiam vocamus, & solent hi pro arbitrio suo huc illuc orationem torquere, texere, atq; retexere Agè ostēdas, quodnam eorum sit, quæ mouentur, & circunferuntur. (quanquā contumeliosum est, rerum effectorem, & motorem eodem, quo illæ mouentur, & circunferuntur, modo cieri) Hoc vbi ostenderis, quid illud item moueat, interrogabo. Sin id quoq; protuleris, vrgebo rursum requirens, quid moueat hanc vniuersitatem, quid rursum illud, atq; illud, atq; ita abibit in īfinitum disputatio. Deinde qui fieri posit, vt, si mouetur, non sit in loco: Sin aliud à quinto illo corpore diuersum corpus esse contenderis, nempe Angelicum, exquiram, vndenam tibi constet, Angelos esse corpora, & quænam illa ipsa sint. Et quænā re præstabit Angelis Deus, cuius ministri sunt? Quòd si sublimius corporum agmen rursum adduxeris, stultum, ac nugatorium pelagus, in quo nullum sit vadum, vbi consistere valeas, apparebit. Patet igitur, Deum non esse corpus, & ex eo potissimum, quòd nullus vnquam eorum, qui diuino spiritu afflati fuerūt, sententiā hanc aut ipse dixit, aut dictam ab aliis approbauit, abhorret enim ab Ecclesiæ nostræ disciplina. Reliquum igitur est, vt Deum corporis expertem existimemus. Verū ne hoc quidem essentiam eius constituit, & comprehēdit, quemadmodum neque illa, ꝙ ingenitus sit, quòd principium non habeat, quòd nec immutetur, nec corrumpatur, & cætera, quæ vel de Deo, vel circa Deum dicuntur. Nam esse sine principio, non aliunde pendere, nullo fine terminari quid tandem afferunt, quod eius naturam & essentiam exprimat? Restat igitur, vt, qui Dei mētem tenet, & in eius est contemplatione perfectior, ad totam eius essentiam complectendam philosophando longius progrediatur. Quemadmodum enim non est satis, corpus, aut generatum esse dicere, si id, in quo hæc sunt velis constituere, & demonstrare, sed vt perfectè absolutèq; declaretur, necesse est, vt quod his subest, adiicias, exempli gratia corporeum, ac generatum illud, esse hominem, aut bouem, aut equum, ita, qui illius, qui est, naturam indagat accuratius, non debet, iis, quæ ille non est, enumeratis consistere, sed oportet, vt cùm exposuerit ea, quæ Deus nō est, subii-

[Margin: ...or. 2. Hier. 32. Sap. 1.]

ciat tandem, quid ſit. Præſertim cùm ſit facilius, vnum aliquod affirmando complecti, q̄ negando omnia ſigillatim enumerare. Vt ex eorum, quæ non eſt, negatione, & eius, quod eſt, affirmatione, illius notio comprehendatur. Nā qui ea, quæ Deus non eſt, dicit, tacet autem id, quod eſt, perinde facit, vt ſi quis interrogatus, quot bis quinque conficiant, non duo, nec tria, nec quatuor, nec quinq;, nec viginti, nec triginta, nec vllum deniq;, vt breuiter dicam citra, aut vltra denarium numerum reſponderet, ipſum verò denarium non pronunciaret, interrogantis enim, & quæſtionem proponentis animo non ſatisfaceret. Multo enim facilius, & breuius queas ex eo, quod eſt, ea, quæ non eſt, explanare, quàm iis, quæ non eſt, abnegandis, id, quod eſt, declarare. ſed hoc nemini dubiū eſt. Verùm quia iam perſpicuum eſſe arbitror, Deum eſſe corporis expertem, parumper adhuc inquiramus, vtrum nuſquam ſit, an alicubi. Si nuſquam dixeris, poterit aliquis eorum, qui ſubtilius diſputant, quærere quonam modo ſit. Nam ſi id quod non eſt, nuſquam eſt, quod nuſquam eſt, forte ne eſt quidem. Sin alicubi, reſpondebis, rurſum interrogabo. vbi nam? In vniuerſitate, an ſupra vniuerſitatem: Si in vniuerſitate, in aliquàne illius parte, an in tota. Si in aliqua parte, ergo qđ maius eſt, à minori cōtinebitur. Sin aūt in tota, ergo ab eo, quod maius, & aliud eſt, quandoquidem maius eſt, quod continet, quam id, quod continetur, ſi tamen totum à toto ſic ambiatur, vt nulla eius pars à circūſcriptione ſit libera. Hæc ſequuntur incommoda, ſi eum in vniuerſitate dicas eſſe. atque illud præterea, vbi nam erat, antequam ipſa vniuerſitas conderetur, ex quo nō parum accedet ad quæſtionem difficultatis. Quòd ſi illum ſupra vniuerſitatem eſſe reſponderis, quónam, inquam, diuiditur ab ipſa vniuerſitate? & vbinam, aut quomodo cogitatum eſt id, quod ſupra, & infra poſitum ac locatum eſt, cùm nullus ſit terminus, quo hæc ſecernantur, & ſeparentur? Nònne medium aliquod dare oportebit, quo vniuerſitas diuidatur ab eo, qđ eſt ſupra vniuerſitatem? hoc autem quid aliud erit, quam locus, quem euitabamus? Vt taceā, neceſſariò ſequi, Deū, ſi cogitatione comprehenditur, poſſe circunſcribi. Genus enim circunſcriptionis eſt etiam comprehenſio.

Ex eadem oratione.

SEd quorſum hæc perſecuti ſumus, & elaboratius fortaſſe, quam multorum aures patiantur, ea vtentes dicendi ratione, quæ nunc viget, & quæ contempto ingenuo, & ſimplici loquendi genere, tortuoſum, ac ſpinoſum diſputandi modum introduxit, vt ex fructibus arbor, ideſt, ex obſcuris, & tenebricoſis diſputationibus author iſtiuſmodi doctrinæ ipſe tenebrarū princeps agnoſcatur? Non vt ipſe quoq; noua admirandaq; dicere, & nectēdis vinculis nexiſq; diſſoluendis & explicandis, id quod in Daniele magnum fuit atque admirabile, ſapientia cæteris videar antecellere: Sed vt illud oſtenderem, quod orationis initiò propoſuimus, nempe Deum hominis animo, & cogitatione comprehendi non poſſe, nec quantus ſit, vlla ſimilitudine declarari. Quod tamen ipſius Dei non accidit inuidia. A diuina enim natura, quæ perturbationū eſt omnium expers, & ſola bona, & princeps procul abeſt, vt inuideat, hominibus præſertim, quos omnium, quæ procreauit, chariſsimos habet. Quid enim diuinæ rationi charius ſit, quàm ij, qui ratione prædìti ſunt. Quanquam & illud ipſum, quod ſumus, à ſumma illius bonitate proficiſcitur. Neque quo maior illi ex ea re proueniat honor & gloria, magiſq́, colendus, & venerandus exiſtimetur, quia ad cognitionem ipſius non peruenitur. Id enim vafrum, & alienum non ſolùm à Deo, verùm etiam ab homine mediocriter manſueto, & humanitatis non penitus oblito, vt arcendis reliquis primas aſſequatur: Cur igitur non comprehendatur Deus, vtrum aliæ ſint cauſæ, norunt ij, qui Deo proximi ſunt, quiq; imperueſtigabilia eius iudicia intuentur, & contemplantur, ſi qui tamen virtute tantum excellunt, & per abyſsi veſtigia ambulant, vt dici ſolet. Nobis quidem exiguis modulis magna, & cognitu difficilia dimetiētibus hæ cauſæ videntur forſitan eſſe poſſe, primùm, ne comparandi facilitatem contemnendi facilitas conſequatur. Solent enim quæ labore parta ſunt, diligenter ſeruari: quæ autem facilè parantur, citò contemni, vtpote quæ rurſum parari queant. Atque ita qui ſapiuut beneficii difficultatem, beneficium interpretātur. Deinde ob illud etiam fortaſſe, ne nobis idem, quod olim Lucifero, contingeret, vt totā capientes lucem, nimium efferremur noſq́; aduerſus Dominum omnipotentem ſuperbè gereremus, atque ita elati caſu maximè miſerando cōcideremus. Preterea inter nos, atq; Deum hæc corporis caligo, vt olim illa inter Hebreos & Aegyptios nubes, forte intercedit, vt quanto purius, & conſtantius hic ad eum coguoſcendum contendimus, tanto maius ab eo ſtudij & vitæ purè tranſactæ præmium conſequamur. Atq; iccircò forte ſcriptum eſt: Poſuit tenebras latibulum ſuum, craſſam nimirum tarditatem noſtrā, qua pauci, & parum perſpiciunt. Hæc igitur philoſophentur, qui tenentur hoc ſtudio, & ad ſummum contemplationis faſtigium conſcendant. Nobis qui terræ vinculis, vt ait D. Hieremias, detinemur, & iſto carnis pōdere deprimimur, perſuaſum eſt, quemadmodum fieri nequit, vt noſtrā ipſi, quanuis feſtinantes, vmbram ſuperemus, quippe quæ tanto ſemper antecedit ſpatio, quantum nos ſequendo conficimus: vel vt res cōſpicuas, niſi aer, & lux interceſſerit, oculis cernamus, vel vt piſces aquis excluſi natent: ita fieri non poſſe, vt qui corporibus incluſi ſunt, ad rerum diuinarum intelligentiam ſine aliqua ſpecie corporea perueniāt. Semper enim nos aliquod ex terrenis iſtis & corporeis rebus impedimentum interpellabit, licet ab illis mens quoad fieri poterit, ſeſe conetur abiungere, & rebus illis ſibi cognatis, & a ſenſibus remotiſsimis adhærere.

Ex eadem oratione.

QVidnam eſſentia, naturaq; Deus ſit, nullus vnquā hominum inuenit, neq; tamen inuenire non poteſt, vtrum autem ſit inuenturus, philoſophando diſputandoq; inquirat, quicunq; volet. Inueniet aūt tunc, vt ego ſentio, cùm diuinum hoc, quod in nobis eſt, Deiq; ſpeciem continet (mentem & rationem intelligo) cum eo quod ſibi cognatum eſt, coniungetur, & imago ad exemplar redierit, cuius deſiderio nunc inflammatur. Quod ſapienter admodum à Paulo cōſideratum exiſtimo, cum diceret fore, vt tantum cognoſcamus, quantum & cogniti ſumus. Nam quod ad præſentem attinet cognitionē, quicquid à nobis percipitur, eſt puſillus quidam ampliſsimi fontis riuulus, & exiguus maximę lucis radius. Itaq; ſi quis Deū nouit, aut ſcripturæ teſtimonio nouiſſe dicitur, tantum nouit, quanto videtur clarior iis, qui æquè illuſtrati non ſunt, & præſtantia illa, perfectio vocatur, non quod reuera ita ſit, ſed quod tanquā in trutina poſita, & cum aliorum facultate comparata ſic apparet. Quamobrem Enos ſe Dominum inuocaturum ſperauit, eiuſq; factum ſpes fuit non cognitionis, ſed inuocationis. Enoch autem trāslatus eſt, nec tamen conſtat, vtrum diuinæ iam adeptus naturæ cogni-

6. tionem,an adepturus. Noë vero,q̃ gratus Deo fuerit, ex
eo patet,quod illi commisit, vt mundum vniuersum, aut
certè mundi semina conseruaret,& paruulo ligno eluuio-
.4. nem effugeret.Iam Magnus ille Patriarcha Abraham ex fi
18. de iustificatus est, & nouam hostiam magnæ illius hostiæ
22. imaginem præferentem immolauit, Deum tamen non vt
Deum vidit,sed vt hominem hospitio suscepit, atq; aluit,
& laudatus est,quòd illum coluit,& adorauit,quantum po
28. tuit animo comprehendere. At Iacob scalam quidem in
quiete sublimem quandam & Angelos ascendentes vidit;
& columnam inunxit,vt eo forte mysterio lapidem illum,
qui pro nobis inunctus est,indicaret,& ad honorem illius,
quem aspexerat,domum Dei locum quendam appellauit;
33. & cum Deo tanquam cum homine luctatus est, siqua ta-
men Dei lucta cum homine potest esse,ac non per eam in
telligitur humanæ virtutis cum Deo comparatio: Et luctæ
notas in corpore impressas tulit,generatam naturam victã
indicantes:& pietatis præmium accepit,vt pro Iacob, ma
gno illo & præclaro nomine Israel vocaretur. Attamẽ nec
ipse,nec vllus eorum, qui ex duodecim tribubus, quarum
ipse pater fuit post eum secuti sunt, ad hunc vsque diẽ glo-
riatus est,se Dei naturam,& speciem penitus comprehen
disse.Eliæ porrò,vt ex historia intelligis,non violentus fla-
tus, non ignis, non terræmotus, sed tenuis quædam au-
ra Dei præsentiam,non autem naturam adumbrauit,Eliç,
inquam,illi,quem ignis etiam currus in cœlum tollens in-
dicauit,quantum iustitia hominibus præstaret.Quid?Ma-
3. naem iudicem primò,ac deinde Petrum discipulum non
admiraris?illum ne speciem quidem ferentẽ cõspecti Dei,
& vxorem iccircò sic alloquentem:Perimus,mulier, vidi-
mus Dominum,tanquam ne species quidem Dei ab homi
nibus perspici,nedum natura comprehendi possit: Hunc
autem Christum à se conspectum nauigio nõ accipientẽ,
4 sed dimittentem,præsertim cùm esset Petrus ille ad Christi
16. cognitionem maximè omnium incensus, & iccircò bea-
tus appellaretur, & maximis muneribus præponeretur. Iã
verò quid dices tum de reliquis Prophetis, tum de Esaia,
deq; Ezechiele rerum maximarum inspectore?Quorum il
le Dominum Sabaoth in solio gloriæ sedentem quem sera
phim senis alis ornati stipabant,& collaudabant, & tege-
bant,seq; carbone purgatum & ad prophetiam instructũ
vidit.Hic autem & Dei uehiculum, nempe cherubin ip-
sos describit,& super his sedem, & super sede firmamen-
tum,& eum,qui in firmamento videbatur, & voces quas-
dam,& impetus,& actiones. Quæ vtrum spectaculũ diur-
num fuerint solis sanctis conspicuum, an nocturnum sed
minimè fallax visum,an præcipuè animi partis descriptio
tanta cum rebus futuris cognatione cõiunctæ,vt eas quasi
præsentes cerneret, an arcanum aliquod aliud prophetiæ
genus,haud facilè dixerim. Nouit ipse Prophetarũ Deus,
& qui diuino eius numine sunt afflati. Certè neque hi, de
quibus loquimur,neq; eorum similes alii in essentia Domi
ni cognoscenda constiterunt,vt scriptum est, nec Dei na-
r.12 turam aut viderunt,aut explicarunt. Quòd si Paulo licuis-
set efferre ea,quæ tertium illi cœlum,& ad illud vsque pro-
gresio exhibuit,siue is ascẽsus,siue assumptio fuit, aliquid
amplius de Deo fortasse cognitũ haberemus,si tamen huc
spectat illius raptus mysterium,Nunc autem quoniam ar-
cana erant,& efferri non poterant,nos item ea silentio co
r.13 lamus,& veneremur.Ipsum quidem Paulum illud tantùm
dicentẽ audiemus:ex parte cognoscimus,& ex parte pro-
phetamus.Hoc,& alia eiusmodi confitetur ille, qui scien-
tia non est imperitus,qui comminãdo rogat,an Christi in
se loquentis quærant experimentum?Magnus inquam,ille

veritatis propugnator & doctor hæc confitetur. Itaq; hu-
manam omnem Dei cognitionem speculis, & ænigmati- 1.Cor.13
bus non anteponit,quippe quæ in exiguis veritatis simula-
chris sita est. Ac nisi vererer,ne quibusdam hęc verbosius,
& curiosius viderer expendere,dicerem,non alia esse for-
tasse illa,quæ Dei Verbum nunc non posse portari signifi- Ioan.16.
cabat,quæ tamen olim portanda conspiciendaq; foret, &
quæ mundum ipsum non posse capere ante signanus ille
Verbi,magna illa veritatis vox Ioannes assetebat. Ioan.21.

Ex eadem oratione.

OMnis profectò veritas,omnisq; ratio ad coniicien-
dum,& intelligendum difficilis est. Nos autem par-
uo instrumento magna conamur efficere, dum hu
mana sapientia rerum cognitionem aucupamur, & sensi-
bus,aut non sine sensibus,à quibus circunferimur, atq; de
cipimur,ad ea quæ mente constant, percipienda cõten-
dimus, nec animo nudo rebus nudis inhærere possumus,
eumq; illarum notionibus informare.Dei autẽ ratio quan
to perfectior est,tanto est difficilior,pluresq; suggerit quæ
stiones,quibus dissoluendis admodum torquearis. Quic-
quid enim difficultatis inciderit,licet minimnm sit, ratio-
nis inhibet cursum,& eius progresionem interrumpit,nõ
aliter,quam qui equos incitatos habenis coërcent & retra
hunt,& inopinato freni reflexu circuntorquent. Solomon
quidem,qui omnes,qui ante se fuerant,quiq; ætate sua ce-
lebres erant, sapientia superabat, cui latitudo cordis Dei
munere contigerat,& contemplationis & scientiæ copia,
quàm arena,magis innumerabilis,quanto altius in hoc pe Eccle.
lagus descendit,tanto magis hæret ac titubat, sapientiæq;
finem illum statuit,vt quantum ignores,inueneris. Paulus
verò laborat ille quidem, vt perueniat non ad Dei naturã,
nouit enim illuc perueniri non posse, sed ad eius tantum-
modo iudicia. Verùm cùm nullum neq; exitum,nec ascẽn
sus statum inueniat,neq; quó mentis curiositas planè con
sistat,cùm semper deesse aliquid videatur, (ò rẽ admiran-
dam necesse est enim, vt ego quoq; sic afficiar, quemad-
modum ipse affectus est)admiratione concludit orationẽ,
idq; Dei diuitias,& altitudinem appellat, fateturq; Dei iu- Ro.ij.
dicia modò nominat Abyssum multam,cuius profundum Psal. 35.
nec mensura queas,nec sensu deprehendere:modò scien-
tiam eius mirabilem ex se procreationeq; sua factam dicit, Psal. 38.
maioremq; esse,quàm vt eam viribus suis assequi,comple-
ctiq; posit,Vt enim cætera,inquit,omittam,meq; ipsum,
& omnem humanæ naturæ fabricam considerem, Quæ-
nam est eius mixtio?qui motus?Cur immortale cum mor-
tali coniunctum est?Quomodo deorsum fluo,& sursum fe
ror?Quomodo circunfertur animus?Quomodo vitã præ-
bet?Quomodo pturbationibus afficitur? Quomodo mẽs,
si circunscripta est?Qnomodo interminata, & motus cele
ritate cuncta collustrat,atq; percurrit, si in nobis manet?
Quomodo sermonem accipit, eundemq; communicat?
Quomodo per aërem transit, & cum rebus ingreditur?
Quomodo cum sensibus societate deuincta est, & à sensi-
bus separata?Præterea,vt quæ his antiquiora sunt, perse-
quar,qua ratione primùm in naturæ officina conflati in-
formatiq; sumus, aut quomodo perfecti demum, atque
absoluti?Quæ alimenti appetitio,ac distributio? Quis pri-
mos uitæ fontes aperuit,& uiuendi facultates ultro tribuit?
Quomodo cibis corpus,ratione animus pascitur? Quænã
illa naturæ uis,mutuaq; inter gignentes, genitosq; cogna
tio,ut amoris uinculo & necesitudine cõiungantur? Quo
modo cum specie inter se conueniant homines, tam mul-
tis tamen notis propriis differunt, ut eas præ multitudine

numerare nō possis? Quomodo idem animal mortale, atq; immortale? mortale quidem obitu, immortale autē ortu. Aliud enim moriendo discedit, aliud nascendo in vitam ingreditur, non aliter, quam in fluminis cursu nunquā stantis, & perpetua fluctuum successione præter labentium damnum resarcientis fieri cernimus. Quid? in membris & partibus corporis quanta contemplandi materia subministratur? primùm q̄ mirabili concentu tum ad vsum tū ad pulchritudinem inter se naturæ lege ita coniuncta sint, vt tamen differant. cùm vicissim præsint, & pareant, copulentur, & disiungantur, contineant, & contineantur. Deinde quæ sit loquendi, audiendiq; ratio, quomodo vocalibus instrumentis verba formentur, eademq; per interiectum in medio aerem perlata ictu & impressione quadam inter se coniuncta ab auribus excipiantur. Tum q̄ arcana sit videndi vis. quanta cum rebus, quæ videntur cognatione deuincta, quomodo ad solum voluntatis arbitrium, & simul excitetur, & in hoc menti similis sit quod pari velocitate mens rebus intelligendis, & videndi vis rebus cernendis applicatur. Præterea quomodo reliqui duo sensus extrinsecus positas suscipiant, nec cōspiciantur tàmen. Postremò quomodo per somnum quies, & secundum quietem in somnia, & visa fiant. Quæ memoriæ recordationis rationis, iræ, cupiditatisq; vis, & omnia deniq;, quibus paruus hic mundus homo regitur, & gubernatur.

Eiusdem ex oratione de modestia in disputationibus obseruanda.

CVr volatu cœlū petis, cùm pedes sis? Cur turrim ædificas, cùm sumptus non suppetat? Cur tu quoq; aquā manu, cœlum palma, pugillo terram conaris dimetiri, cùm sint elementa adeò magna, vt ea solus ipsorum effector possit mensura complecti? Noice teipsum primò, ea considera, quæ manibus tractas, qui sis, & vnde conflatus, & quomodo compositus, vt cùm imago sis Dei, cum deteriori tamen, corpore nimirū deuinciaris, quo modo moucaris, quàm sapiens in te artificium, quod naturæ mysterium. Quomodo cùm in loco contínearis, mens tamen nō sit circunscripta, sed in hoc manens omnia complectatur. Quónam pacto vis oculorum, qui tam exigui sunt, tam latè vagetur, & vtrum res ipsa conspectas suscipiat, an ad illas accedat. Quomodo idem voluntatis arbitrio gubernatum moueat simul, & moueatur. Quæ motus intermissio, & quies, quæ diuisio sensuum, & quomodo per hos mens cum externis versetur, externaq; suscipiat. Quomodo rerū species admittat, & quænam sit earum, posteaq̄ admissæ sunt, per memoriam cōseruatio: & si exciderint, per recordationem repetitio. Quomodo ratio, atq; oratio gignatur à mente, & in alia mente rationem orationemq; gignat. Quomodo verbis cogitata communicentur. Quomodo per animum alatur corpus, & per corpus fiat affectionum particeps animus, vt congelascat metu, soluatur audacia, mœrore contrahatur, diffundatur voluptate, tabescat inuidia, efferatur superbia, spe subleuetur, & sanguine modò circa cor æstuante ira insaniat, modò recedente erubescat verecundia. Quomodo affectionum animi notæ in corporibus sint impressæ. Qui rationis principatus, & quomodo his omnibus præsit, & perturbationum motus temperet, atq; moderetur. Quomodo quod corporis expers est, sanguine, & flatu contineatur, quibus deficiētibus animus ipse recedat. Hæc, aut horum aliquid considera, homo. Non dum enim dico cœli naturam, & motum, nō stellarum ordinem, non mixtionem elementorum, non animalium differentias, non cœlestium virtutum inferiores, aut superiores incessus, & situs, & omnia, in quæ Dei ratio distribuit, nec eius regendi gubernandiq; prouidentiam. Cùm hæc inquam, fueris assecutus, ne tunc quidem, dixerim vt confidas, sed vt verearis adhuc, ascendere ad illa, quæ sunt sublimiora, quæq; tuas superant vires & facultatem.

Eiusdem ex oratione Apologetica magna.

EXcelsum est cœlum atq; sublime, terra autem humilis & profunda. Ecquis illuc ascendet, eorum qui propter peccatum proiecti sunt? Quis terrenis adhuc tenebris circunseptus, & crasso corporis indumento obuolutus tota mente totam mentem purè poterit intueri, & inter hæc, quæ sunt instabilia, & sensibus obnoxia, manens, ad ea, quæ sunt immobilia, & oculis cerni nō possunt, aspirare? Eorum certè, qui hic puri mundiq; sunt, vix quisquā poterit simulachrum illius pulchritudinis aspicere, non secus, atq; illi, qui solem in aqua contemplantur. Quis est ille, qui aquam manu, & cœlum palma dimensus est? & pugillo terram continet vniuersam? Qui montes in lance posuit, & valles in statera? ecquis erit locus, in quo ille requiescat? cuinam omnibus è rebus dicetur similis? Quis est ille, qui verbo fecit omnia? Qui sapientia fabricatus est hominem? Qui dissidentia in vnum contulit? Qui spiritui puluerem admiscuit? Qui animal, quod cernitur, cum eo, quod cerni non potest, mortale cum immortali, terrenum cum cœlesti, copulauit, quod Deum attingit, & non comprehendit: appropinquat, & procul abest? Dixi, sapiens fiam, inquit, Solomon, & recessit à me longius, quam erat prius. Sapientiam autem intelligit. Et profectò qui scientiam addit, addit & dolorem, cùm non maiorem lætitiam accipiat ex eo, quod didicit, quàm dolorem ex eo, quod assequi nō potuit. Id quod illis solet contingere, qui sitientes adhuc abstrahuntur ab aqua. Aut qui se aliquid tenere iam putant, quod assequi nequeunt. Aut quos fulguris splendor propè citius transiliit, quàm illustrauit. Hæc me cogitatio depressit, atque humilem reddidit, persuasitq;, satius esse, laudationis vocem audire, quàm profiteri se doctorem eorum, quæ vires humanas superant. Magnitudo, & sublimitas, & dignitas cœlestium illarum mentium, quæ sunt naturæ purissimæ vix capiunt splendorem Dei, quem abyssus tegit, cuius latibulum tenebræ sunt, qui lux purissima est, licet pluribus in accessa. Qui in vniuerso orbe versatur, & extra orbem est vniuersum. Qui est omnis bonitas & pulchritudo, & omnem bonitatem, & pulchritudinem. Qui mentem illustrat, & mentis celeritatem, & altitudinem effugit, tantum semper antecedens, quantum illa sequitur, vt dum fugit, seq; penè comprehensum ostendit, amantem magis inflammet assequendi cupiditate, & ad superiora ducat & trahat.

Item naturam diuinam comprehendi non posse. Chrysostomi ex libro, quo continentur orationes, quibus Deum incomprehensum esse demonstrat.

MAgnum vitium est, non continere se intra illos terminos, quos nobis præscripsit Deus, sed ea velle tentare, quæ mentem nostram exsuperant. Ita q̄ primus formatus est homo, dum maiora cōcupiscit, & ea, quæ habebat perdidit. Quamobrē rationibus nostris multam salutem dicentes (rationes enim, inquit, hominum vanæ, & fallaces eorum cogitationes) ne velimus mensuram attributæ nobis facultatis transilire.

Eiusdem.

Isa. Isa. Rom. 1. Co. 1. Co. Phili. 1. Co. Ezec. Esa. Esa.

Eiusdem.

38. Mirabilis, inquit, facta est scientia tua ex me, exaltata est, & non potero ad eam pertingere. In pelago diuinæ sapientiæ non reperit vadum, sed hæret Propheta. Et aliquis audet dicere, se Dei naturam habere perspectam, & cognitam? Idem dicit, incerta, & occulta sapientię tuæ manifestasti mihi, & tamen clamat, sapientiæ eius non est numerus, seu comprehensio, & non veretur aliquis, de natura, quę comprehendi non potest, vt à se percepta disputare? Quid ais? sapientia percipi non potest, & natura illius comprehendetur? Magnificentia eius non habet finem, & eius essentiam circunscribes? Hoc est perspicua insania.

Eiusdem.

53. Esaias, generatione eius, inquiēs enarrabit, concedet tibi, vt illius essentiam explices? Paulus, qui ad tertium vsque sublatus est cœlum, & ad ea mysteria spectanda, quæ naturam superant & arcana sunt, admissus est, dum exiguam diuinæ prouidentiæ particulā expendit, nempe quomodo Iudæos abiecerit, externasq; gentes susceperit, tanquā in profundo pelago periclitaretur, statim exiliit, & magna cū admiratione vehementer exclamans
m. ij. ò altitudo, inquit, diuitiarum, & sapientiæ, & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ illius. Non dixit, quam incomprehensibilia, sed quam inscrutabilia iudicia, & quam imperuestigabiles viæ. Deū ergo, cuius iudicia scrutari & peruestigare non possumus, comprehendemus? Quid autem iudicia & vias dico, cùm præmia sanctorum comprehendit nequeant? oculus, in-
Cor. 2. quit, non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quid? quòd donum eius verbis explicari non potest? Gratia enim,
Cor. 9. inquit, Deo pro ineffabili dono eius. Pax eius superat om-
lip. 4. nem sensum, & ipse solus comprehendetur? Et alibi Pau-
o. 13. lus, ex parte, inquit, cognoscimus. tu autem affirmas, te perfectè cognoscere? Quanquam & ille dixit ex parte, non quòd naturæ diuinæ aliud quidē nosceret, aliud ignoraret. sed ex parte nouit, quoniam sciebat esse Deū, quid autem esset, ignorabat. Sciebat Deum omnia procreasse, sapientem esse, nihil non posse, omnia continere, quantus autem, aut quomodo esset, nesciebat.

Eiusdem.

Angeli tantum modò collaudāt Deū, alij discentes:
ch. 3. Gloria in excelsis Deo. Alij benedicta gloria eius ex loco sancto eius, hoc est, vbicunque ille est. Ne-
6. que enim in loco Deus, qui circunscribi non potest. Alij Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth. Homines autem naturam illius definiūt, & circunscribunt. Quātus cœlestibus timor & reuerentia? Quantus terrestribus contemptus, & confidentia? Illi cautè loquuntur, audacter hi sunt curiosi.

Eiusdem.

Ait rursum Esaias: Vidi Dominum sedentem in solio alto atque excelso, tali nimirum, vt enarraui nō
6. possit. Dei solium humana mente sublimius est, & comprehendetur ipse Deus? & Seraphin stabant in circuitu eius. Vni erāt sex alæ, & alæ sex alteri. binis alis tegebant facies suas, & binis pedes. Seraphin auertunt ora, & pro duplici muro prætendunt alas, quòd splendorem ex gloria solij terribili ratione fulgentem, perferre non valeant. Et præ stupore obtegunt pedes. Siquidem & nos cùm maxima admiratione affecti sumus, corpus vndique contrahere consueuimus. Corpus autem? Immo verò animus ipse ex summo rei cuiuspiam admirandæ obtutu contractis actionibus suis ad intima refugit, seq; corporis veluti propugnaculo vndiq; circūmunit. Quaternarum alarum vsum intellexisti, reliquarum nunc vsum intellige. Et binis, inquit, volabant. Indicium hoc est, perpetuæ rerum sublimium cupiditatis, quodq; deorsum nunquam aspiciant. Nam alæ significant Angelicæ naturæ leuitatem, & celeritatem. Alia item ratio potest afferri. Binis alis facies, & binis alis pedes obtegunt suos, vt ostendant Dei nec principium nec finem perspici comprehendiue posse. Mediis autem volant, vt doceant, de mediis posse rebus diuinis rationes intelligi, nempe Deum & esse, & esse sapientem, & omnipotentem, & horum similia. Et clamabat alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth. Quod est admirationis, ac stuporis signū, præsertim cùm non cernerēt lucem, nec diuinam naturam. Spectaculum enim illud erat demissio quædam. Nec tamen demissionis gloriam perferre poterant. Demissio nāq; est, cùm Deus se, non vt est natura, conspiciendum præbet, sed habita ratione contemplantium, demittit se, atque accommodat eorum imbecillitati. Quòd autem eiusmodi demissio fuerit, ex ipsis verbis colligi potest. Vidi, inquit, Dominum. At Deum nullus vnquam vidit, quippe qui & formam, & quantitatem, & qualitatem non habet. Quis hoc dicit?
Vnigenitus filius, qui sedet in sinu patris, ipse enarrauit. Io. 1.
Deinde subiicit, sedentem. Nec sedet Deus, nec stat. Hæc enim cadunt in corpora. Tum addit, in solio. At in solio Deus non includitur. Quomodo enim, cùm circunscribi non possit? Cùm igitur Seraphin stent, quod non locum significat, sed eorū ex puritate familiaritatem nec possint in demissionis gloria oculos defigere homines conantur in sublimiorem essentiæ ipsius gloriam oculos intendere? Et tamen quantum differt cæcus ab eo, qui cernendi vim habet, tantum est inter nos atque illos discrimen.

Eiusdem.

Daniel Propheta demissum Angeli nō tulit aspectū, Sed aufugit, & procidit. Non est relictum, inquit, in me robur, & gloria mea conuersa est in corruptionem. Itaque periit oris mei pulchritudo, & in mortui pallorē versa est. Tu verò, qui Daniele tanto inferior es, quantum ille cedit Angelo, non vereris os tuum tollere, & in natura diuina peruestiganda curiosus esse? Daniel, qui in corpore humano, quæ vires humanas superant, præstitit, conserui demissionem non sustinuit, & tu naturam illam apprehendisti, quæ innumerabilia condidit Angelorum millia, quorum non potuit vnum Daniel intueri, vt ostensum est. Quis non ingemiscat, quis non commisereatur stuporem, & insaniam homnis?

Eiusdem.

Audi quid philosophentur Prophetæ de Deo, & horresce præ timore, ac contremisce. Qui aspicit super
terram, & facit eam tremere. Qui tangit montes, Psal. 103
& fumigant. Mare vidit, & fugit Iordanis conuersus est Psal. 142
retrorsum. Qui concutit cœlum à fundamentis. Qui comminatur mari, & exiccat illud. Qui statuit cœlum sicut fornicem. Et extendit illud tāquam tentorium super terram. Qui fecit terram, vt nihil. ò admirandam superlationem. rem tantam, ac talem, vt nihil. Illud enim nihil indicat procreandi facilitatem. Hæc & alia eiusdem generis loquentur Prophetæ, vt ex eorum, quæ à Deo facta sunt magnitudine dignam illius potentia notionem aliquam animo complectamur.

Eiusdem.

Esa. 40. QVi continet, inquit, orbem terræ, & habitantes in ea, tanq̃ locustas. Et omnes gentes in conspectu eius, vt gutta ex cado. Attende diligenter. Nam quæ Prophetæ dicunt, ea loquitur Deus, Deus autem nihil superuacaneum, aut vanum loquitur. Considera innumerabilia gentium millia, quæ terram incolunt, quarum ne nomina quidem connumerare possumus. Si gentes vniuersæ vt cadi sunt gutta, huiusce guttæ quantulam partem esse te arbitraris, qui Deum conaris comprehẽdere, apud quem cunctæ gentes sunt vti gutta ex cado?

Eiusdem.

INfinita sunt millium millia Angelorum Deo ministrãtium in cœlis, & millia millium, qui astãt illi tum Throni tum Dominationes, tum Principatus, tum Potestates, & infiniti populi virtutum corpore vacantium, & tam multæ tribus, vt nequeant recenseri. Et infinita tamen hæc millium millia tam facilè condidit Deus, vt explicari non posit. Quemadmodum enim velle nobis promptissimũ est, sic illic condere facillimum. Id, quod ostendens Pro-
Psal. 113. pheta, Deus, inquit, noster omnia, quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra. Nónne præ pudore teipsum sub terram deprimes? An vt admirareris solum, elatus tantæ
Mal. 1. desidiæ te addixisti? Si pater ego sum inquit, vbi honor meus? Si Dominus sum, vbi timor meus? Qui enim timet, colit tantum, & collaudat, & adorat: non autem curiose, & frustra disquirit.

Eiusdem.

1. Tim. 6 LVcem habitans, inquit, inaccessam. Domus est inaccessa, & ad eum, qui illam incolit, accedi poterit? Dixit autem hoc Paulus, non vt domum, & locum illi esse suspiceris, qui loco contineri non potest, sed vt ex ea re multo magis intelligas, Deum non posse comprehendi, nec domum dixit comprehendi non posse, sed inaccessam (quod maius est) eam appellauit. Præterea, tu quis es,
Rom. 9. inquit, vt respõdeas Deo? Diuinæ gubernationis rationes curiosius exquirẽtes coërcet, & tu beatam naturam ipsam gubernantem conaris indagare? Nónne hoc extremę dementiæ est? & multiplici fulmine vindicandum?

Eiusdem.

Philip. 3. RVrsum Paulus, ego me nondum, inquit, arbitror comprehendisse. Quid ais Paule? Christum habes in te loquentem, & eum te nondum arbitraris comprehendisse? Profecto, inquit, sic arbitror quoniam habeo Christum in me sequentem, docentemq́; me, sic arbitrari. Paulus, qui in se ipso Christum loquentem habet, nondum comprehendisse se arbitratur, ne illa quidem, quæ ad fidem pertinent, sed credit solum, nihil anxiè quærens, & tu curiose Dei naturam aucuparis? Dicens autem non arbitror me comprehendisse, indicat, se comprehendisse
1. Cor. 8. quidem, sed non omnia. Et alibi si quis, inquit, videtur sibi aliquid scire, nondum quicquam nouit, quomodo scire oportet. Tantum non, dicit, nouit ille quidem, sed nondum planè.

Eiusdem.

TV, vt cœlum, ac terram, & ea, quæ interiecta sunt, taceam, nondum intelligis naturam tuam, & his prætermissis ad supremam Dei naturam indagandam accurris? Animi tui ignoras essentiam. Essentiam dico? Immo verò nescis quomodo is insit in corpore tuo. Quid ita? inquies, Nónne ad molem corporis extenditur? Minimè verò. Nam extensio corporis est, non animi. Sæpe enim manibus, aut pedibus amputatis totus in manco corpore animus manet. Quid, inquies, nónne ad omnes corporis partes extenditur? Atqui videtur extendi oportere. Alioqui mortuæ essent illæ partes, ad quas animus non perueniret. Quod enim animo caret, caret & vita. Ex his colligit, te scire, animum in corpore esse, quomodo autem in corpore sit, ignorare. Cùm igitur, te ipsum planè ignores, naturam cognosces effectoris tui? Quæ te difficiliora sunt, Eccl.
inquit, ne quæras: & quæ fortiora sunt te, ne explores. Caue, ne curiosius inuestiges non modo naturam Dei, aut Angelorum, aut hominum, sed ne illarum quidem rerum, quæ sunt inanimæ. Si enim disquisitionem eorum, quę pro creata sunt, aggressus fueris, in rationum Euripum, & fluctus magnam tempestatem, & naufragium animi concitantes tete coniiciens non modo nihil amplius disces, cùm rerum singularum rationum reperire non queas, verumetiam mentis imbecillitate tanq̃ turbine circũactus multa, quæ tibi nunc præclara videntur, calumniaberis.

Eiusdem.

VT innotescat, inquit, nunc Principatibus, & Potestatibus in cœlis per Ecclesiam multiplex sapientia Phi
Dei. Audis Paulum dicentem, Nunc vna nobiscũ, & per nos, nec prius cœlestes illas virtutes Magni Regis arcana cognouisse. Ac ne principatus, & Potestates, qui Dæmones sunt, intelligeres, adiunxit, in cœlis, quo Dæmones aspirare non possunt. Partes igitur sapientiæ Dei ad diuinam humanæ carnis assumptionem, & vocationem gentium pertinentes cœlestes illæ mentes ante non perceperunt, & tu nunc ipsum comprehendisti? Et quæ Dei sunt nemo nouit nisi spiritus Dei. Et nemo nouit patrem, nisi qui ex Deo est, nempe filius: illa nãque vox, nemo, spiritũ, & filium secernit à rebus procreatis, quibus omnibus, siue sensu, siue animo, & cogitatione tantum percipiantur, talem adimit cognitionem: & tu, quasi his superior sis, eam tibi vendicas?

Item naturam diuinam comprehendi non posse.

Damasceni. Cap. 1.

DEum nemo vidit vnquam vnigenitus filius, qui est Io.
in sinu patris, ipse enarrauit Deus igitur nec expli- Mat.
cari, nec comprehendi potest. Nullus.n. nouit pa- 1. Cor. 2.
trem, nisi filius, neque filium nisi pater. Et Spiritus sanctus quæ Dei sunt, vt spiritus hominis nouit, quæ sunt in hoĩe. Secundum illam primam, beatamq́; naturam, nullus non ex hominibus solum, sed ex virtutibus illis, quæ mũdo sunt excelsiores, aut ex Cherubin, aut Seraphin Deum nouit, nisi cui Deus ipse se patefecit, & indicauit. Neq; tamen in omni prorsus ignoratione sui reliquit nos Deus. Omnibus enim ab ipso naturaliter insitum illud est, vt cognoscant, esse Deum. Deinde rerum vniuersitas, eiusque cõseruatio, & moderatio diuinæ naturæ magnitudinem prædicat. Prętere per legem & Prophetas prius, tum per vnigenitum filium suum, Dominum, & Deum, & seruatorem nostrum Iesum Christum, quãtum capere poteramus, Deus cognitionem sui nobis aperuit. Oĩa igitur, quę nobis per legem, & Prophetas, & Apostolos, & Euãgelistas tradita sunt, ea suscipimus, & cognoscimus, & veneramur, nihil amplius inquirentes. Deus.n. cùm bonus sit, omne bonũ elargitur, Nec inuidiæ, aut vlli perturbationi obnoxius est. Nam à diuina illa natura, oĩum affectionum experti, ac sola bona procul abest inuidia. Itaque cum omnia sciat, & quid cuique conducat non ignoret, quæ nobis cognita vtilitatem erant allatura, ea voluntate sua declarauit: Quæ verò ferre non poteramus, ea conticuit. His ergo cõtenti simus in his maneamus.

maneamus. Nec terminos auferamus sempiternos, nec à diuino præscripto recedamus.

Eiusdem cap. 11.

OPortet igitur, eum, qui de Deo vel dicturus est aliquid, vel auditurus, illud planè cognitum habere. Quæ ad diuinitatem eius, quæq; ad humanitatem à filio ipsius assumptam pertinent, nec omnia nō dici posse, nec omnia rursum dici: nec omnia non cognosci, nec omnia cognosci posse. Aliud autē est posse cognosci aliquid, & aliud posse explicari. Quemadmodum etiam aliud est eloqui, aliud est cognoscere. Multa igitur, quæ ad Deum spectant, tenui quadam, & obscura cognitione percipiuntur commodè, & propriè nequeunt efferri. Itaq; loquentes de iis, quæ supra nos sunt, cogimur vti verbis nobis congruentibus. Ex quo fit, vt Deo & somnū, & iram, & securitatem, & manus, & pedes, & alia eiusmodi tribuamus. Deū igitur esse, principio, & fine carere, esse perpetuum, æternum, non creatum, immobilem, immutabilem, simplicē, incompositum, corporis expertem, nec cerni, nec tangi, nec circunscribi, nec cogitatione, aut vllo modo comprehendi, bonum, iustum, omnipotentem, omnia procreasse, omnia moderari, omnia cernere, omnibus consulere, & prouidere, in omnia habere potestatem, omnium esse iudicem, & cognoscimus, & confitemur. Præterea vnum esse Deum, hoc est, vnam essentiam, eamq; tribus personis, patre, & filio, & Spiritu sancto ita distinctam, vt pater, & filius, & Spiritus sanctus vnum omnino sint, nisi quòd pater ingenitus est, filius genitus, Spiritus sanctus ꝓcedit. Et vnigenitum, ac verbum Dei, & Deum per viscera misericordiæ suæ pro salute nostra, ex bona patris voluntate, & opera Spiritus sancti, sine semine conceptum, & sine corruptione ex Sancta Virgine Dei genetrice Maria genitum, & perfectum esse Deum simul, & perfectum hominem ex duabus naturis diuina & humana, & in duabus naturis voluntate, actione, potestate propria vtentibus, &, vt breuiter dicam, pro conueniente vtriq; definitione rationeq; perfectè sese habentibus, diuinitate, inquā, & humanitate in vna coniunctis hypostasi, siue persona. Hunc & esurisse, & sitisse, & defatigatum esse, & cruci fuisse suffixum, & mortem, ac sepulturam subiisse, & surrexisse tertia die, & in cœlum, vnde ad nos venerat, ascendisse, atque inde rursum esse venturum, tum diuina scriptura testatur, tum omnis sanctorum cœtus. At quæ sit essentia Dei, & quomodo in omnibus sit, & qua ratione Deus ex Deo genitus sit, aut procedat. quonam pacto vnigenitus Dei, & Deus seipsum exinaniens ex virgineis sanguinibus homo factus sit, ratione prēter naturam formatus, aut quomodo siccis pedibus superfluctus incesserit, nec scimus, nec possumus explicare. Nihil igitur præter ea, quæ diuinitus à diuinis oraculis & veteri, ac nouo testamēto nobis patefacta, dictaq; sunt, de Deo vel dicere licet, vel cogitare.

TITVLVS QVINTVS

De diuina appellatione.

Areopagitæ ex libro de diuinis nominibus.

HAEC intelligentes Theologi Deum & tanquam omni nomine carentem, & ex omni nomine celebrant. Omni quidem carentem nomine, vt cùm summam ipsam Diuinitatem in vna ex arcanis & occultum aliquid significantibus visionibus apparentem increpasse dicunt illum, qui interrogauerat, quod est nomen tuum? & ipsum tanquam ab omni diuinæ appellationis cognitione deterrentem dixisse: Cur nomen inquiris meum, quod est admirabile? Nónne id verè admirabile nomen est, quod est super omne nomen? Quod explicari non potest? Quod superat omne nomen expressum vel in hoc seculo, vel in futuro? Eum rursus vt multiplici nomine præditum celebrant, vt cùm ipsum diuinitatem ita loquentem inducunt: Ego sum, qui sum, vita, lux, Deus, veritas. Et cùm diuina sapientia prēstantes viri ipsum rerum omnium authorem ex rebus omnibus procreatis pluribus nominibus appellant, vt bonum, vt pulchrum, vt sapientem, vt amabilem, vt Deorum Deum, vt Dominum Dominorum, vt sanctum sanctorū, vt æternum, vt existentem, vt seculorum causam, vt vitæ largitorem, vt sapientiam, vt mentem, vt rationem, vt cognitorē, vt omnes omnis scientiæ thesauros superantem, vt potentiam, vt potentem, vt regem regum, vt antiquum dierum, vt immutabilem, vt non senescentem, vt salutem, vt iustitiam, vt sanctitatem, vt redemptionem, vt magnitudine omnibus excellentem, vt cùm in aura tenui, atque adeo in mentibns ipsum esse dicunt, & in animis, & in corporibus, & in cœlo, & in terra, & simul in eodem, eundem in mundo, supra mundum, circa mundum, cœlo superiorem, præstantiorem essentia, solem, stellam, ignem, aquam, spiritū, rorem, nubem, ipsum lapidem, & petram, & omnia quæ sunt, & nihil eorum quæ sunt.

Gen. 32.
Exo. 3.

Item de appellatione diuina. Magni Gregorii Theologi ex oratione. 11. de filio.

NVllo nomine Diuinitas potest enunciari. Id non solum rationes ostendunt, verumetiam Hebreorum sapientissimi & vetustissimi, quoad fieri potuit, declararunt, quippe qui propriis quibusdam notis eam venerati sunt, nec permiserunt, vt eisdem literis ea, quæ post Deum sunt, & ipse Deus indicaretur, quasi oporteat in hoc etiam, Deum cum rebus nostris nihil habere commune. Quando igitur admisissent tales viri, naturam illam insolubilem, & sua se proprietate continentem voce solubili declarari? Nullus vnquam profecto totum efflauit aërem. Nec Dei essentiam omnino vel mens concepit, vel vox comprehendit. Sed ex iis quæ circa ipsum sunt, diuinitatem adumbrantes obscuram eius quandam, & tenuem hinc inde imaginem colligimus. Et ille optimus à nobis Theologus existimatur, non qui totam Diuinitatem inuenit, nullo enim vinculo tota stringitur, sed qui magis, quàm alius cogitationem intendens, maiorem veritatis siue similitudinem, siue vmbram, siue id alio modo vis appellare, animo complectitur. Ex illis igitur nominibus, ad quæ nos potuimus peruenire, Deus, &, qui est, magis essentiam exprimunt. Atque ex duobus his illud, qui est, priores obtinet partes, non solum quia in mente cum Mose loquens, & interrogatus ab eo, quodnam esse nomen ipsius, ita se nominauit, præcipiens Mosi, vt populo diceret, qui est, misit me: Verumetiam quoniam appellationem hanc magis propriā reperimus. Nam vox illa Deus, siue à currendo, siue ab vrendo Græcè dicatur (vt placet iis, qui, vnde nomina ducta sint, diligenter inuestigant) quòd semper moueatur, & improbos habitus comburat, quando ex ea re & ignis consumens dicitur, vna tamen ex illis est, quæ cùm aliquo conferuntur, neque soluta, & libera est. Quemadmodum

Exo. 3.
Deut. 4.

& illa vox, Dominus, quo item nomine Deus appellatur. Ego enim, inquit, Dominus Deus tuus hoc mihi nomen est. Et Dominus est nomen ipsi. Nos autem naturam eius quærimus, qua per se est; non autem cum alio copulatus. At illud, qui est, verè proprium, & totum est Dei, neque ex eo quod ante ipsum; aut post ipsum sit (non enim fuit, aut erit,) terminatur aut abscinditur. Reliqua verò nomina perspicuè spectant partim ad potestatem, partim ad dispositionem, & ad hanc quidem duplici ratione, vel supra corpus, vel in corpore, vt omnipotens, & Rex gloriæ, aut seculorum, aut virtutum, aut dilectionis, aut Regum. Et Dominus, vel Sabaoth, quod est exercituum, vel virtutū, vel dominantium. Hæc enim planè pertinent ad potestatem. At Deus tum salutis, tum vltionum, tum pacis, tum Abraham, Isaac, & Iacob, & omnis Israelis spiritalis, ac videntis Deum dispositionis sunt propria. Etenim quoniam his tribus regimur metu supplicij, spe salutis & gloriæ & exercitatione virtutum, vt vltionum Deus metum disponit; vt salutis, spem: vt virtutum, exercitationem. vt qui horum aliquid sequitur, in seipso Deum gerens magis ad perfectionem & ad virtutes excolendas excitetur. Cæterùm hæc quidem adhuc Diuinitatis communia sunt nomina. Proprium verò principio vacantis est pater: Geniti autem sine principio est filius, non geniti autem, sed prouenientis, aut procedentis est Spiritus sanctus. Sed ad institutum de filij appellationibus sermonem reuertamur. Videtur enim mihi dici filius quidem, quoniam eiusdem est essentiæ cum patre, neque id solum, sed etiam ex ipso. Vnigenitus autem, nō modo, quia solus ex solo, & solum, verumetiam quia singulari, atque alio modo, quàm corpora. Ratio verò, seu verbum, aut sermo, quòd ita se habet cum patre, vt ratio cum ipsa mente, non modo quia sine perturbatione genitus est, sed etiam quia coniunctus, & quia patris mentem enuntiat. Ob id præterea dixerit aliquis, quoniam ita se habet cum illo, vt ratio, seu definitio se habet cum eo, quod definitur. λόγος enim illud quoque significat. Qui nouit, inquit, filium, nouit & patrem hoc est qui filium vidit, patrem nouit. Et breuis ac facilis naturæ patris demonstratio est filius. Proles enim est veluti tacita oratio genitoris. Si quis autem dicat, eum rationem dici, quoniam in rebus inest, non aberrabit. Quid enim est, quod ratione non constet? Sapientia dicitur, vt diuinarum, atque humanarum rerum scientia. Qui enim fieri queat, vt eorum, quæ fecit, rationem ignoretur? Potentia verò quia tuetur, & conseruat ea, quæ facta sunt, & illis, vt consistant, facultatem elargitur. Veritas, quia vnū natura est, non multa. Verum enim est vnum, falsum au-

Heb. 1. tem multiplex. Et quia vera est patris effigies, & nota certissima. Imago, vt qui eiusdem sit essentiæ, & quòd ipse ex patre, non autem ex ipso pater. Illud enim imaginis proprium est, vt exemplar exprimat, cuius imago esse dicitur. Quāquam plus in hac est, q̄ in aliis siquidem aliæ sunt rei mobilis imagines immobiles. Hæc autem viuentis est ima-

Gen. 4. go viua, magisque similis, quàm Seth fuerit Adam, quāq; vllus sit filius similis patris. Nam simplicium natura est, non vt aliqua parte similia sint, aliqua non sint, sed vt vnū totam alterius formam referat, atque adeo vt idem potius sint, q̄ similitudinem exprimant. Lux, tanq̄ splendor animorum qui ratione, & vita sunt expurgati. Nam si ignorantia, & peccatum, tenebræ sunt: Lux, erit cognitio, & vita ex Deo instituta. vita, quia lux, & quoniam omnis naturæ ratione præditæ constituit, atque confirmat essentiā.

Act. 17. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, duplici quidē conformationis ratione: quoniam ab eo & vitæ spiritum omnes hausimus, & spiritum sanctum (illi quidem qui sunt idonei) tantum vtique, quātum mentis os patefecerimus. Iustitia quia pro cuiusque dignitate præmia distribuit, iusteq; iura præscribit animo, & corpori tam sub lege, quā sub gratia constitutis, vt vnus imperet, alterum pareat, & qui præstantior est obtineat principatum, ne deterius contra ipsum cōsurgat: sanctificatio, quòd puritas sit, vt purū accedat ad puritatem. Redemptio, vt qui nos à peccato, cuius in seruitute detinebamur, vindicauerit in libertatē, seq; pretium obtulerit pro nobis, vt vniuersus orbis redimeretur. Resurrectio, quia nos hinc excitat, & sub peccato iam mortuos in vitam reuocat. Atque hæc quidem adhuc communia sunt ei, qui supra nos est, & propter nos egit. Illa nostra sunt propria. Homo quidem, non solum vt per corpus à corporibus perciperetur, cùm alioqui propter naturam, quæ nequit comprehendi, percipi non potuisset, sed vt per se hominem sanctum efficeret, vt quasi fermentum totam massam sic temperaret, vt eam damnatam sibi assumens à damnationis vinculo solueret, omnia pro omnibus factus, quæ nos sumus, excepto peccato, nempe corpus, animus, mens, per quæ mors introierat, ex his enim homo constat. Deus conspicuus, ob id, quod in ea intelligebatur. Filius hominis tum propter Adam, tum propter virginem, ex quibus natus est, illo quidem vt auo, hac autem vt matre, lege, & præter legem, generationis. Christus id est vnctus propter Diuinitatem. Hæc enim vnctio non est hominis actio, qua qui inunguntur sunt sancti: sed totius vngentis præsentia, cuius opus est, vt, quē vnctio hominem indicat, vnctum efficiat Deum. Vita, vt qui per se nos ducat. Ostium, vt qui introducat. Pastor, quia nos in loco pascuæ locat, & propter refectionis aquā educat, atque hinc deducit, & defendit à feris, errantes cōuertit, perditos reducit, saucios curat, fortes conseruat, & artis pastoritiæ verbis ad ouile illud cœleste colit. Ouis,

vti hostia. Agnus, vt purus atque integer. Pontifex, vt con- Heb.
ciliator. Melchisedech, quoniam sine matre genitus, quan- Heb.
tum attinet ad diuinam generationem, & sine patre, quantum spectat ad humanam. Et quia diuina illa generatio non potest explicari. Generationem enim illius, inquit quis enarrabit? Et, vt Rex Salem, quod pacem signifi- Esa.
cat. Et tanquam Rex iustitiæ. Et quòd Patriarchas aduersus impias hostium copias fortissimè pugnantes de- Gen.
cimis alat.

TITVLVS SEXTVS

De opificio Dei.

Gregorii Theologi ex oratione in diem Natalem Christi.

ITA sancta sanctorū, quę ipsis etiam Seraphin occulta sunt, & triplici ab eis sanctitatis laude celebrantur, in vnum principatum diuinitatéq; conueniunt. Verùm quia bonitati diuinę non erat satis, sua ipsius contemplatione moueri, sed oportebat, vt bonū ipsum sese diffunderet, & progrederetur, quo se pluribus communicaret. (Hoc.n. summę bonitatis proprium erat) iccircò potestates Angelicas atque cœlestes cogitatione concepit, & cogitatio res ipsa fuit,

verbo completa, & spiritu perfecta. Atq; ita secundi splendores primi splendoris ministri, siue spiritus intelligentes, siue ignis materiam & corpus non habens, siue alia aliqua natura, iis, quæ dicta sunt, proxima putandi sunt, extiterũt. Equidem velim dicere, nulla eos propensione ad malum ferri, sed moueri duntaxat ab bonum, quippe qui prope Deum sint, primiq; ab ipso Deo effulserint (Nam quæ hic sunt, secundo loco fulserunt) Verùm vt eos non immobiles, sed difficile moueri & sentiam, & dicam, facit non solùm is, qui propter splendorem quo illustrabatur Lucifer olim, nunc autem propter superbiam, tenebrarũ princeps & est, & appellatur, sed etiam illæ, quæ cum ipso defecerũt, & sub ipso sunt, Potestates, quæ bonum fugientes, mali effectrices euaserunt, & nos item ad malum cohortant̃, & impellunt.

Ex eadem oratione.

HOc igitur pacto mundus illi constitit intelligibilis, si parua oratione licet magna perpendentem philosophari. Ac cùm illi prima præclarè se haberent, alterum mundum cogitauit ex materia constantem & aspectabilem, qui ex cœlo, terraq;, & his, quæ in medio sunt, concretus est, & constitutus, laudabilis quidem ex rerum singularum pulchritudine, sed laudabilior ob concinnitatem, & concentum, quo tum vna cum alia, tum omnes cũ omnibus præclarè coniunctæ, vicissimq; congruentes ad vnius orbis perfectionem concurrunt. Vt ostẽderet in sua esse potestate, non solum vt cognatam sibi naturam efficeret, sed etiam vt alienam & peregrinam omnino constitueret. Nam vt intelligentes illæ naturæ, & quæ sola mente percipi possunt, eius amplitudini quodãmodo similes cognatæq; sunt, sic ab ea prorsus alienæ & remotæ, quæ sensibus sunt expositæ, atq; inter has illæ potissimum, quæ anima motuq; carent.

Ex eadẽ oratione.

MEns igit̃, & sensus ita iam inter se discreta suis se finibus continebant, effectorisq; verbi magnificentiam tanquam taciti quidam laudatores, eximiiq; præcones præseferebant. Nondum autem erat vlla ex vtrisque concretio, & ex cõtrariis mixtio, quæ maiorem sapientiam, & impensam in rebus procreatis, & diuinæ bonitatis diuitias indicaret. Quamobrem has vt ostenderet opifex Verbum aĩal vnum ex vtraq; natura, ea nimirum, quæ cernit̃, & illa, quæ nõ cernit̃, cõpactũ fabricatus est hoĩem, ex materia quæ iã suppetebat, corpus accipiens, atq; illi ex se spiritum inserens, quem quidẽ animũ & imaginem Dei vocat scriptura. Hunc quasi alium quendam mundum, in paruo magnum in terra constituit, alium veluti Angelum, mixtum adoratorem, rerum procreatarum, quæ cernuntur, inspectorem, earum, quæ non cernuntur, contemplatorem, Regem eorum, quæ sunt in terra, summo Regi obtemperantem: mortalem, & immortalem: sensibus, & mente constantem, vt illis cerni, hac intelligi possit: medium inter magnitudinem, & humilitatem: eundem tum spiritum, tum carnem, spiritum propter gratiam, carnem propter superbiam. Illud, vt maneret, & Deum de se bene meritum laudaret; hoc, vt pturbationibus & molestiis esset obnoxius, vt cúm magnitudine sua elatus sibi placeret, iis afflictus, & commonitus resipisceret: Animal hic collocatum, vt aliò migret, &, quæ mysterii est summa, vt Dei imitatione euadat in Deum. Iccircò enim mediocris hæc nobis lux concessa est, vt ea duce splendorem illum assequamur, quo digni simus, qui videamus suscipiamusq; Deum, qui nos & compegit, & soluet, & multo magnificentius restituit.

Ex oratione in sacra lumina.

VErùm quia oportebat non solùm in cœlis Deum coli, & adorari, sed aliquos etiam in terris esse illius cultores & adoratores, vt (quoniã omnia sunt Deo plena) omnia Dei gloria complerentur, Ideò manu Dei conditus est homo, & eius imagine decoratus.

Ex oratione in diem Natalem Christi.

HVnc in paradiso collocauit (qualiscũq; fuerit ille Paradisus) & liberum volũtatis arbitrium largitus est, vt bonum nõ minus ipsius eligentis esset, q̃ eius, qui semina tribuisset. Plantarum immortalium cultorem constituit, idest, diuinarum, vt equidem sentio, contemplationum, tum simplicium, tum perfectarum. Nudum ob simplicitatem, & vitam nulla arte instructam, nec vllo tectum indumento, qualem esse decebat primum illũ hominem. Tum legem dedit, qua liberam volũtatem exerceret. Lex illa mandatum erat, quo illi præscribebatur, quam plantã attingere, & à qua deberet abstinere. Hæc autẽ, à qua temperare oportebat, erat scientiæ planta, quæ quidem ab initio nec malo sata fuit consilio, nec ob inuidiam prohibita (ne vibrent huc linguas suas impii qui gigantum more cũ Deo pugnant, nec serpentis virus suis captionibus imitentur) sed bona quidem erat, siquis opportunè ad illam accessisset. Planta enim illa (vt ego quidem existimo) erat contemplatio, ad quam soli tutò accedunt, qui habitu perfecti sunt, qui autẽ cupidiores, atq; intemperantiores nõ item. Quemadmodum nec perfectus, & solidus cibus teneriori bus adhuc & lacte indigentibus prodest.

Item de opificio Dei, ex oratione Catechetica Gregorii Nyssæ Pontificis.

NOn idoneo probatur argumento, nunquam in bonis hominem fuisse, ꝙ nunc in malis versetur humana vita. Nam cùm homo sit opus Dei, qui animal hoc propter bonitatem procreauit, nemo illum, cuius procreandi causa bonitas fuit, in malis à procreatore fuisse genitum meritò suspicetur. Itaq; alia causa est, quamobrem nunc & molestiis ærumnisq; premamur, & pristinis commodis priuati simus. Qui enim hominem propriorum bonorum participem fecerat, eiusq; naturæ inseuerat virtutũ omnium semina, vt singulis vicissim excolendis ad similitudinem suam incenderetur, pulcherrimi ac præstantissimi muneris, liberæ nimirum, & nullius imperio subiectæ voluntatis expertem non reliquisset. Etenim siqua necessitas humanæ vitæ fuisset imposita, falsam in ea quidem parte imaginem retulisset, alienaq; ab exemplari propter dissimilitudinem extitisset. Qui enim necessitatibus òbnoxia deseruiensq; natura regnantis imago nominaretur? oportebat igitur, vt, quod in omnibus Deo simile factum erat, naturæ libertatem nullius imperio subiectam obtineret, vt virtutis præmium esset bonorum adeptio. Cur igitur, inquies, qui pulcherrimis omnibus dotibus ornatus erat, mala bonis antepofuit? Facilis & ad hoc responsio est. Nullus mali ortus à Dei voluntate principium habet. Alioqui vitium reprehendi non posset, si Deum authorem suum, & causam afferret. Sed extrinsecus quodam modo malũ innascitur, cùm animus proposito, ac voluntate sua recedit ab honestate. Nam vt visus est actio naturæ, cæcitas autẽ pri-

uatio naturalis actionis, sic virtus, & vitium inter se contraria sunt. Neq; enim aliter gignitur vitium, nisi virtutis absentia. Sicut enim ablato lumine tenebræ subsequuntur, ea autem præsente nullæ sunt, ita quandiu est in natura bonũ, malum per se nihil est. Bono autem recedente contrarium ingreditur. cùm igitur liberæ voluntatis hoc proprium sit, vt arbitratu suo, quod magis libet, cōplectatur, Deus, qui liberam tibi naturam tribuit, tuorum non est malorum author, sed temeritas tua, quæ melioribus omissis deteriora consequitur.

Ex eadem oratione.

HOminem à bono recessurum non ignorabat Deus, qui scientia sua cuncta comprehendit, & futura perinde, atq; præsentia cōtuetur. Verùm vt discessum ipsius ad malum, sic eiusdem reditum ad bonum prouidebat. Vtrum igitur melius fuit, naturam nostram, quàm à bono declinaturam prospiciebat, omnino non procreare, an procreatam, atq; ægrotantem ad pristinam gratiam reuocare per pœnitẽtiam? Iam propter molestias & incommoda, quæ caducæ corporis naturæ contingunt necessariò, Deum arbitrari malorum etiam effectorem, aut hominis non esse creatorem existimare, ne simul etiam eorum, quę nos angũt, & cruciant, author iudicetur, nimis angusti, ac dementis animi est, hominumq́; malum & bonum sensu diiudicantium, qui nesciunt, id solum esse naturæ nostræ bonum, quod sensus nō percipit, idq́; rursus malum, quod à vero bono alienum est. Rebus autem molestis iucũdisve bonum à malo distinguere animalium est rationis expertium, in quæ, quoniam mentem, cogitationemq́; non habent, veri boni cognitio non cadit.

Item de opificio Dei sancti maximi.

MEns primùm infinitam omnibus in rebus Dei magnitudinem cogitans, & pelagus illud in quo nullum reperit vadũ, admiratur. Deinde obstupescit, quomodo rerum omnium essentiam ex nihilo procrearit. Facessant hinc Græci, qui ex nihilo negant quicquam fieri. Nos quemadmodum magnificentiæ diuinæ nullus est terminus, ita sapientiæ, potentiæq; nullum esse finem dicimus.

Eiusdem.

EOrum quæ facta sunt à Deo, partim ratione & mente prædita sunt, in eaq; tum virtus, aut vitium, tum scientia, aut ignorãtia cadit. Partim diuersa sunt corpora ex contrariis, nempe terra, aqua, aëre, igneq; compacta. Et alia quidem sunt corporis materiæq; prorsus expertia, licet quædam ex his sint cum corporibus coniuncta: Alia ex materia & forma tantùm constant.

Eiusdem.

QVa de causa Deus rerum vniuersitatem fabricatus sit, licet inuestigare. Nam bonitate compulsus cuncta procreauit, quo benignitas eius in plura sese diffunderet, omnibusq; pro suo cuiq; modulo communicaret. Quomodo autem hæc, aut cur non antea fecerit inquirere nefas est. Etenim ex rebus diuinis aliæ comprehendi ab hominibus possunt, aliæ minime. Petulans enim, inquit, ille, & nullo freno cohibita inuestigatio homines ferè præcipites agit.

Eiusdem.

QVatuor ex diuinis proprietatibus, per quas omnia consistunt, reguntur, & conseruantur, summa benignitate sua Deus, cùm essentiam ratione menteq; præditam procrearet, cōmunicauit, esse, semper esse, bonitatem, & sapientiam. Horum duo tribuit essentiæ, nimirum vt esset, & semper esset. Duo reliqua nempe bonitatem, & sapientiam aptæ animi largitus est habitudini, vt quæ per essentiam ipse est, eorum res procreatæ participes fierent. Quamobrem homo factus esse dicitur, ad imaginem, & ad similitudinem Dei. Ad imaginem quidem quoniam ex eo, qui est, existit: & ex eo qui semper est, semper existit. Quanuis enim non sine principio sit, nunquam tamen esse desinet, Ad similitudinem verò, quoniam à bono bonus, & à sapiente sapiens, licet ille sit eiusmodi per naturam, ipse autem per gratiam. Verùm cùm omnes pariter homines ad imaginem sint, soli boni sapientesq; sunt ad similitudinem.

Eiusdem.

ESsentia omnis, quæ ratione, ac mente prædita est, in Angelicam naturam diuiditur, & humanam. Angelica rursum in duas veluti classes gregesq́; secernitur in sanctas Potestates, & in execrandos Dæmones. Humana item secatur in duas partes, in homines pios, & impios.

Eiusdem.

INtelligens dicitur id, quod mente vtitur. Intelligitur id, quod mente comprehenditur. Intelligentis cibus quodammodo est, id, quod animo menteq; percipitur.

Eiusdem.

A Studiosioribus est inuestigandum, quænam sint illæ res, quas facere cœpit Deus, & quæ rursum illæ quas nũquam cœpit. Nam si requieuit ab omnibus, quas cœpit facere. Ab illis profectò quas facere nunquam cœpit, quieuit nũquam. Quibus igitur impertitum est, vt sint, eæ temporis habent initium, quales sunt variæ rerum naturæ, quibus ipsum nihilum est antiquius. Fuit enim aliquando, cum ipsæ non essent. Temporis autem principium nō habent, quæ communicantur, quarum aliæ res per gratiá participes sunt. Qualis est bonitas, & quicquid bonitatis ratione comprehenditur, & omnis vita, & immortalitas, & simplicitas, & immutabilitas, & infinitas, & quæcunq; in Dei essentia considerantur, Quæ nullum habent initiũ temporis. Nunquam enim aut virtute, aut vlla earum rerum, quæ commemoratæ sunt, ipsum nihilum fuit antiquius. Nunq̃ enim fuit, cùm hæ non essent, quæ quantũ ad tépus pertinet, sine principio sunt, & ab omni æternitate solum Deum habent authorem, vt sint. Nam quæ in tempore cœperunt esse, & sunt, & dicuntur ad ipsum, quod sunt, & dicuntur.

Eiusdem.

NAturæ tam intelligentes, quam sentientes acceperunt à rerum omnium procreatore facultates, quibus res ipsas comprehenderent, intelligentes quidem, mentem & cogitationem, sentientes autem ipsos sensus.

Eiusdem.

PRocreator Deus largitur tantummodo. Res autem omnes procreatæ & accipiunt, & largiuntur. Accipiunt enim, vt sint, & bene sint. Largiuntur autem aliis tantùm, vt bene sint. Atque ex his illæ, quæ sunt corporis expertes tum dicendo, tum agendo, tum spectando largiũtur alijs, vt bene sint. Quæ verò corporeæ sunt, dum spectantur duntaxat. Ac sanctæ quidem illæ Potestates splendoris radios inter se vicissim cōmunicant & largiuntur. Hominibus verò tum virtutem suam impartiunt, dum

eos Deo ſimiles reddunt:tum cognitionis ſuæ faciunt illos participes,dum eos docent aliquid vel de Deo ſublimius, vel de rebus corpore carentibus profundius, vel de corporeis exquiſitius, vel de prouidentia verius, vel de iudicio clarius.

Eiuſdem.

REbus procreatis, vt ſimpliciter ſint, per eſſentiam conceſſum eſt:vt bene ſint,per liberam volũtatem: Vt ſemper bene ſint,per gratiam. Qui autem ab eo excidunt, vt ſemper bene ſint, in id incurrunt, vt ſemper miſerè ſint.

TITVLVS SEPTIMVS.

De diuina humanæ carnis aſſumptione. Areopagitæ, ex libro de diuinis nominibus.

SVMMA illa diuinitas ſingulariter amat humanum genus. Quippe quæ in vna ſuarum perſonarum verè, atq; integræ naturam noſtram aſſumpſit, ad ſe reuocans,ſibiq; applicans infimam hominum humilitatem, ex qua,qui ſimplex eſt, Ieſus inexplicabili ratione compoſitus eſt:Et qui æternus eſt, temporis extenſionem accepit: Et qui omnem totius naturæ ordinem ſupramodum eſſentiæ ſuperat, intra naturæ noſtræ terminos genitus eſt, ita tamen, vt quæ ipſius ſunt propria haud quaquã mutata, aut confuſa conſeruet.

Eiuſdem ex cap. ii. de coniuncta, diſtinctaq; Diuinitatis ratione.

QVin etiam (id quod ĩ omni Theologia maximè perſpicuum eſt)diuina Ieſu in natura noſtra formatio,nec oratione vlla explicari,nec ab vlla mente,ne ab ipſo quidem antiquiſsimorum Angelorum primo poteſt intelligi. Nam quòd humanam eſſentiam aſſumpſerit, ex myſterijs accepimus. Quomodo autem ex virgineis ſanguinibus,alia lege præter naturam formatus ſit, & quomodo ſuper humidam,& inſtabilem aquæ naturam ſiccis pedibus molem corpoream,& materiæ pondus habentibus ambulauerit,& reliqua omnia,quæ natura præſtantiora in ipſo Ieſu conſiderantur,effecerit,ignoramus.

Eiuſdem ex Epiſtola ad Gaium Medicum.

QVomodo,inquies,Ieſus, qui omnibus antecellit, cum omnibus per eſſentiam cõſtitutus eſt? Neq; enim vt eſt hominum author,ſed vt tota ipſa hominis eſſentia verè homo exiſtit,homo dicitur. Nos autẽ non humana ratione Ieſum definimus. Neq; enim eſt homo tantùm,neque eſſentia præſtantior, quatenus homo ſolum. Sed verè eſt homo, qui eximiè homines diligens, ſupra homines,& ſecundum homines,ex hominum eſſentia,cum eſſentia ſuperior eſſet,eſſentiam aſſumpſit humanam,& eſſentia tamen omnem eſſentiam ſuperãte, vt qui ſemper eſſentia ſit excellentior,quàm pleniſsimus. Hac nimirum exuberans excellentia,cùm ad noſtram eſſentiam verè deſcenderet,eam ratione ipſam eſſentiam ſuperante aſſumpſit, & res humanas ſupra hominem geſsit. Indicia ſunt,Virgo ſupra naturam cõcipiens,& aqua inſtabilis pedum ex materia conſtantium & terrenorum pondus ſuſtinens,& nihil cedens,ſed potentia naturam aquæ vincente ad ſolidam ſe redigens firmitatem. Quis ea præ multitudine perſequatur,ex quibus,qui diuinè cernet, ſupra intelligentiam intelliget,illa etiam,quæ de humanitate Ieſu affirmantur,excellentiſsimæ negationis uim obtinere? Atque, vt eorum ſummam paucis complectamur, neque homo erat,non quòd non eſſet homo,ſed ꝙ ex hominibus,præſtantius,quàm homines,& ſupra hominem verè homo factus eſt,& deinceps neq; diuinam vt Deus, neq; humanã vt homo,ſed(Deo homine facto)nouam quandam ex diuina humanaq; ratione permixtam actionem nobiſcum verſans exhibuit.

Eiuſdem ex theologicis elementis.

SEd quoniam ſuo erga nos amore incitatus ad noſtrã vſque naturã venit, & qui ſummus Deus eſt, verè factus,& vocatus eſt homo(propitia ſint,quę mentem, & rationem ſuperantia à nobis celebrantur)in his quoque vis eius natura eſſentiaq; ſublimior extitit. Nõ ſolùm quia nihil propter inexplicabilem exinanitionem in exuberante ſua plenitudine perpeſſus, ſe nobis ſine immutatione & confuſione communicauit. Verùm etiam(quod rerũ omnium admirabilium eſt maximè admirabile)in iis, quæ naturalia ſunt,ſupra naturam fuit,in iis,quæ ad eſſentiam pertinent,ſuper eſſentiam. Omnia quæ noſtra ſunt, ex nobis, & ſupra nos excellenti ratione poſsidens.

Eiuſdem ex libro de Eccleſiaſtica Hierarchia.

INfinita diuinæ bonitatis erga genus humanum beneuolentia verè quæ noſtra ſunt,aſſumens ſine peccato, ſeq; humilitati noſtræ coniungens, & quæ propria ipſius ſunt,ſine vlla prorſus confuſione imminutioneq; retinẽs, nobis iam vt cognatis ſe communicauit, & nos bonorum ſuorum participes fecit.

Eiuſdem ex libro de cœleſti Hierarchia.

VErùm, vt ſummas item ac diuinas ſacræ ſcripturæ demonſtrationes contemplemur, video ipſum etiam Ieſum, qui ſublimium eſſentiarum eſt author eſſentia ſublimior,cùm ad nos ſine vlla ſui commutatione veniſſet,à lege,atq; ordine homini congruente, quẽ ipſe ſtatuerat, & elegerat, non recedere,ſed patris,& Dei mandatis, quæ per Angelos dederat, ſummiſsè obtemperare.

Item de diuina humanæ carnis aſſumptione. Magni Gregorii Theologi ex oratione in diem Natalẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti.

SEd poſteaquàm inuidia Diaboli, & fraudulenta illius vi,quam mulier vt & imbecillior ꝑpeſſa eſt,& ad perſuadendum aptior obtruſit viro(ô infirmitatem meã, mea enim eſt primi parentis infirmitas)mandati,quod acceperat ipſe oblitus eſt, & amaro pomi guſtatu ſuperatus, ſimul & à ligno vitæ,& à Paradiſo,& à Deo tanquam exul extruditur,& pelliceis induitur veſtimentis,craſsiore nimirum carne,quæ mortem ſubiret,& ſpiritui repugnaret. Ac primum quidem agnoſcit turpitudinem ſuam,atq; ideò ſe Dei conſpectum fugiens abſcondit. Hic tamen lucratur

mortem, per quam peccatum abſcinditur, ne miſeria ſit immortalis,& cum ſupplicio beneficium coniunctum cer natur. Hac enim ratione Deus, vt mihi quidem perſuadeo punit. Ceterùm cùm variis occaſionibus, atq; temporibus humanum genus multorum peccatorum, quæ illa malitiæ radix protulerat, multis modis, nempe oratione, lege, prophetis, beneficiis, minis, plagis, eluuionibus, incendiis, bellis, victoriis, cladibus, prodigiis ex cœlo, ex aere, ex terra, ex mari, inſperatis hominum, ciuitatum, gentium euerſionibus, quibus rationibus nihil aliud agebatur, niſi vt malitia contereretur, fruſtra prius eſſet admonitum, & reprehenſum, & maioribus peccatis, vt mutuis homicidiis, adulteriis, periuriis, inſanis hominum amoribus, & (quod omnium malorum grauiſsimum erat) ſimulachrorum cultu, quo homines neglecto procreatore ad res procreatas colendas, & adorandas ſe conuertebant, obſtringeretur, grauioraq; iam eiuſmodi morbi remedia medicamentaq; requirerent, maiora, grauioraq; ſunt adhibita. Ipſum enim Dei verbum, quod eſt ante ſecula, quod comprehendi nō poteſt, quod corpus nō habet (& quæ ſequuntur) ipſa Dei imago incōmutabilis, patris definitio, & ratio imaginem, quam homini impreſſerat, ipſe ſuſcipit, & propter carnem carnē gerit, & animo rōne prædito pro ſalute animi mei cōmiſcetur, vt ſimili ſimilem purget, in omnibus denique, peccato tamen excepto, fit homo. Ex virgine, cuius animum, & carnem ſpiritus ante purgauerat, naſcitur (Decebat enim, vt & liberorum ſuſceptio honoraretur, & illi tamen in honore virginitas anteferretur) atque ita humana forma aſſumpta ad nos progreditur vnum ex duobus contrariis carne, & ſpiritu conſtans, quorum hic diuinitatem tribuebat, illa diuinitate afficiebatur (ò nouam mixtionē, ò coniunctionem admirabilem) Ille, qui eſt, effector efficitur: Qui creator eſt, creatur: Qui comprehendi nō poteſt, vinculo humani animi diuinitatem & carnis craſsitudinē copulante comprehēditur. Qui ditat alios, pauper fit. Paupertatis enim meæ paupertatem amplectitur, vt ego diuinitatis eius diuitias aſſequar. Qui plenus eſt, exinanitur, parumper enim gloriam ſuam ſinit exhauriri, vt ego plenitudinis eius particeps efficiar. Quænam ſunt hæ bonitatis diuitiæ? Quodnam circa me myſterium apparet? Ego imaginem, cuius particeps factus eram, non ſeruaui. Ille carnem meam ſuſcipit, vt & imaginem ſeruet, & carnem reddat immortalem. Alteram init ſocietatem priore ſocietate eo quidem longè admirabiliorem, ꝙ in priore præſtantius, quod erat, attribuit, in poſteriore quod deterius erat, accepit.

Eiuſdem in ſancta lumina.

NAm quia malitiæ inuentor, qui ſe inuictum exiſtimabat, nos ſpe diuinitatis alliciens deceperat, ipſe carnis obiectu tanquàm eſca propoſita decipitur, & dum ſe putat Adam inuadere, in Deum incidit. Atque ita nouus Adam veterem ſeruat, & carnis condemnationem carne diſſoluit, & mortem ipſum morte afficit.

Ex eadem oratione.

FIlius Dei fit etiā hominis filius, nec ab eo, quod erat, immutatur, ſed accipit, quod non erat, vt (quæ illius eſt in homines beneuolentia) carne tanquàm velo interiecto nobiſcum verſans, qui comprehendi nō poterat, cōprehendatur. Purū enim diuinitatis eius ſplendorem natura, quæ gignitur, atq; corrūpitur, nō poterat ſuſtinere.

Eiuſdem, ex epiſtola prima ad Cledonium.

VTRAQVE ſic coniunguntur, vt vnum ſint, cùm Deus homo fiat, & homo Deus.

Eiuſdem ex libro. ii. de filio.

VTRVNQVE quidem eſt vnum, nō natura tamen ſed coniunctione.

Eiuſdem ex oratione in ſancta lumina.

ET hoc deificatione Deus.

Eiuſdem ex. II. oratione in Paſcha.

ET propter hominem aſſumptum, qui diuinitate iunctus eſt, & factus id, à quo iunctus erat, & ſimul Deus, ſic enim audeo dicere.

Eiuſdem, ex oratione, qua ad Baptiſma cohortatur.

TOTVM hominem, & totum Deum, pro toto illo qui paſſus erat, vt toti tibi ſalutem elargiretur, totam peccati ſoluens condemnationem.

Ex eadem oratione.

TANTVM homo propter te, quantum tu propter illum Deus.

Ex eadem oratione.

VEniet iterum iudicaturus viuos, & mortuos, nō iam amplius caro, nec ſine corpore, diuiniore tamen corpore, rationibus illis, quas ipſe nouit, vt & ab illis cernatur, qui eum cruci affixerūt, & maneat ſine craſſitudine Deus.

De diuina item humanæ carnis aſſumptione. Gregorii Nyſſæ Pontificis ex oratione Catechetica.

PEr quem oportebat, in priſtinum gratiæ ſtatum hominem reuocari? cui potiſsimum conueniebat, lapſum excitare? perditum reſtituere? errantem in viam reducere? cuinam alii, niſi planè naturæ ipſius Domino? Qui in initiò vitam largitus erat, ei ſoli & licebat & conueniebat, eandem amiſſam recuperare. Hominem in principio factum à Deo ex myſterio veritatis intelligimus, eundem, cùm iam profligatus ac perditus eſſet, à Deo conſeruatum dicimus. Atq; hæc quidem, qui viderint eſſe conſentanea, ab eaq; notione, quam habemus de Deo, minimè abhorrentia, forte concedent, ea verò, quæ ſequuntur, quibus diſpoſitionis myſterium maximè innititur, nō ita facilè: nempe hominem eſſe factum, ex puero ad perfectam ætatem creuiſſe, edisse, bibiſſe, labore, ſomno, moleſtiis affectum eſſe, lachrymaſſe, calumnias, iudicium, crucem, ac mortē fuiſſe perpeſſum, in ſepulchroq; poſitum. Hæc enim, quæ miſterio comprehenduntur, animos eorum, qui ſunt infirmiores in fide, debilitāt, infringuntq;, ne illa, quæ deinceps ſequuntur, propter ea, quæ dicta ſunt, ſuſcipiāt. Nam Deo dignam ex inferis excitationē ideò nō concedunt, ne mortem Deo indignā admittant. Ego verò illud mihi prius faciendum puto, vt paulis per à craſſa carnis hebetudine recedam, & honeſtum ipſum per ſe conſiderem, oſtendāq; non eſſe eiuſmodi, vt his notis, quibus earū vtraq; deſcribatur. Neminem eorū, qui ſani ſunt, negaturum exiſtimo, vnum illud omnino eſſe dedecus, eamq; vnam turpitudinem,

dinem, quæ vitij fœditate definitur, à qua quicquid alienũ sit, id ab omni remotum esse dedecore, ac turpitudine: Deum verò cuncta decere, quæ in regione cernuntur honestatis. Quę cùm ita sint, aut vitiũ esse demonstrent, nasci, nutriri, augeri, ad naturæ perfectionẽ progredi, mori, reuiuiscere: aut si quæ dicta sunt, à vitio remota esse cõcedunt, necessario non esse turpia fateantur. Cùm igitur declaratũ sit, honesta esse, quæ ab omni fœditate vitij abhorrẽt nonne vt amentes miserandi sunt, qui honesta Deo asserunt non conuenire? At humana, inquiunt, natura exiguis terminis circũscribitur, Deus aũt est infinitus. Quónam igitur pacto quod infinitum est, indiuiduo corpusculo concludatur? Ecquis dicit, infinitam diuinitatis vim carne tanq̃ vase aliquo circũscriptam fuisse? cùm ne in natura quidem nostra mens ipsa carnis terminis circũscribatur. Nam corporis moles propriis partibus definitur, animus aũt mentis cogitationisq; motibus commeans per omnes res procreatus ad cœlos vsq; conscendit, ad infimas maris partes penetrat, longè lateq; per totum orbem euagatur, & ad ea, quæ sub terra sunt accedit solertia sua, quin etiam eorum, quæ supra cœlos geruntur, intelligentiam plerũq; consequitur, nec pódere corporis impeditur. Quòd si animus hominis naturę necessitate corpori coniũctus, vbiq; est, quid cogit nos dicere, carnis natura diuinitatem præpediri? cur nõ potius eorum exemplo, quæ nobis concessa sunt, qđ diuinam deceat dispositionem, coniicimus, & cogitamus? Sicut.n. in lucerna materiam circũplexum ignem aspicimus, eũq; à materia, quæ ipsum attingit, ratione distinguimus, quæ tñ re ipsa distingui nõ possunt, vt flamma per se à materia seiuncta ostendatur, sed vtraq; vnum est (nullus aũt id mihi sumat in hoc exemplo, ꝙ ignis corrumpatur, sed id solum accipiens, quod similitudini conuenit, quæ ab ea sunt aliena repudiet) quid prohibet, quin eodem modo, quo cernimus flammam attingere subiectam materiam, nec in ea tñ includi, Deo dignam cogitationem suscipiamus, credamusq; naturam diuinam ita cõiungi, atq; vnum fieri cùm humana natura, vt in ipsa coniunctione, atque vnitate quã uis in hoĩe Deus sit, nulla tñ circũscriptione concludatur? Quòd si quæris, quomodo Deus cum homine commixtus sit, prius considera coniunctionem animi cum carne tua, qui quidem animus, si intelligere non potes, qua ratione cum corpore copuletur, multo minus existima te posse assequi, quo pacto Deus cum homine coniungatur. Verùm quemadmodum in te credis aliud quiddam esse animum, q̃ corpus sit, quoniam corpus ab animo desertum, cadauer euadit, atque iners fit, & ad agendum inutile, licet coniunctionis rationem ignores. Sic etiam in Dei cũ homine coniunctione, cõfitemur diuinam naturam caducæ mortaliq; modis omnibus dignitate præstare, qua ratione autem efficiatur ipsa cõiunctio nõ possumus intelligere. Quòd Deus in hominis natura genitus sit, ex rebus admirãdis, quæ visæ scriptæq; sunt, non ambigimus, rationem autem ac modũ vt maiorem, q̃ à nobis percipi possit, omittimus indagare. Neque enim cùm res omnes corporeas, & quę mente solum percipiuntur, à natura incorporea, & quæ creata non est, procreatas esse credimus, vnde aut quomodo factæ sint, inuestigamus. Sed cùm mundum fuisse conditum acceperimus, rationem, qua conditus fuerit curiose non exquirimus, quippe qui planè sciamus, eã nullo modo posse percipi aut explicari. Quòd autem Deus in carne nobis apparuerit, siquis demonstrationes inquirit, is eius opera conspiciat. Nam & quòd Deus ipse sit, nullo alio nisi operum ipsius testimonio comprobatur. Vt igitur rerum vniuersitatem intuentes, earumq; moderationem, & ordinem, vitæq; nostræ commoda diuinitus data considerantes, vim quandam mundi effectricem, conseruatricemq; cognoscimus, sic in Deo nobis per carnem patefacto admiranda illius opera similia iis, quæ scripta sunt, quibus, tanq̃ notis natura diuina declaratur, locuplex nobis diuinitatis eius testimonium afferunt. Dei nãque esse cognoscimus, hominibus vitam tribuere. Dei, ea, quæ sunt, prouidentia tueri, ac conseruare. Dei, cibum & potum iis, quæ in carne vitam degunt, elargiri. Dei, de pauperibus, & indigentibus bene mereri. Dei, naturam quæ infirmitate sua de recta via deflexerat, reducere ad sanitatem, & in pristinum statum reuocare. Dei, cunctis æque rebus procreatis imperare, terræ, mari, aëri, & iis, quæ supra aërem sita sunt. Dei, perpetuam in omnia potestatem habere, in primisq; esse morte, & corruptione superiorem. Horum siquid in historia, qua vita ipsius describitur, desideraretur, illi, q̃ à religione sunt alieni, merito mysterium nostrum repudiarẽt. Sin omnia, quibus Deus cognoscitur, in ea conspiciuntur, quid prohibet, quo minus fidem, religionemq; suscipias? At enim, inquies, nasci, atque obire propria sunt huiusce carnis. concedo. Verùm ea, quæ ortum eius præcesserunt, quæque mortem sunt subsecuta, communem naturæ nostræ conditionem superant. Nam si vtrunque terminum humanæ vitæ consideres, videbis, vnde incipiamus, & quo deducamur. A corruptione enim principium ducimus, & in corruptionem desinimus. Eius autem nec ortum, nec mortẽ excepit corruptio. Hoc tibi admirandum videtur, & incredibile? gaudeo. Quæ enim supra, q̃ credi possint, admirabilia putas, ea supra naturam esse confiteris. Quapropter hoc tibi diuinitatis eius certissimum sit argumentũ, quòd, quæ de illo prædicantur, non sequuntur omnino ordinem naturalem. Etenim si ea, quæ de Christo memoriæ prodita sunt, naturæ terminis omnia continerentur, vbi illius esset diuinitas? Cùm verò multorum, quibus fidem non habes, ratio, naturam superet, hæc ipsa testimonio sunt, illum, quẽ prædicamus Deum etiam esse. Homines enim generantur ex parentum coniunctione, & post mortem ipsam corrumpuntur. Quæ si de ipso dicerentur, Deum esse non posses existimare, quem eandem, quam nos, habere naturæ conditionem intelligeres. At cùm illum natum quidẽ esse audis, sed nascendi ratione communem naturæ nostræ ordinem superasse, eundemq; mortuum quidem, sed corruptionẽ non attigisse, consequens foret, vt, si alterutrum tibi credendum non esset, hominem potius eum esse non crederes, vnum ex iis, qui in natura conspiciũtur, & quem nõ esse hominem crederes, eum necessario Deum arbitrareris. Qui.n. eum ortum esse memoriæ tradidit, idẽ ex Virgine natum testatus est. Quamobrem si scriptoris verba te adducunt, vt natum credas, eadem scriptoris verba tibi illum ita natum esse persuadeant. Qui.n. ortum ipsius enarrauit, idem eũ ex Virgine adiunxit extitisse. Et qui de morte mentionem fecit, resurrectionem etiam post mortem est attestatus. Quòd si ex iis, quæ audis, & mortuum, & genitum esse concedis, ex eisdem dabis omnino, & ortum, & mortem eius à corruptione procul abfuisse. Quæ si naturã superant, is intra naturam non continetur, qui propter hęc natura superior fuisse demonstratur.

Ex eadem oratione.

QVenam igitur, inquies, causa fuit, cur ad istam humilitatem sese demitteret Deus, ex qua fides dubia redderetur, cùm ipse ratione, quę nec percipi, nec comprehẽdi, nec explicari potest, quippe quæ omnem cogitationẽ,

omnemque magnitudinem ſuperat, humanæ naturæ ſordibus immiſceretur, ob quam abiectam, atque humilem demiſsionem reliqua etiam ipſius facta ſublimia negligerentur? Ad hoc etiam quid reſpõdere oporteat, non ignoramus. Tu, qui cauſam quæris, quamobrem Deus factus ſit homo, ſi diuina beneficia abſtuleris ex humana vita, vnde Deum agnoſcas, non habebis. Benemerentem.n. de nobis ex muneribus eius agnoſcimus. Illa enim, quę facta ſunt, concipientes, munificam effectoris naturam intelligimus. Itaque ſi benignitas, & humanitas diuinæ naturæ indicium eſt, rationem habes, quam requiris. Cauſam habes, cur ad homines, deſcenderit Deus. Egebat medico natura noſtra, qui morbos, & ægritudines curaret ſuas. Qui lapſus iacebat homo, eius opera, à quo excitaretur, indigebat. Qui à vita diſceſſerat, egebat illius auxilio, qui ſe in vitam reuocaret. Egebat illius ope, à quo reduceretur in priſtinum bonorum ſtatum qui à perfruendis bonis exciderat. Egebat lucis præſtantia, qui in tenebris coercebatur. Requirebat ſeruatorem captiuus, vinctus adiutorem, liberatorem ille, qui ſub ſeruitutis iugo detinebatur. Paruáne erant hæc, & indigna, quæ Deus ipſe ſuſciperet, atque præſtaret, ad naturamq; humanam inſpiciendam deſcenderet, quæ tam miſerabiliter, atque infeliciter affecta erat? At licebat, inquies, Deo, vt nihil ipſe pateretur, de homine bene mereri. Qui enim mundum vniuerſum, cùm nullus eſſet, conſilio, & ſolo voluntatis motu ex nihilo conſtituerat, cur non idem, ſi tam illi id erat cordi hominem diuinæ poteſtatis authoritate ex aduerſarij dominatu liberatum in priſtinum ſtatum reſtituit? Cur tam longas perſecutus eſt vias, dum corporis naturam aſſumit? dum naſcens in vitam ingreditur? dum omnem ordine tranſigit ætatem ſuam, mortemq́; tandem deguſtat, & proprio corpore ad vitam reuocato propoſitum ſibi finem aſſequitur? quaſi in excelſa diuinitatis gloria manens omiſſo tam longo circuitu hominem iuſſu ſeruare non poſſet? Neceſſe eſt, etiam iſtis argumentis reſpondere, veritateq; defendere, & aperire, nequa vis fidei religioniq; inferatur ab iis, qui myſterij rationem dilig ẽter inquirunt. Primum igitur, quid virtuti è contrario reſpondeat, conſideremus. Vt luci tenebræ, vt mors vitæ, ſic virtuti vitium contrarium eſt, ac nihil præterea aliud. Quemadmodum enim, cùm multæ ſint res in natura, nulla tamen luci, vitæq; è contrario opponitur, non lapis, non lignum, non aqua, non homo, nulla denique alia, præter illas, quas verè cognoſcimus ipſis eſſe contrarias, tenebræ nimirũ, & mors, ſic etiam in virtute fit, cui nihil è contrario quis oppoſuerit, præter vitium. Quare ſi in Dei ortu vitium aliquod ineſſe dicendo cõceſsimus, tempus erat, vt qui contradicit, fidem noſtram inuaderet, quòd abſurda, naturæq; diuinæ minimè conuenientia tradidiſſemus. Neque enim fas fuit, ipſam ſapientiam, & bonitatem, & immortalitatem, & ſiquid aliud præclarum cogitari, diciq; poteſt, aſſerere in contraria decidiſſe. Quòd ſi vera virtus eſt Deus, natura autem virtuti non eſt contraria, ſed vitium. Deus verò non in vitio, ſed in hominis natura natus eſt, nec quicquam indecorum, ac turpe, præter vitio affectionem, in qua Deus nec fuit, nec eſſe potuit, quid verentur confiteri, Deum naturam humanam induiſſe, cùm in hominis conſtructione nihil virtuti contrarium eſſe cernatur? Neque enim quod ratione, cogitatione, mente præditus eſt, aut ad ſcientiam percipiendam idoneus, nec quicquam aliud eorum, quæ naturæ humanæ propria ſunt, abhorrent à definitione virtutis. At ipſa inquies, noſtri corporis immutatio, quid aliud eſt, quam affectio, ac perturbatio, à qua, qui in corpore eſt, abeſſe non poteſt? Deus autem omnis perturbationis eſt expers. Quamobrem Deo aliena eſt hæc opinio. Siquidem Deum, qui natura ſua vacat omni perturbatione, ad eam deguſtandam veniſſe prędicatis. Ad hæc quoque confutanda eandem rationem adhibebimus, dicemusq́; affectionem, ſeu perturbationem dupliciter accipi, propriè, & impropriè. Quæ enim voluntatem attingit, eamq;, à virtute deducit, ad vitium, verè dicitur perturbatio. Quæ autem ordine quodam ſuo per naturam commeat, atque progreditur, ea magis proprie actio, quàm perturbatio poſſet appellari. qualis eſt ortus, augmentum, ſubiectiq; per acceſsionem deceſsionemq; cibi conſeruatio, & ad corpus vel conſtituendum coitio, & concurſus elementorum, vel diſſoluendum eorundem diſtractio, & ad proprium cuiuſque locum reditus, atque ſeceſsio. Vtrum igitur harum myſterium noſtrum aſſerit, Deum attigiſſe? eamúe, quæ propriè perturbatio vocatur, & vitium eſt, an illam, quæ nihil aliud eſt, quam actio, & motus quidam naturalis? ſi enim in motibus illis prauis ac repudiandis Deum eſſe natum contenderemus, doctrinam abſurdam effugere oporteret, vt quę nihil ſani traderet de natura diuina. Cùm autem dicamus, Deum naturam humanam cuius idem ipſe author effectorq, fuit, aſſumpſiſſe, quid abſurdum, aut quod Deo minus conueniat, prædicamus? Nihil enim de illo credendũ tradimus, quod perturbationem, aut vitium, aut turpitudinem ſignificet. Neque enim medicum morbo affici dicimus, quando morbo laborantes curat. Nam licet eos inuiſat, & attingat, ipſe tamen nullo morbi incommodo afficitur. Quòd ſi naſci non eſt malum, ne viuere quidem malum eſſe dixeris. At voluptatis affectio, inquies, quæ ortum antecedit, viuentiumq́; ad malum vitiumq́; propenſio, naturæ noſtræ ſunt morbi. Quid tum? cùm ab vtroque liberum ipſum fuiſſe myſterium tradat? Quòd ſi & ſine voluptate genitus eſt, & vitam à vitio remotiſsimam egit, ecquod reliquum eſt malum, cuius Deum participem pietatis myſterium dicat extitiſſe? ſin aliquis animi à corpore ſeiunctionem malum appellat, is, æquum erat, vt prius coniunctionem vtriuſque malam appellaret. Nam ſi copulatorum diſiunctio mala eſt, & diſiunctorum copulatio eſt mala. Vtrobique enim eſt quidam motus, vt quemadmodum conſequentem vocas, ſic etiam præcedentem vocare debeas. Quocirca ſi prior motus, quem ortum nominas, non eſt malus, ne poſterior quidem, quam mortem dicis, qua corporis animíque coniunctio diſtrahitur, malus poterit appellari. Nos autem Deum dicimus in vtroque fuiſſe motu, tum in illo, quo animus & corpus concurrunt, tum in eo, per quem animus à corpore ſeparatur.

Ex eadem oratione.

CVm autem vnus ſit omnibus hominibus ad vitam aditus, vnde oportebat accedẽtem ad nos Deum in vitam ingredi? E cœlo, inquiet ille fortaſſe, qui procreationis humanæ rationem vt in gloriam turpemq; deſpicit. At in cœlo non erat humanum genus, nec vllus vitiorum morbus ad ſummas illas cœli ſedes aſpirabat, vbi autem malum non erat, ibi nec hominum vita verſabatur. Quomodo igitur è cœlo quiſpiam quęrat Deo hominem, vel potius effigiem quandam, ac ſimulachrum hominis affingi? Ecquæ naturę noſtra curatio fuiſſet adhibita, ſi cùm terreſtre animal laboraret, cœleſtium aliquod diuinam admiſtionem ſuſcepiſſet? Neque enim ægrotus curari poteſt,

rest, nisi parti laboranti proprium admoueatur medicamentum. Itaque cùm in terra esset, qui ægrotabat, si diuina potentia dignitatis suæ habita ratione ægrotantem non attigisset, inutile fuisset homini diuinæ potentiæ studium, illis adhibitum, quæ nihil ad nos pertinerent. Aequè enim diuinitate fuisset indignum, si fas est illa quippiam indignum præter vitium dicere, remedium minus aptum & appositum excogitare. Quid? quòd eum, qui naturæ nostræ conditionem humiliorem putat, q̄ vt diuinam magnitudinem deceat, nihilo magis consolatur, quòd cœleste corpus, q̄ quod terrenū Deus induerit? Ab illo enim qui naturę suę sublimitate tam excelsus est, vt nihil ad eum aspirare queat, omnes res procreatæ ex æquo distant, omnes ei pariter cedunt. Is enim, ad quem prorsus non potest accedi, non est eiusmodi, vt ad eum aliæ res aditum habeant, aliæ non habeant, sed omnibus æqualiter præstat, atque antecellit. Quamobrem, cùm illuc medendi facultatem accedere fateamur, vbi morbus est, quid Deo credimus indignum? At naturam nostram insectantur, nascendiq; modum exagitant, eaq; re se id assecuturos existimant, vt mysterium irrideatur, quòd Deo sit indignū, eiusmodi ingressu ad communem hominum vitam accessisse. Ad hæc antea, quoque respondimus, nihil esse turpe diuinæ naturæ, nisi vitium, & quæ cum vitio coniuncta sunt. Naturæ autem ordinem diuino consilio & lege constitutum ab omni vitio remotum esse. Nam si quid in ea vt turpe atque indecorum reprehēdi posset, id ipsum in eius recideret authorem Deum. Quòd si à vitio Deus seiunctus est, & vitio natura caret, & mysterium in homine Deum, non in vitio natum tradit, & hominis vnus est in vitam ingressus, per quem quod genitum est, editur in vitalem hanc lucem, ecquam aliam isti in vitam introeundi rationem Deo præscribunt? Nam, quòd Deum potentia sua inuisere debuisse naturam in vitio ægrotantem iudicant, rectè sentiunt: quòd autem visendi modum improbant, ignorant, omnem corporis fabricam eodem esse honoris, ac pretij loco, & nihil eorum, quæ vitam assecuta sunt, vt despectum, aut turpe reprehendi, omnia enim humanorum membrorum instrumenta tendunt ad vnum illum finem, vt homo cōseruetur in vita. Pars igitur eorum præsentem vitam tuetur, quæ ad varios vsus ita distributa sunt, vt homo per illa sentiendi, agendiq; muneribus fungatur. Pars est ad procreandum accommodata, quæ prospicit in futurum, naturæq; successionem sumministrat. Quare si consideratur vtilitas, quónam illorum, quæ in honore sunt, hęc inferiora, vel potius, si rectè loqui volumus, quónam illorum non superiora iudicentur? Neque enim per oculos, neque per aures, neque per linguam, neque per aliud sentiendi instrumentum genus nostrum perpetuo conseruatur. Hæc enim, vt dictum est, præsentis vitæ commodis consulunt. Illa verò humani generis immortalitatem conseruant, mortisq; vim assiduè nos oppugnantem quodammodo infringunt, debilitant, atque irritam faciunt. Semper enim quod deficit, nouo partu instaurat natura. Quæ cùm ita sint, quid absurdi mysterium nostrum amplectitur, si quibus instrumentis cum morte natura decertat, iis ex pura Virgine Deus humanæ vitæ coniunctus est?

Ex eadem oratione.

Cvr autem cùm initio peccatum vigeret, non in ipso statim ortu per humanæ carnis assumptionem oppressum fuit, atque prouisum, ne latius serperet, & propagaretur? Facilis responsio est. Quoniam is, qui naturæ consulebat, sapientia & prouidentia distulit beneficium erga nos suum. Nam & in corporis morbis cum aliquis humor corruptus meatus occupauit, medicæ facultatis periti non prius adhibent astringentia medicamenta, q̄ id, quod naturæ contrarium intus diffusum est, se totum effuderit, eo autem ad superficiem extracto remediis vtuntur suis. Quoniam igitur malitiæ morbus semel naturam humanam inuaserat, expectauit orbis medicus, vt omnia genera improbitatis, quæ in ipsa natura latitabant, erumperent. Iccirco non statim post cędem & fratricidium admissum à Cain hominum generi medicinam fecit. Nondum enim eorum, qui tempore Noe corrupti sunt, morbus apparuerat. Nondum grauis Sodomiticæ iniquitatis ægritudo patefacta erat. Nondum Aegyptiorum pugna cum Deo, nondum superbia Assyriorum, nondum à Iudæis admissæ sanctorum hominum cædes, nondum alia omnia scelera, atque flagitia, quæ vel literarum monumentis consignata, vel silentio præterita sunt, extiterant, cùm variis modis peccati radix in hominum voluntatibus serperet. Posteaquam igitur malitia peruenit ad summum, hominesq; nullum sceleris genus intentatum reliquerunt, tunc optimus medicus remedium, quo totam ægritudinē curaret, adhibuit. Hæc fuit causa, quamobrem non exorienti, sed perfecto iam morbo mederi voluit. Quòd si q̄s rationibus nostris non acquiescit, quia post medicamentum adhibitum adhuc peccādo grassatur hominum vita, is exemplo claro commonitus veritatem agnoscat. Quemadmodum enim in serpentibus videmus, si lethalem plagam in capite acceperint, non continuo simul cum ipso capite reliquas corporis partes interire, sed eo iam mortuo caudam adhuc propria anima munitam viuere, nec vitali motu priuari, ita malitiam licet considerare, quę cùm mortifero vulnere confecta sit, in reliquiis tamen suis vitam adhuc producit.

Item de diuina humanæ carnis assumptione sancti Maximi. Ex expositione orationis de recta confessione.

Qvi ab initio fuerūt verbi inspectores, ac ministri, Vnum è sancta, & eiusdem essentiæ, & beata Trinitate filium Dei, & Deum verbum hominem induisse propter nos, & carnem humanam ex sancta, & omni ex parte gloriosa semperq; virgine, & propriè ac vere Dei genitrice Maria sibi ipsi secundum personam eiusdē, qua nos sumus, essentię animatam anima mente rationeq; prædita, quæ non ictu oculi temporisúe momento prius extiterit, sed in ipso Deo, & verbo acceperit, vt esset, atq; subsisteret, assumpsisse tradiderunt. Et cùm esset perfectus Deus, factum esse perfectum hominem, nec desiisse, esse Deum, propterea quòd factus esset homo, quod nō erat: nec prohibitum esse fieri, quod non erat, homo, propterea quòd māsisset id, quod erat, Deus, sed cùm Deus esset, hominem esse factum. Veræ diuinitatis autem, & veræ humanitatis documenta, atque indicia fuisse tum diuina miracula, tum cruciatus, & tormenta. Ac quantum ad eius naturam, atque essentiam ratione patris attinet, nec creatum esse, nec oculis perspici, nec circūscribi, nec immutari, nec moueri, nec pati, nec corrumpi, & immortalem esse, & rerum omnium procreatorem. Quantum autem ad carnis eius & nostram naturam pertinet, eundem & creatum esse, & pati potuisse, & circunscribi, & comprehendi, & mori. Eundem, inquam, non in eodem tamen, propter illa ex quibus, & in quibus habet, vt sit. Esse

eiusdem essentiæ cũ Deo, & patre, ratione diuinitatis: esse eiusdem nobiscum essentiæ, ratione humanitatis. Natura seu essentia duplicem, quoniam, cùm sit medius inter Deũ atque homines conciliator, sic eum oportebat naturalem inter hæc extrema intercedentem proprietatem conseruare, vt esset vtrũque, quo reuera in seipso, & per seipsum terrestria cœlestibus deuinciret, & coniungeret, & hominum naturam ex materia constantem, quæ à peccato expugnata deuictaq; fuerat, ad Deum & patrem, liberam, & saluam, Deiq; amantem, & diuinitate affectam non eadem essentiæ ratione, sed sancta assumptæ à se carnis potestate, quæ explicari non potest, diuinitatis factam participem secum adduceret. vt qui ab initio nos etiam procreauit Deus, idem & homo non consilio, & voluntate solum, sed re ipsa esse cognoscatur. Nec tñ esse hypostasi, seu persona duplicem, quandoquidem, vt vnus, & idem erat, antequam carnem assumeret, sic post carnem assumptã permansit, cùm ex verbi humanitate nihil accesserit, nihil decesserit sanctæ Trinitati. Carne quidem pro nobis cruciatus, & mortem esse perpessum, eundem tamen omnino diuinitate nullis cruciatibus, aut affectionibus obnoxium ꝑmãsisse, vt & salus esset nostra in morte vnigeniti filij Dei, (ò mirabile mysterium, & omnem dicendi vim superans) & diuina essentiæ eius apud patrem gloria & splendor perpetuo sine vlla imminutione permaneret.

Eiusdem.

MAgnum assumptæ à Deo carnis mysteriũ, semper mysterium manet. Non solum quia dum facultati eorum, qui seruãtur, proportione videtur rñdere, maius, q̃ præ se fert, arcanum habet reconditum. Verumetiam quia id ipsum, quod apparet, magis occultum, & secretum est, q̃ vt vlla ratione, qũo sit, percipi valeat. Deus enim essentia sublimior, ratione essentiam superante sumpsit essentiam, & pro hominibus (tantus eius in homines amor fuit) ex hominum essentia factus homo, modũ, quo factus est, arcanum retinet, quippe qui supra morem, & vim, & intelligentiam humanam factus est homo.

Eiusdem.

ECquis tantum excellit dicendi facultate, vt audeat, aut possit explicare, qũo cõprehensus sit Deus, quomodo caro sine semine generata sit, quomodo sine corruptione mulieris partus extiterit? Qũo virgo nullo intercedente homine mater euaserit? Quomodo mater partu virginitatem non soluente virgo permanserit? Et vt extremo loco, quod primum est, dicam, qũo Deus factus sit homo? Et, ꝙ maius mysterium continet, quomodo per essentiam secundum personam in carne existens, per essentiam secundum personam totus semper in patre fuerit? Qũo & totus sit natura Deus, & totus natura ita factus sit homo, vt nec diuinam nec humanam naturam abiiceret, sed ambas sine confusione coniunctas conseruaret? Hæc fides sola comprehendit, quæ mentem & cogitationem superantia verbis nequeunt demonstrari.

Eiusdem.

ADam à diuino mandato recedens, in causa fuit, vt hominis principium sit cum voluptate, finis cum dolore. Nam cum voluptate gignitur, cum dolore moritur. Christus aũt factus obediens alium ex spiritu ortum hominibus largitus est. cuius initium à dolore quidẽ excolendæ virtutis, & laboribus nascitur, finis aũt voluptatem, & quietem consequitur. Quamobrem & ipse, cùm vellet homo fieri, quãuis semine noluerit generari, mortem tamen perferre voluit, non vt voluptatis, quæ nulla fuerat, esset pœna, sed vt nos damnatos absolueret, & morte sua mortem nostram interimeret, & conciliaret nobis immortalitatem.

Eiusdem.

AEquum fuit, vt Deus, qui natura & bonus, & sapiens, & iustus, & potens est, neque vti bonus hominis à se procreati despiceret infirmitatem: & vti sapiens eius curandæ rationem cognitam haberet: & vti iustus eos, qui volentes seruituti sese subiecerant, nulla violentia in libertatem vindicaret: & vti potens ad hoc perficiendum vires & facultatem obtineret.

Eiusdem.

ILlud declarat, vt dictum est, bonitatem Dei, quòd nõ despexit humanam imbecillitatem. Modus ille omni mente rationeq; præstantior, quo nostram carnem assumpsit, ipsius indicat sapientiam. Nam qui perfectus est Deus, factus est homo perfectus. Ita manentibus in vna Hypostasi siue persona duabus naturis, vt sine confusione copularentur. Naturæ ad patiendum idoneæ susceptio, ipsius iustitiam demonstrat. Suscepit.n. humanam naturam victam cum oĩbus eius affectionibus, quæ tamen essent à culpa liberæ. Nam quæ cum peccato coniunctæ sunt, non sunt naturales, sed voluntariæ. Et per hanc, non autem per aliud quicquam, Diabolum, qui de nobis victoriam reportauerat, profligauit, & vicit, & re simili similem conseruauit. Potentiã illius ostendit, quod Deus potuit homo fieri. Quid.n. hoc maius? Deinde, quod illis, quæ passus est contraria sumministrauit. Pro imbecillitate enim summum robur: Pro laboribus, quietem: Pro breui morte vitam largitus est sempiternam. Pro iis denique quibus ipse in carne sua priuatus est, ea, quæ natura nr̃a amiserat, recuperauit.

Eiusdem.

DEi verbum carne semel generatum, spiritu volentibus semper generatur. Mores virtutesq; quasi corpus eius constituunt, sermones in spiritu habiti tanquam animam. Mentem vero Theologica contemplatio. Psal.

Eiusdem.

QVi sine peccato factus est homo, omnnino sine mutatione in diuinitatem hominem diuinum efficiet. Eumq; per se tantum extollet, quantum per illum sese summisit. In seculis enim futuris, vt ait Apostolus patefient excellentes diuitiæ bonitatis erga nos Dei. Eob.

Eiusdem.

QVemadmodum in lana candida, si colore purpuræ imbuatur, non duo sunt, sed vnus color: sic in mente humana à Deo assumpta diuinaq; reddita, non duo sunt principes Deus, & mens, sed vnus, qui mentem diuinam reddidit Deus.

Item de diuina humanæ carnis assumptione Damasceni. Cap. LXVII.

ANgelus Domini ad sanctam virginem è Dauidica tribu genus ducentem missus, Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum. His illa cùm esset perturbata, rursum ait Angelus ad eam: Ne timeas Maria. Inuenisti enim gratiam apud Deum. Et paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Iesus enim significat Seruatorem. Illa autem hæsitante, diceteq;, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? rursum Angelus ad eam dixit: Luc.

dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altißimi obumbrabit tibi: Ideoq;, & quod nascetur sanctum vocabitur filius Dei. At illa, ecce, inquit ancilla Domini. Fiat mihi secundũ verbum tuum. Post assensum igitur sanctæ virginis, Spiritus sanctus ex sermone Domini quem Angelus dixerat descendit in eam, ipsamq; purgauit, & vim illi ad suscipiendam Verbi Diuinitatem, & ad generandum præbuit. Et tunc ei in sua manens hypostasi Dei altißimi sapientia, & virtus, filius Dei, eiusdem essentię cum patrę tanquam diuinum semen obumbrauit, sibiq; ex castis, & purißimis eius sanguinibus compegit carnem animatam anima ratione menteq; prædita, primitias nostræ massæ, non semine, sed diuino artificio per Spiritum sanctum; figura non paulatim per accessiones perfecta, sed vno eodemq; momento temporis absoluta. Ipsum autem Dei Verbum ita cum carne coniunctum est hypostasi, vt simul & caro fuerit, & Dei Verbi caro. Simul & caro fuerit animata ratione menteq; prædita, & Dei Verbi caro animata ratione menteq; prædita, Itaque non hominem Deum esse factũ sed Deum factum esse hominem dicimus. Nam qui natura perfectus est Deus, idem natura factus est homo perfectus, non natura mutatus, nec dispositionis speciem præbens sed assumpta ex sancta Virgine carne ratione mẽteq; animata, quæ in ipso habebat, vt esset, & cum ipso erat per hypostasim coniuncta sine confusione, sine immutatione sine inuersione. Neq; enim diuinitatis suæ naturam in carnis naturam conuertit, neque carnis suæ naturam in suæ diuinitatis naturam commutauit. Neque ex diuina sua natura, & ex natura, quam suscepit, humana, naturam vnã compositam reddidit.

Eiusdem.

HAee voces Diuinitas, & humanitas essentiã siue naturam significant. Illæ verò Deus, & homo modò essentiam indicant, & cùm dicimus: Deus essentia est, quæ comprehendi non potest; &, Deus est vnus. Modò personas declarat, de quibus ita dicitur, vt species de suis indiuiduis. Quemadmodum in eo scripturæ loco: Propterea vnxit te Deus Deus tuus. Ecce enim hic patrem, & filium significauit. Et cùm legis in alio loco: Homo quidã erat in regione Ausitide. Iob enim solus indicatur. Quoniam igitur in Domino nostro Iesu Christo duas naturas agnoscimus, & vnam tantùm personam, quæ ex vtraque constat natura, Proinde cùm naturas contemplamur, diuinitatem, & humanitatem dicimus. Quando autem ex natura constantem personam, si ex vtraque natura constare consideretur, eam tum Christum, tum Deum, tum hominem ex æquo, & Deum hominem factum nominamus. Sin ex vna, tum Deum duntaxat, & filium Dei, tum hominem solùm appellamus. Et aliquando quidem ex sublimioribus rationibus, aliquando autem ex humilioribus consideratur. Vnus enim est, siue hoc, siue illo modo similiter existat. Iam cùm Diuinitatem dicimus, eam humanitatis proprietatibus non denominamus, Neque enim dicimus, Diuinitatem pati, aut creatam esse. Nec rursum de carne, aut Humanitate Diuinitatis ꝓprietates enũtiamus. Quando quidem nec carnem, nec humanitatem increatam appellamus. At personæ, siue ex vna, siue ex vtraq; parte nominemus, vtriusq; naturæ proprietates attribuimus. Etenim Christus, quemadmodum vtrunq; est, sic etiam dicitur, tum Deus, & homo: tum creatus, & increatus, tum pati, & nõ pati. Quinetiam cùm ex vna tantũ parte, vel Deus aut filius Dei nominatur, coniunctæ sibi naturæ seu carnis suscipit proprietates, Itemq; Deus passus, & Dominus gloriæ affixus cruci, non quatenus Deus, sed quatenus homo, dicitur: vel homo, aut filius hominis vocatur, essentiæ diuinæ proprietates, & dignitates admittit, vocaturq; puerulus ante secula, & homo sine principio, non quatenus est puerulus, aut homo, sed quatenus Deus existens ante secula in nouißimis natus est seculis. Atque hæc quidem est ratio mutuæ alternæq; attributionis vtriusq; naturę, qua suas vtraq; proprietates alteri vicißim prębet, propterea quòd vnam, & eandem personam constituunt, seq; mutuò comprehẽdunt. Ex quo fit, vt de Christo poßimus dicere. Hic Deus noster, in terra visus est, & cum hominibus versatus. Et hic homo nec creatus est, nec patitur, nec vllo termino circunscribitur. Bar. 3.

Eiusdem, totam diuinam naturam in vna suarum personarum toti humanæ naturæ coniunctam esse, non autem partem parti. Quæ quidem oratio necessaria est etiam aduersus illos, qui in sancta, & eiusdem essentiæ Trinitate tres asserunt esse singulares essentias. Cap. LXX.

QVæ commune, & vniuersum, ac veluti totũ quiddã constituunt, ea de subiectis sibi partibus dicuntur. Itaq; cum essentia commune, & vniuersum quiddã sit, ac totius rationem obtineat, persona autem pars (pars inquam, non quòd naturæ partem habeat, partem non habeat, sed numero pars, vt indiuiduum, numero enim, non natura personæ differunt) essentia dicitur de persona. Quoniam in vnaquaq; eiusdem speciei personarum est essentia perfecta. Quamobrem personæ essentia non differunt inter se, sed accidentibus, accidentia voco characteres, ac notas illas proprias, quæ personam, non autem essentiam designant. Sic enim personam definiunt, vt sit essentia cũ accidentibus cõiuncta. Quare persona habet id, quod est commune cum propria nota copulatum. Essentia autem non per se subsistit, sed in personis consideratur. Itaq; cùm vna patitur personarum, omnis essentia, per quam est persona, in vna suarum personarum dicitur passa. Nec tamen sequitur necessariò, vt omnes eiusdem speciei personæ simul cum illa, quæ passa est, ipsæ quoq: passæ dicantur. Sic ergo confitemur, totam Diuinitatis naturã in singulis personis suis esse perfectam, totam in patre, totam in filio, totam in spiritu sancto. Quocirca & perfectus Deus est pater, & perfectus Deus est filius, & perfectus Deus est spiritus sanctus. Sic itẽ in humanitate assumpta ab vno sanctæ Trinitatis Deo Verbo totam, & perfectam Diuinitatis naturam, in vna suarum personarum, toti humanæ naturæ, non autem partem parti fuisse cõiunctam dicimus. Nam, vt diuinus inquit Apostolus, in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, idest, in carne eius. Et Pauli discipulus in rebus diuinis explicandis excellẽtißimus Dionysius, se totam, inquit, in vna suarum personarum communicauit. Nec tamen cogemur dicere, omnes, seu tres sanctæ Diuinitatis personas omnibus humanitatis personis secundum personas esse coniunctas. Nulla enim alia nisi approbationis, & voluntatis ratione pater, & spiritus sanctus assumptæ à Deo Verbo humanitati communicarunt. Totam verò Dininitatis essentiã toti humanæ naturæ coniunctam asserimus. Quia nihil eorum, quæ naturæ nostræ Deus Verbum inseruit, cùm initió nos procrearet, dimisit, sed omnia suscepit, nempe corpus, animam mente, ratione que præditam, & eorum proprietates (Animal enim, quod harum aliqua parte caret, non est homo) Totũ enim Col. 2.

totus assumpsit,& totus toti coniunctus est,vt toti salutem largiretur. Quod enim non esset assumptum foret incurabile. Cõiunctum igitur est carni Verbum Dei, & Deus per mentem inter Dei puritatem, & carnis crassitudinem intercedentem. Nam animæ quidem carnisq; princeps est mens,vtpote purissima ipsius animæ pars,Deus autem ipsius mentis,quæ cùm cedit præstantiori, principatũ osten dit suum. Sic autem cum præstantiori coniungitur, atq; illi obsequitur,vt faciat quæcunq; voluntas diuina præscribit. Mens est diuinitatis sibi per personam coniunctæ locus, quemadmodum & caro. Non autem simul inhabitat, vt opinionis errore decipiuntur hæretici, qui quomodo, inquiunt,quod vnum tantùm modium capit, duos modios continebit?Errant imperiti,quia ratione corporea diiudicant ea,quæ à materia sunt remotissima. Quomodo enim Christus dicetur perfectus Deus, & homo perfectus, & eiusdem cum patre,& nobiscum essentiæ,si partem diuinę naturæ cum parte naturæ humanæ in seipso cõiungat. Porrò dicimus naturam nostram à mortuis surrexisse,& in cœlum ascendisse,& sedisse ad dexteram patris,non quòd omnes omnium hominum personæ surrexerint, & ad dexteram patris consederint,sed ꝙ omnis natura nostra hæc in Christi persona sit consecuta. Nos inquit Diuinus Apostolus consurgere,& consedere fecit in Christo. Prætereà dicimus coniunctionem hanc ex communibus essentiis confectam. Nam omnis essentia vt commune atque vniuersum quiddam omnes sibi subiectas personas cõplectitur. Nec licet naturam siue essentiam vllam singularem, priuatáq; reperire. Sic enim esset necessarium, personas ipsas essentiæ & eiusdem esse,& diuersæ. Et sanctam Trinitatem eiusdem esse,diuersæq; essentiæ quantum pertinet ad Diuinitatem Eadem igitur natura in singulis personis consideratur. Et quando dicimus,Verbi naturam carnem assumpsisse,diuinitatem ex Beatorum Athanasij, Cyrilliq; sententia carni esse coniunctam affirmamus. Quamobrem non possimus dicere Verbi naturam esse passam, neq; enim Diuinitas in ipso passa est. Dicentes autem naturam humanam fuisse passam in Christo,non omnes hominum personas significamus, sed in natura humana Christum esse passum confitemur. Quare cùm Verbi naturam dicimus, ipsum Verbum indicamus. Verbum autem & essentiæ communitatem obtinet,& personæ proprietatem.

Eiusdem de vna Dei Verbi composita persona. Cap. LXXI.

EVndem igitur etiam post humanam carnem assumptam vnum filium Dei,& filium hominis,vnũ Christum,vnum Dominum,vnigenitum filium, & Verbum Dei,Iesum Dominum nostrum confitemur. Duos ipsius ortus venerantes, vnum quidem ex patre ante secula omni causa & ratione tum temporis,tum naturæ superiorem. Alterum autẽ in nouissimis temporibus propter nos, & ex nobis,& supra nos. Propter nos, quia propter salutẽ nostram. Ex nobis,quia ex muliere natus est homo legitimo partus tempore. supra nos,quia sine semine, ex spiritu sancto,& sancta Virgine,supra pariendi legem. Nec Deũ solum ipsum prædicamus à nostra seiunctum humanitate, nec solum hominem remotum à diuinitate. Nec alium, atque alium,sed vnum,& eundem,simul Deum,atq; hominem Deum perfectum,& perfectum hominem,totũ Deũ & totum hominem eundem totum Deum etiam cum carne sua,& totum hominem etiam cum summa diuinitate, vt dicentes,perfectum Deum & perfectum hominem absolutam,& nulla re deficientem naturarum plenitudinem ostendamus,dicentes autem totum Deum, & totum hominem vnicam & singularem personam declaremus. Vnã item Dei Verbi naturam carnem assumpsisse confitemur, idest,carnis essentiam, vt beatus Cyrillus intelligit. Carnẽ igitur Verbum assumpsit, nec tamen à natura sua recessit materiæ experte. Et cùm totam carnem assumpserit, totũ tamen nullo termino circunscribitur. Corpore minuitur, atque contrahitur,& Diuinitate non circunscribitur: cùm eius caro super Diuinitate,quæ circunscribi nõ potest, nõ extendatur. Totus ergo perfectus est Deus,non totum autem Deus,neq; enim solùm Deus,sed etiam homo. Et totus homo perfectus,non autem totum homo, neq; enim solùm homo,verùm etiam Deus. Vt totum quidem naturam constituat,totus autem personam. Itemq; naturæ sit aliud,alius autem personæ. In omnibus erat, & super omnia etiam in vtero diuinæ genitricis, In hoc tamen ea potissimum actione,qua carnem induebat. Illud sciendum est, quãuis dicamus Domini naturas inter se mutuò commeare,id tamen à natura diuina proficisci. Ipsa enim, vt vult, per omnia commeat,transit,ac penetrat, per ipsam verò nihil. Atq; ipsa quidem dignitates suas carni sic elargitur, vt nihil patiatur,& carnis affectionum expers maneat. Nã si nobis sol actiones impertit suas,& à nostris nihil accipit, quanto magis id solis author ipse præstabit?

Eiusdem. De natura in specie & indiuiduo considerata,& differentia copulationis, & carnis assumptionis.

NAtura vel cogitatione sola,& nuda cõsideratur, per se enim non subsistit: vel communiter in omnibus eiusdem speciei personis, eas ipsa coniungens. Et dicitur in specie,aut communiter considerata natura eadẽ, quæ assumptis accidentibus in vna persona. Et dicitur in indiuiduo considerata,persona eadem esse, quæ in specie consideratur. Deus igitur Verbum carnem assumens neq; nuda,& sola cogitatione comprehensam naturam accepit(neq; enim id esset carnem assumere, sed decipere, & carnis assumptionem confingere)Neq; naturam illã, quæ in specie consideratur,neq; enim personas omnes accepit sed naturam in indiuiduo,quæ eadem est cum illa,quæ est in specie(Primitias enim accepit nostræ massæ) non per se subsistentem,& quæ prius esset indiuiduum, vt sic ab ipso assumeretur,sed quæ in sua ipsius existeret persona. Nam ipsa dei Verbi hypostasis siue ꝑsona, carnis hypostasis siue persona extitit. Atq; ita Verbum caro factum est, sine incitatione tamen, & caro Verbum sine commutatione. Et Deus,homo:& homo, Deus ob hanc per personam coniunctionem. Quapropter idem est dicere,naturam Verbi, & naturam in indiuiduo. Neque enim id indiuiduum, seu personam propriè & singulariter declarat, neque personarum communitatem,sed communem naturã, quæ in vna personarum consideratur, & expenditur. Aliud igitur est coniunctio aliud carnis assumptio. Coniunctio enim solã indicat copulationem, cum quo autem fiat ipsa coniunctio non declarat. At carnis,seu(quod idem est) humanitatis assumptio cũ carne, siue cum hoĩe coniunctionem demonstrat,quemadmodũ & ignitio(vt ita dicam)ferri cum igne coniunctionem ostendit.

Eiusdem. de naturalibus & nulli crimini obnoxiis affectionibus.

PRæterea confitemur,eum omnes naturales & culpa carentes affectiones hominis suscepisse. Totum enim

hominem,& quæ sunt hominis, assumpsit omnia, præter peccatum. Hoc enim neque naturale est, neq; nobis insitũ à procreatore, sed Diaboli satu in libero nostro proposito nobis volentibus non autem inuitis coaluit, & propagatũ est, dominioq; potitum. At naturales, & vitio, culpaq; vacãtes affectiones sunt illæ, quę in potestate nostra nõ sunt, quæ nimirum ex admissi peccati damnatione, & noxa in vitam humanam irruerunt. Vt fames, sitis, lassitudo, dolor, lachrymæ interitus, mortis causa, timor, angor, ex quo sudores, sanguinis guttæ, Angelorum, propter naturæ imbecillitatem subsidium, & consolatio, hæc, & alia id genus, quæ omnibus insunt hominibus naturaliter, omnia suscepit, vt omnia prorsus sancta redderet. Naturales autẽ omnes affectiones, & ex natura, & supra naturã erant in Christo. Ex natura enim in eo mouebantur, cùm permittebat carni, vt quæ propria illius sunt, pateretur, atq; sentiret. Supra naturam verò, quoniam naturales in Domino motus, & affectiones eius voluntati non imperabant. Nihil enim in eo coactum, inuitum, & necessarium consideratur, sed omnia voluntaria. Volens enim esuriit, volens sitiuit, volens timuit, volens mortuus est.

Eiusdem, cur filius Dei carnem humanam assumpserit, non autem pater, aut Spiritus sanctus.

Pater est pater, non filius. Filius est filius, non pater. Spiritus sanctus est spiritus sanctus, non pater, aut filius. Proprietas enim immobilis est. Quæ si moueatur, & concidat, quomodo proprietas permanebit? Iccircò filius Dei fit hominis filius, vt proprietas firma & immobilis maneat. Nam cum sit filius Dei, factus est filius hominis, ita carnem assumens ex Virgine, vt non recederet à filii proprietate.

Item de diuina humanæ carnis assumptione. Aliorum patrum.

Si ignis in suo loco manens cum ferro cõiungitur, multo magis ille, qui est omnipotens, immobilis manens assumptæ carni coniunctus est, vt qui totus erat in patre, totus in illa esset assumptione. Quæ quidem ratio si naturæ vim superat, nil mirum est, quando filius, & Verbum ipsa est natura præstantius.

Si mens animæ corpus incolenti cõiuncta quolibet progreditur ipsam animam non derelinquens, & impenetrabilis (vt ita dicam) per omnia commeat, & penetrat, super uacaneum est dubitare, quomodo filius, & Deus nec patrem relinquens, nec cœlum deserens in terram descenderit, & cum nequeat comprehendi, sit ab anima & corpore comprehensus. Nam si res procreata hanc obtinet potestatem, qualis erit procreator ipse, admirabilis huius, quæ verbis explicari non potest, elargitor?

Totum Verbum, qui Deus est, carnem assumpsit, & totum nequit comprehendi. Quamobrem & totum erat in sinu Dei & patris, & totum simul in vtero diuinæ matris, illic vt nullo termino comprehensum, hic autem vt indutũ humana carne.

Carnem assumens Verbũ & Deus, & in omnibus erat, vt oĩa complẽs; & sup omnia, quia nullo termino aut loco circunscribi potest, aut comprehendi; & in vtero diuinæ matris, quoniam assumptionem carnis ita peragebat, vt non circunscriberetur tamen: Et in ipsa assumptione propter carnis coniunctionem, quam nullo item modo circunscriptus efficiebat. Factus autẽ est homo propter nos, & ex nobis, & supra nos. Quoniam & pro salute nostra, & ex muliere, & ex virgine.

Iam ante mundi constitutionem vt Deus humanã carnem assumeret, præfinitum erat. Nũquam autem ante sanctissimam Mariam diuinæ carnis assumptione dignum repertum est domicilium. Vbi autem repertum est, humanã carnem assumpsit Deus. Qui ideo in despõsa Virgine concipi voluit, vt & matrimonium cuius initium spõsali sunt, commendaret, & ei virginitatem anteponeret.

Humanitas quæ per coniunctionem in vna eadẽq; persona assumpta est, ex ipsa coniunctione, & communione effecta diuina est, statimq; ab humanæ naturę terminis nõ recedens, excellentes & magnificas diuinitatis dotes accepit, vt & vitam tribueret, & esset omnipotẽs, & omnia cerneret. Dicitur autem serua, & ignara, & aliis eiusmodi nominibus appellaẽ, si quis (vt inquit Gregorius Theologus) sola nuda cogitatione separet id, qđ videtur, ab eo, quod intelligitur. In hac autem Christus obnoxius fuit naturalibus & culpa carentibus affectionibus, vt nec à propria natura discederet, & se verè carnem humanã assumpsisse confirmaret, & doloribus suis nostros curaret, & naturalibus affectionibus eas, quæ sunt præter naturam aboleret, & deniq; vt eas vincens ipse tanq̃ homo nobis simili natura secum coniunctis & cognitis victoriam ipsam largiretur. Peccatum enim non est affectio naturalis, & quæcũq; ad peccatum pertinent.

Vt ignis ferrum ignitum, & illustre reddens frigiditatis & nigredinis eius particeps ipse non efficitur, ita Diuinitas virtutem suam Humanitati communicans eius nõ accipit imbecillitatem.

Puritas quidem cum sordibus nostri versatur, sed ipsæ tamen sordes puritatem non inficiunt. Lux enim (inquit) in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ioan. 1.
Nam cùm tenebræ presentia radiorum expellantur, sol tamen à tenebris non obscuratur.

Vnum dicitur in iis quidem, quæ sunt eiusdem essentiæ, cùm eadem est natura, & diuersæ personæ. Ex quo illud, & tria vnum sunt. In iis autem, quę diuersæ sunt essentiæ, vnũ 1. Ioan. 5
dicitur, cùm eadem persona est, & diuersæ naturæ, ex quo illud: & vtrũque vnum. Vnum autem nõ natura, sed coniunctione duarum naturarum in vna persona.

Quemadmodum vnum est ex eorum numero quę multiplici ratione dicuntur. Dicitur enim vnum vel numero, vt exempli gratia, Petrus: vel specie, vt homo: vel genere, vt animal: sic etiam duo. Nam & numero dicuntur duo, vt Petrus & Paulus: & specie, vt homo & equus: & genere, vt essentia & color. Quando igitur duo in Christo dicimus, nõ numero intelligimus duo, quoniam est vnica persona, sed specie duo, hoc est, natura, quæ duplex in illo est. Dicit enim Gregorius Theologus, vtrunque esse vnum non natura, sed coniunctione, Et Aristoteles materiam & formam vnum esse dicit numero, specie autem duo. Duplicem hũc vsum oportet proponere aduersus eos, qui vnius quidem speciei multa reperiri concedunt indiuidua, Duas autem species in vno indiuiduo nec reperiri nec dici posse contendunt.

Item dicitur vel essentia, seu, quod idem est, natura, vt Petrus & Paulus idem natura sunt: vel genere, vt bos & equus idem sunt genere. Vtriusque enim genus est animal rationis expers: vel specie, vt Titus & Timothæus idẽ sunt specie, Nam sub homine sunt ambo: vel numero, vt quod multa habet nomina, gladius enim, ensis, mucro idem numero, his enim vnum subiicitur: vel analogia, seu conuenientia, aut proportione, vt mẽs, & oculus idem sunt pro-

portione. Quod enim est oculus in corpore, idem est mẽs in animo: vel persona, vt in Christo, eius enim diuersæ naturæ persona idem sunt, siue vnum.

Duas in Christo naturas cogitatione quidem dicimus esse discretæ quantitatis, vt quæ sola cogitatione diuidantur: re autem dicimus eas esse quantitatis continuæ, vt quæ re ipsa non diuidantur.

Quæ diuersa sunt, multis modis concursu mutuo possunt ita coniungi, vt vnum sint. Vel mixtione, vt in iis, quæ liquida sunt, quale est vinum, & aqua. Vel aceruo, vt in iis, quæ sunt arida, quale est triticum, & hordeum. Vel imbibitione, vt in humido, & sicco, qualis est terra, & aqua. Vel remixtione vt in diuersis farinis. Vel confusione, vt in iis, quæ liquefiunt, qualia sunt aurum, & argentum, & cera, & pix. Vel congruentia, vt in lapidibus. Vel appositione, vt in tabulis. Vel coniunctione, vt in lampade, quæ ex igne proficiscitur, & rursum coniungitur. Vel essentia, vt in indiuiduis, quales sint Petrus & Paulus, aut aliqui vel equi, vel boues, aut alia animalia. Vel habitu, vt in amicis & sententiis in vnam voluntatem conuenientibus. Vel compositione, vt in anima, & corpore. Vel persona, id, quod de sola diuinitate, & humanitate in Christo dicitur. Hoc autem coniunctionis genus primus tradidit Sanctus Cyrillus, cùm repugnaret Nestorio, qui duarum in Christo naturarum copulationem habitu fieri docebat. Execrandæ enim illius resistens opinioni coniunctionem, quæ fit per hypostasim, siue personam induxit, qua duæ naturæ in vna persona, nõ autem in duabus, vt magis suis asserebat Nestorius, copulantur. Dicitur autem hæc & per essentiam coniunctio, ꝙ vera sit, non autem sola opinione fingatur.

Aliter etiam ea, quæ diuersæ sunt essentiæ per vnam personam sic coniunguntur, vt vnum sint, sua cuique vel post cõiunctionẽ seruata proprietate. Quę quidem coniunctio quadrat etiam animæ & corpori in vnam coeuntibus personam, vt Damascenus edocuit.

Eiusdem dicitur esse personæ id, quod in vna eademq; persona cum alio à quo differt essentia coniungitur, vt in anima quoq; fit & corpore.

Omnibus rebus immixtus est Deus per potentiam naturã cuiusq; regentem & conseruantem, filius autem & Deus cum humanitate assumpta mixtus est per personam.

Qua ratione patri coniunctus est Christus, eadem & nobis coniunctus est, per naturam nimirum. Et qua ratione differt a patre, eadem à nobis etiam differt nempe per personam. sibi autem per personam in vnum copulatur, per naturam verò diuiditur. Et cum patre quidem, & nobiscũ est eiusdem naturæ, nõ autem eiusdem personæ, secum autem ipse eiusdem personæ, non autem eiusdem naturæ. In eo nãq; naturæ sunt duæ, & vna duntaxat persona.

Quando id, quod compositum est, earum partium, ex quibus constat, nominibus appellare non possumus, tunc ipsam naturam vnam absolutè dicere cõsueuimus. Vt corpus, quod ex quatuor constat elementis, terra, aqua, aëre, & igne, cùm propriè nec terram, nec aquam, nec aërem, nec ignem nominare possimus, quod hæc simplicia sint, illud compositum, vnam ipsum naturam corporis appellamus. Sic item hominem, cùm propriè nec animã, nec corpus, ex quibus compositus est, vocare valeamus, quòd alia sit animæ, alia corporis, alia hominis definitio, vnam ex vtroque constantem naturam dicimus. Quãquàm scripturæ mos est, vt libertate spiritus vtens ex parte totum denominet. In Christo autem coniunctio est eiusmodi, vt verbis nequeat explicari, immò ne hominis quidẽ mente comprehendi. Neque enim aliam sibi personam Verbũ adiunxit, sed naturam humanam ea ratione, quam ipse nouit, assumpsit personæ suæ, & in se ipso, vt magis propriè dicam, supposuit. Quoniam autem ipsum, qui ex Diuinitate constat & humanitate, partium, quæ in ipso copulatæ sunt, nominibus propriè possumus appellare, ꝓpriè.n. illũ & Deũ dicimus, & hominem propriè nominamus, meritò ꝓpter antedictam causam duas ipsum naturas, nõ autem vnam, vt cætera, quę composita sunt, dicimus. nec tres, neq; enim hominẽ duas dicimus naturas, licet ex duabus, vt demonstratum est, naturis constet.

Omnis compositio ex partibus proximè componentibus nuncupatur. Itaque vt domum, non ex terra, & aqua, sed ex lapidibus, & lignis: hominemq́; non ex quatuor elementis sed ex anima, & corpore cõponi dicimus: Sic Christum ex diuinitate, & humanitate, non enim partium partes consideramus, sed eas partes solas, quæ ꝓximæ & summæ sunt.

Si homo constat ex corpore, & anima, vt duabus naturis, Christus vtique ex tribus naturis constabit. At vnicam habet homo naturam. Nam licet alia corporis natura sit, alia animæ ratione prædita, horum tamen congressio naturam vnam hominis conficit. Et quandiu coniuncta manent, homo dicitur. posteaq̃ seiuncta sunt, non amplius homo, sed pars vna cadauer, altera anima ratione prædita. Vnam igitur habet homo naturam compositam.

Si assumpta humanitas est Verbi propria, quæ humanitatis assumptæ propriæ sunt, erunt etiam Verbi propria, licet eis se ipsum non subiiciat, sed illi cõicet, quæ sua sunt quanuis non eo modo, quo ea à se possidentur. Hanc autẽ mutuæ tributionis rationem vocamus, qua naturæ se vicissim capiunt, & quæ vtrique propria sunt, sibi mutuò tribuunt. Ac tametsi vicissim ac mutuò has inter se commeare dicimus, hoc tamen ex diuina propriè natura pendet, quæ per omnia transit, & commeat, & penetrat, vti vult, per illam autem nihil.

Hæc mutua tributio vel in nominibus consideratur, vt cùm hominem dicimus Deum, & deum hominem. Vel in rebus, & hæc est duplex. Nam aut æqualis est & dissimilis, vt in Deo hoĩe facto, & in homine facto Deo. Licet enim tantum assumptus homo factus sit Deus, quantum Deus hominem assumens factus est homo. Per corpus enim & animam, & mentem vtrunq; factum est, non similiter tamen: Deus enim per naturam factus est homo, homo autẽ per gratiam Deus. Aut similis, & inęqualis, vt in anima à Deo homini Data, vt in carne ab homine Deo & Verbo tributa. Imago enim Dei est, &, quoad fieri potest, Deo similis anima, æqualis autem nullo modo. Et tunc quidem id dedit, quod præstantius erat, post autem id, quod erat deterius, accepit. Verùm animaduertendum est, quanuis aliquando dicamus Deum hominem, aliquando hominẽ Deum, Diuinitatem tamen hominem, aut humanitatem Deum nos nunquam dicere.

Etsi nullum potest exemplum excogitari, quod planè rem propositam exprimat, nos tamen aliquod afferre conabimur, quod quidem si rei magnitudini minus respondebit, appositè tamen vtcunque veritatem adumbrabit. Quemadmodum si totus exardescat aëre, vel potius sit totus ignis, exiguum autem ferri frustulum in illum coniiciatur, necesse quidem erit illud sic affici, vt nihil aliud, quàm ignis esse videatur, attamen illi essentiæ ratio permanebit. Eodem modo natura humana diuinæ coniuncta, sic ab illa comprehensa est & superata, vt non amplius natura hominis eẽ videatur. Et hac de causa patres nostri, quod exuperat & dominatur, & intuentes illam Deum esse factam dixerunt.

dixerunt. Ideoq; propter vnam horum personam & indissolubilem coniunctionem vnum item his adorationis cultum deberi.

Personarum in Christo differentiam non admittimus, ne quartam personam in sancta Trinitate confingamus. Naturarum autem agnoscimus differentiam, ne carnem eiusdem per naturã essentiæ cũ Christo credamus esse.

Si tres essent aureæ statuæ, quarum vna auro, aut cæra vndiq; illineretur, aliquod ne damnum hæc in propria essentia faceret, an duas naturas veras, & integras suam nimirum vnam, & aliam illitam, & adiunctã conseruaret, cùm tamen ob id non quatuor euaderent statuæ, sed tres omnino vt antea permanerent? Hoc modo, vt ex paruis magna cõiiciamus, & obscuris quibusdam simulachris veritatem peruestigemus, duas in Christo naturas & vnam personã considera, vt nulla Trinitati propter humanitatis naturam assumptam fiat accessio. Natura enim est assumpta, non autem persona. Itaque post eius etiam assumptionem mansit vna Diuinitas, & Trinitas personarum.

Non per mutationem, aut inuersionem, aut confusionem animata Domini caro diuina dicitur facta, & nominatur Deus, sed propter summam personæ coniunctionem. Nam & Deus dicitur factus homo, propterea quòd humanitati coniunctus est. Et Deus ipse, & eius humanitas diuina dicitur propter verissimam item illius in persona copulationem. Post hanc autem copulationem naturæ non confusæ cum suis proprietatibus manserunt. Aurum enim illitum ligno idem permanet. Lignum verò & auri dignitatem lucratur, nec desinit esse lignum, nec propriã naturam derelinquit.

Verbum & Deus aut vniuersum, aut singularem assumpsit hominem. Si vniuersum, oculis non cerneretur. Natura enim vniuersa non est conspicua. Præterea multas haberet personas: Plures enim genus vniuersum complectitur. Nec eiusdem esset nobiscum essentiæ. Nos enim sumus indiuidua. Et multa eiusmodi incommoda sequerentur. Sin hominem assumpsit singularem, duas deprehendetur habere personas. Reliquum igitur est, vt neutrum assumpserit sed singularis, hoc est, indiuidui naturam hominis, cuius ipse persona fuit. Singularis autem hominis natura communis quidem est, sed in indiuiduo. Singularem verò dicimus hominem, vt indiuiduum speciei, non animam solam, aut corpus solum, sed quod ex vtroque conficitur.

Quæ in natura humana sunt à vitio reprehensioneq; aliena, ea Christus partim supra homines accepit, partim vt homines, partim abiectius, quàm homines. Supra homines fuit, quòd sine semine conceptus est, quòd ex virgine natus, & cætera horum similia. Hominum more fuit, quòd diuinæ genitricis vterum infantulus tumefecit, quòd nouem mensium spatio natus est, quòd hausit lac, quòd plorauit, & id genus alia. Abiectius & humilius, quàm pro hominum consuetudine, fuit, quod eius species in cruce turpis apparuit, & cum ignominia, & deficiens, vt inquit
[...] 53. Esaias, supra filios hominum. Quodq; prius quàm latrones, qui simul in crucem acti erant, præ clauorum dolore mortuus est. Adde & illud, si placet, quòd sub humili forma hortulani se post resurrectionem conspiciendum præ-
[...]an. 20. buit, & Apostolis cicatrices, & loca vulnerum ostendit, quodq; cibum cepit. Nam reliqui homines posteaquã fue
[...]tt. 13. f rint in vitam reuocati, fulgebunt vt sol, nec vllus eorũ eiusmodi cicatrices in corpore, aut vulnerum loca retinebit, nec comedet.

Filius Dei, atq; idem Deus, & conceptus, & natus esse dicitur, & docuisse, & res admirandas fecisse, & vt paucis omnia complectar, tum egisse, tum passus esse, & mortuus & surrexisse. Quoniam assumptæ carnis ipse fuit persona, quæ quidem caro sine semine genita nullam aliam propriã personam habuit. Quocirca cùm assumentis & assumptæ humanæ naturæ vna sit eademq; persona, ipse dicitur & agere & pati ex eius, quod assumpsit, natura. Et quæ illius propria sunt, sibi ascisit vt propria, quippe qui sit eius hypostasis, atq; persona, vt demonstrauimus.

Deum humanitatem induisse & in carne passum esse dicimus. Diuinitatem verò nec humanitatem assumpsisse, nec passam esse dicimus si volumus propriè loqui. Nam & virgo Deum quidem genuit, Diuinitatem autem non genuit. At vna Diuinitatis persona naturam assumpsit humanam. Hic autem est filius Dei, vt qui in cœlis est filius, filius item esset in terris, & ꝓprietas immobilis permaneret. Gigni enim non naturæ fuit, sed personæ. Etenim si fuisset naturæ, non in eadem natura & genitum & ingenitum extitisset. Verùm quia virgo genuit Christum, qui Deus est, & homo, à parte præstantiori & excellentiori Dei genitrix appellat̃. Quanquã & assumptæ naturæ ꝑsona diuina est, & assumpta natura ꝑꝑ ipsam cõiunctionẽ diuina ẽ reddita.

TITVLVS OCTAVVS

In Hæbreos, Omnia, quæ sequuntur, capita, vsque ad illa, quæ collegimus ex Chrysostomo, sumpta sunt ex libro, qui inscribitur, de cognitione Dei, cuius author esse fertur Gregorius Nyssæ Pontifex, Excepto quinto, quod est Basilii Magni.

LEX & Prophetæ, quorum plenitudo Christus est, omnia, quæ tum ad ipsum Christum, tum etiam ad sanctã pertinent Trinitatem, subtiliter perscripserunt. Sed diuina factũ est prouidentia, vt multo fuse sparsa, disseminataq; sint, & obscurè posita, ne cũ adhuc essent infantes Iudæi, nec, quę sublimiora sunt, possent percipere, ad indignas opiniones declinarent, & quod ab omni affectione remotissimũ est, affectionibus obnoxium arbitrarẽtur. Etenim cùm Deus in Horeb eos alloqui cœpisset, eiusmodi oratione suam imbecillitatem excusarunt, non pergemus, inquientes, audi-
re vocem Domini Dei nostri, nec ignem hunc magnum Exo. 18.
videbimus amplius, ne moriamur. Et dixit Dominus ad
me: (hæc sunt verba Mosis scribentis) Bene omnia sunt lo- Deut. 18
cuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tibi, & ponam verba mea in ore eius, & loquetur ad eos omnia, quæ præcepero illi. Hæc quidem ita se habent. Verborum autem hæc est sententia. Quoniam ipsi me nequeunt audire, prophetam suscitabo eis, (& quæ sequuntur) qui nuntiabit illis ea, quæ, vt nunc quidem res est, intelligere non possunt. Quæ nimirum ad Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & ad diuinam humanæ naturæ pertinent assumptionem, & alia quæ per Euangeliũ ꝓmulgata sunt. Illud. n. similẽ tibi, siltudinẽ in legibus sanciendis potissimũ indicat. At Iesus Naue neq; ad talia visa, & oracula, vt Moses, admissus ẽ, neq; legislator, vt ille, fuit, neq; tãtã iniit gratiã, quantã ille. Christus verò cũ in ferendis legibus illi similis fuerit, in reliquis, vti Dominus, ante-

celluit. Quòd autem filius Naue non sit ille Propheta, quē Deus pollicitus est, ita collige. Dixit Moses ad populum in Deut. 18. Deuteronomio: Prophetam è fratribus nostris suscitabit tibi Dominus Deus tuus. At filius Naue multo ante per ma- Nu. 27.d nus Mosis à Deo fuerat declaratus, vt in Leuitico legimus. Alius ergo præter hunc erat suscitandus. Iudæi verò quæ in Deuteronomii fine post mortem Mosis scripta sunt, videntur ignorare. Sic autem habent: Non surrexit Propheta in Israële sicut Moses, quem nouit Dominus facie ad faciem. Consentaneum quidem erat, vt cùm Deus Mosi dixisset, se prophetam suscitaturum eis, tunc ipse Moses populo denuntiaret. At cùm id in Horeb accepisset, postea in Deuteronomio ad populum refert dedita opera expectans Iesu fili Naue declarationem, ne hunc esse prophetam illum similem sibi suspicarentur. Posteaq; verò declaratus est Naue filius, tum demum illud populo exponit. Et de hoc quidem hactenus. Cùm autem innumerabilia propè loca sint in sacra scriptura, quæ vel ante denuntiant ea, quę ad Christum pertinent, vel indicant illa, quæ ad sanctā spectant Trinitatem, nos omittemus multa, & ea præcipuè, quæ isti malignè detorquentes conantur aliter interpretari, ne improbè contradicendi occasionem præbeamus. Ezech. 3. Omnes enim Israelitæ, vt inquit Ezechiel, sunt contentiosi, & duri corde, Pauca tantùm eaq; adeò perspicua, vt refutari nequeant, proponemus, quæ vel persuadeant, vel eos pertinaces, & obstinatos, atque dementes esse conuincant.

Libri Geneseos.

ET dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Pater nimirum eos alloquitur, qui ex ipsius sunt essentia, quos in summa procreationis mundi dignitate socios habet. Neque verò referenda sunt hæc ad hebræi sermonis proprietatem, qua numerus plura indicans pro illo, qui vnum significat, vsurpatur. Nā si hac loquendi consuetudine vti voluerimus, vbi nō oportet, confusione replebimus contradicentes.

Ex eodem libro.

ET dixit Deus: Ecce Adam factus est, sicut vnus è nobis, qui sumus nimirum in vna diuinitate personarū. Hoc enim & si cum ironia dictum est, vnam tamen duntaxat personam significare non potest.

Ex eodem libro.

Gene. 9. ET dixit Deus: Venite, descendamus, & cōfundamus linguam eorum. Illud enim, Venite, duos saltem significat. Et vnus est, qui loquit. Ex quo trinitas perfecta declaratur. Quòd autem eos, qui eiusdem potestatis & essentiæ sunt, alloquatur, venite, inquiēs, hoc faciamus, facilè apparet. Quòd si Angelos ministros allocutū responderis, siue omnes, quod absurdum est, sed paucos dixeris, cùm id nullo scripturæ testimonio fultum sit, vt falsum improbabimus.

Quomodo loquitur Deus? eóne modo quo loquimur nos? Impium sit, ita sentire. Nam consilium diuinum, & primus ille mentis intelligentis motus est sermo Dei, quem sic exponit, & exprimit scriptura, vt significet, Deum nō modò procreare hominem voluisse, sed alicuius opera id voluisse præstare. Poterat enim vt ab initio fecit, sic omnia persequi. In principio fecit Deus cœlum & terram. Deinde fecit lucem, postea firmamentum. Nunc autem Deum quasi præcipientem, & colloquentem inducens, eum qui cum loquitur, tacitè demonstrat, non quòd nobis cognitionem inuideat, sed vt nos illius arcani incendat cupiditate, cuius vestigia indicat, & semina quædam subiicit. Etenim quæ labore parta sunt, cum lætitia percipimus, diligenterq; conseruamus. Quæ verò facile comparamus, despicère, & negligere consueuimus. Itaque via quadam & ordine nos ad vnigeniti intelligētiam ducit, & allicit. Atqui sermonis, qui per vocem effertur, vsus non erat necessarius naturæ illi corporis experti, cùm posset cogitata hne verbis simul agenti communicare. Vox enim propter auditū, & auditus vocis est gratia. Vbi autē nec aër est, nec lingua, nec aures, nec obliquæ illæ aurium semitæ sonos ad sensum, qui in capite est, perducentes, ibi verba non sunt necessaria, sed ex ipsis cordis, vt ita dicam, aut animi notionibus cogitationes patefiunt. Quamobrem scriptura sapienter, & scitè vt diximus, hanc figuram vsurpat, vt mentem nostram ad personam, cum qua sermo instituitur, inuestigandam impellat.

Ex eodem libro.

APparuit autem illi Deus ad quercum Mambræ, sedente ipso in ostio tabernaculi sui, in meridie suspiciens autem oculis suis vidit. Et ecce tres viri steterunt super eum, & videns cucurrit in occursum eis, & adorauit super terram, & dixit: Domine si vtiq; inueni gratiā coram te, ne transeas seruum tuum. Et paulo post. Dixit autem ad eum: Vbi Sara vxor tua? Ille autem respondens dixit: ecce in tabernaculo. Et ait, reuertens veniam ad te, & quæ sequūtur. Ecce scriptum est, Deū apparuisse Abraham, tres autem fuisse, qui apparuerunt. Et cum sint tres, sermo cum vno tantùm instituitur, vt constet omnino, vnam esse trium personarum Diuinitatem. Quòd si vnum quidem esse dixeris Deum, Angelos autem duos, quomodo potuerunt cum Domino considere?

Ex eodem libro.

DOminus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo. Quæ quidē verba & duas indicāt personas, & idem consiliū, æqualemq; declarant potestatem. Duas autem consequitur tertia quoniam mutuò inter se vinculo ita coniunctæ sunt, vt separari non possint.

Deuteronomii.

AVdi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est. Illud Dominus, & Deus, & Dominus tres personas ostendit. Illud autem, Vnus est, Diuinitatem & naturam vnam.

Dauidis, & Iob, & Zachariæ, & Esaiæ.

IN Deo laudabo verbum. In Domino laudabo sermonem. In Deo speraui, non timebo, quid faciat mihi homo. Et rursum: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, & inuoca me in die tribulationi tuæ. Et rursum: Viuit Dominus, & benedictus Deus. & exaltetur Deus salutis meæ. Item, in lumine tuo videbimus lumen, hoc est, in filio tuo videbimus Spiritum sanctum. Per ipsum enim multo clarius patrem & Spiritum sanctum cognouimus. Multa præterea reperiemus, quibus sancta Trinitas indicatur. Hymnus etiam Angelicus Ille, sanctus, sanctus, sanctus Dominus ternæ sanctitatis celebratione

tres

tres personas demonstrat, semel autem Dominum nominans, vnicam declarat Diuinitatem. Verùm multo significantius Dauid de patre & filio loquitur, ex persona patris
l. 109 ad filium, ex vtero, inquiens, genui te. Per vterum paternam decet essentiam, & naturam intelligi. Quem autem poteris alium sine tempore genitum inuenire? Ex persona
l.2. na autem filii, Dominus, inquiens, dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Illud enim: hodie genui te, ortum eius in tempore ex virgine significat. Genui, pro eo, quod est, te gigni mihi placuit, vel procreaui. Huic autem personæ filii congruit etiam illud Solomonis: Dominus creauit me, & quæ sequuntur. Deinde subiicit. Ante omnes col
.8. les generat me. Illud enim. creauit me ortum illius in tempore humanum significat. At illud ante omnes colles, alterum illum cœlestem, & sine tempore, & ante secula declarat. Item Dauid, Verbo, inquit, Domini cœli firmati sunt,
l. 32. & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Dominũ appellat patrem. Verbũ autem filium ipsius. Quoniam ita se habet cum patre, vt cum mente verbum, & oratio, nõ solùm propter ortum qui sine vlla fuit affecti one, verùm etiam propter coniunctionem cum patre, & quia voluntatem eius enuntiat. Spiritum verò vocat Spiritum sanctum. Item de Verbo, & filio, misit verbum suum, inquit, & sanauit eos.
l. 106 Pater nimirum misit filium, & sanauit ignorantiæ morbo
l. 103 laborantes. At de spiritu sancto, Mittes, inquit, spiritũ tuũ, & creabuntur, noua vtiq; creatione. Et renouabis faciem terræ, quæ consenuit in peccatis. Neq; verò vocalibus instrumentis enuntiatum hoc verbum in aëra diffunditur, at
l. 118 que dissoluitur. Sic enim alibi dicit: In seculum, Domine, Verbum tuum permanet in cœlo. Nec spiritus ille spirandi instrumentis expellitur, aut spargitur, & dissipatur. Hæc enim corporibus contingunt. Perspicuum igitur est, Verbum, & spiritum in sua vtrunque existere persona, & esse æternum, & creatorem. Præterea Iob dicit: Viuit Deus, qui ita me iudicauit, & omnipotens qui amaram reddidit animam meam, & spiritus Dei mihi in naribus circum-
.27. mit. Et Zacharias ex persona Dei & patris, ego vobiscum,
.48. inquit, sum, & Verbum meum, & spiritus meus. Et Esaias, nunc, inquit, Dominus misit me, & spiritus eius.

Ex Genesi, & Esaia.

Dixit Iacob ad duas vxores suas: Et dixit mihi Angelus Dei in somnis: Vidi quæcunq; fecit tibi Labam,
n.30. & quæ sequuntur. Deinde, ego, inquit, sum Deus, qui apparui tibi in loco Dei. Si Angelus erat vnus è numero ministrantium Potestatum, quomodo se ipsum appellat Deum? An vtique filius erat, qui Dei, & patris est Angelus, hoc est, nuntius, vt mentis index est verbum, & sermo, mentis enim, & animi sensum indicat? Post humanã enim
n.17. carnem assumptam nuntians nobis patris nomen, nuntiaui, inquit, nomen tuum hominibus. Et magni consilii Angelus vocatur ab Esaia. Et Magnus consiliarius, & Deus
.9. fortis, & potens. Quis porrò consiliarius Dei, nisi qui eiusdem est essentiæ, eiusdemq; potestatis, & dignitatis æqualis filius? Consilium voluntasq; patris est hominum salus per Euangelica mandata. Patris verò & filii consilio eadem voluntas significatur. Quòd autem filius hic & Deus
.9. carnem humanam induerit, ostendit idem Esaias, Puer, inquiens, natus est nobis, & filius datus est nobis. Propter nos enim natus est puer ille filius, & nobiscum versatus est. Nam de illo, qui verè filius est, non autem de quolibet filio hæc prædixit Propheta. Et opus hoc vt admirandum prædicat. Quid autem admirandum, eum qui simpliciter filius sit, puerum nasci? Quamobrem & clariora deinceps subiecit, vt Diuinitatem illius, & differentiam inter eum, & reliquos, qui simpliciter filii sunt, indicaret.

Baruch, & Esaiæ.

Hic est Deus noster: & non æstimabitur alius aduersus eum. Deinde addit. Post hæc in terris visus est, Bar. 3.
& cum hominibus conuersatus est. Et Esaias Ecce, Esa. 35.
inquit, Deus noster. Ipse veniet, & saluabit nos. Afferens autem signum aduentus eius in carne subiungit: Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum audient. Tunc saliet, vt ceruus, claudus, & diserta erit lingua balborum. Quæ quidem omnia re ipsa perfecta humanam carnem ab illo assumptam indicio certissimo testantur. Idemq; rursus ait: Non legatus, non Angelus, sed ipse Dominus seruauit eos. Legatus enim est intercessor, qualis fuit Moses, & siquis alius post Mosem. Ac per legatos quidem, atque Angelos multi sæpenumerò seruati sunt, vt illi, quos vel Moses vel Iesus Naue filius, & alii eiusmodi rexerunt, & gubernarunt. Et qui fuerunt sub Ezechia, quo quidẽ tempore An- 4. Reg. 19
gelus vna nocte centum octoginta quinque millia Assyriorum deleuit. Hæc profectò Dei peregrinationem clarissimè patefaciunt. 2. Par. 32

Esaiæ.

Dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Omnis enim, quæ fœtum in Esa. 7.
vtero gerit, non est virgo. Hæc autem fœtum in vtero gerens erit virgo. Quod quidem vt admirabile testimonium atq; indicium proponitur.

Eiusdem.

Antequam sciat puer bonum, aut malum, dissuade malitia eligere bonum. Cui nam puero hęc dices cõ- Esa. 7.
uenire? solus Christus peccatum (inquit) non fecit, Esa. 38.
nec inuentus est dolus in ore eius, idest, neque re, neque 1. Pet. 2.
verbis peccauit. Aliorum autem omnium nullus (inquit) purus à macula. Pro. 20. b

Micheæ.

Et tu Bethlęem terra Iuda, nequaquam minima es in Mich. 5.
principibus Iuda. Ex te enim mihi exibit dux, qui regat populum meum Israelem. Verùm vt ostenderet hunc non esse hominem nudum & solum, sed cũ Deo coniũctum, adiecit: Exitus eius ab initio, à diebus seculi. Actiones, inquit, eius ad Diuinitatem pertinẽtes, vel ortus eius, ab initio, ex seculi interuallo, hoc est, ab omni æternitate. Zorobabel autem Babilone natus est. Vides exquisitissimè subductam rationem ad locum vsq;, in quo natus est Christus.

Daniel.

Videbam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & ad antiquum dierum accessit, & ad eius conspectum adductus est, Dan. 7.
& datus est illi honor, & imperium, & regnum, & omnes populi, tribus, linguæ seruient illi. Potestas eius, potestas sempiterna, quæ non pertransibit, & regnum illius non euertetur. Ecquis est hic quasi filius hominis, qui potestatem accipit absolutam in omnes, ac sempiternam? homo quidem omnino nullus, sed ipse Deus & homo Christus. De quo & Dauid Deum & Patrem sic allo- Psal. 71.

quitur. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Christus enim & vti Deus Rex est, & filius Regis. Et vti homo factus est Rex, & filius Regis, nempe Da-
Matt. 28. uidis. Ex quo postea, Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Ad quem Pater, postquàm, vt homo, potestatem accepit, sede, inquit, à dextris meis. Dixit
Psal. 109 enim (vt ait Dauid) Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quinam sunt hi duo Domini ipsius Dauidis, nisi hos esse concesseris? At cum dixisset Dauid: Deus iudiciũ tuum Regi da, & quæ sequuntur, subiecit, quoniam ante solem permanet nomen eius, nomen illud vtique quod illum Deum, aut filium esse demõstrat. Semper enim vtrunque fuit. Ecquis igitur eiusmodi Rex, nisi hic? cui seruierũt omnes gentes, nisi Christo? Quem nisi Christum collaudarunt, beatumq; prędicauerunt? Sin adhuc ipsum expectas, quoad præcurrat Elias, secũdum seruatoris descensum expectas, cùm aderit mundi finis. Nam cùm duo sint Christi descensus, vnus, cùm ad naturam humanam assumendam venit, alter, cùm veniet ad iudicandum orbem vniuersum, prior iam fuit, cuius præcursor tanquam alter Elias Ioannes extitit, posterior erit, & Eliam tanquam alterum Ioannem habebit præcursorem. Ambo enim sunt eiusdem Spiritus, & eiusdem gratiæ, atque virtutis, quatenus Christum præcurrunt.

Vnctus ille, & Messias, quem expectatis, est purus homo, an Deus & homo? Nam si purus homo est, non est ille, quem prædixerunt Prophetę, qui signa ei diuinitatis adiunxerunt, vt ipsum à puris, & meris hominibus separarẽt. vos autem à quibus aliis didicistis notas, & signa illius, quem expectatis? Sin Deus est & homo, nónne animaduertitis, vos aliam Diuinitatis personam confiteri? Neq; enim dice-
Esa. 9. tis hunc esse patrem. Nam puer, inquit, natus est nobis filius, non autem pater. Iam Messias, & Christus, & vnctus
Psal. 93. idem est. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquan-
Esa. 42. do sapite. Et Esaias vos alloquitur, cæci, inquiẽs, inspicite, & surdi audite. Vltróne cæci estis? an omnino sensibus caretis? Ecquando igitur nominum ambiguitates, aut verborum significationes, aut dictionum proprietates distinguetis, quibus veritas comprehenditur?

De Christi cruciatibus & morte.

Dauid ex persona Christi, cõsilium, inquit, malignan-
Psal. 21. tium obsedit me. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Diuiserũt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Hæc cum illis, quæ narrantur in Euangeliis planè congruentia cuinam alii, nisi Christo, dices conuenire? Eadem
Esa. 50 per Esaiam de se prædixit Christus. Dorsum meum percutientibus præbui, genas vellentibus, & faciem ab igno-
Psal. 68 minia conspuentium non auerti. Et rursum Daniel, Dederunt, inquit, in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Quòd si hæc intelliges de populo in captiuitate constituto, cùm constet eum, licet alia multa pertulerit, huiusmodi tamen non fuisse perpessum, sententia tua
Esa. 50 facile refelletur. Mortem ipsius prædixit Esaias, vt ouis,
Esa. 53. inquiens, ad occisionem ductus est. Verùm vt cognosceres eam nobis fuisse salutarem, rursum idem, liuore, inquit, eius sanati omnes sumus. Vt intelligeres autem ob eius mortem Iudæorum genus ad exitium peruenisse subiecit, & dabo impios pro eius sepultura. Quid enim Iudæorum impietate flagitiosius, qui eum, à quo tam multa beneficia acceperant, interfecerunt?

De Christi resurrectione.

Non relinques, inquit Dauid, animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionẽ, nẽpe, corpis. Deinde, notos, inquit fecisti mihi Psal.
dies vitæ. Oseas multo clarius ait: & sanabit nos post dies, Ose.
in die tertia, & resurgemus, & viuemus in conspectu eius. Hæc autem dicta sunt ex persona eorum, qui dormierant, quorum corpora cum Christo surrexerunt tertio die, quo Hier.
surrexit ipse, & apparuerunt multis, vt Euangelium docet. Quinetiam Iosephus Hæbræus in. xviij. libro de antiquita- Mat.
te Iudæorum de Christo loquitur ad hunc modum. Fuit eodem tempore Iesus, vir sapiens, si tamen eum appellare virum fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor hominum, qui cũ voluptate quæ vera sunt, amplectuntur. Ac multos quidem tum ex Iudæis, tũ ex aliis gentibus adiunxit sibi. Hic erat Christus. Quem nostræ gentis principibus accusantibus à Pilato damnatum cruci affixerunt Iudæi. Nec tamen qui eum prius dilexerant, doctrinam ipsius promulgare destiterunt. Tertio nanq; post die se rursus viuentem illis conspiciendum præbuit. Cùm & Esa.
hæc & alia de ipso innumerabilia diuini prophetæ prædixissent.

De Ecclesia ex gentibus.

Laetare solitudo sitiens. Exultet solitudo, & floreat Esa.
quasi lilium. Et loca deserta Iordanis exultabunt, & Esa.
gloria Libani data est ei. & honor carmeli. Hæc sensu quidem nec facta sunt vnquam, neque fient. Quis enim solitudinem & loca deserta deligat ad habitandum? nisi forte Christianos Monachos dixeris. Spiritu autẽ planè contigerunt. Nam gentium Ecclesia nullos antea fructus ferentium erat quædam veluti solitudo, in qua degebant vitiorum feræ. Hæc Dei cognitionem salutemq; sitiens lætatur, & exultat, & floret, fructuum pulchritudine, & suauitate decorata. Data autem est illi gloria Libani, hoc est, antiqui populi, quem & carmelum vocat, cuius gloria & honor est pietas, religio, & amicitia Dei, & gloriæ, legisq; sublimitas, & diuinorum munerum copia, atque gratiarum Esa.
abundantia. Et rursum, Lætare sterilis, quæ nõ paris, erumpe, & clama, quæ nõ parturis. Quoniam multi sunt filii magis desertæ, quàm habentis virum. sterilis enim erat Ecclesia, quam ostendimus, nec vllos anteferebat virtutum fructus. Post autem pietatem & religionem amplexa multorum facta est filiorum mater, Iudaicamq; Synagogam, cuius antea vir erat Deus, qui eam diligebat, & prouidentia sua fouebat, ac tuebatur, vel etiam lex, vicit fœcunditate. Rursum ex persona Dei & patris filium & Deum Esa.
alloquentis sic ait Esaias: Ecce dedi te in fœdus gentium, vt terram constituas, & solitudinis suscipias hæreditatem & quæ sequuntur. Quod etiam per Dauidem filio pollicitus est, & dabo, inquiens gentes hæreditatem tuam. Ac Psal.
ipse quidem Dauid patrem ad hoc hortabatur, constitue, Psal.
inquiens, Domine legislatorem super eos. At Esaias ex huius legislatoris persona, Lex, inquit, egredietur à me in lucem gentium, & in brachio meo gentes sperabunt. Esa.
Quænam alia est illa lex, præter Euangelicam? Quæ gentes in ignorantiæ tenebris aberrantes illustrauit? Nam lex quidem Mosaica multis iam annis antecesserat. Iam de nouo Euangelii testamento rursum Esaias ante locutus est, ex Sion, inquiens, exibit lex, & sermo Do- Esa.
mini ex Hierusalem. Siquidem Dominus noster Iesus Christus nunc in monte Sion sedens, & docens, nunc in ciuitate

uitate Hierusalem versans legem, & doctrinam Euangelicam tradidit. Neq; enim de Mosaica lege Propheta nunc loquitur. Qui enim id fieri queat? cùm ea non in Sion, nec in Hierusalem, sed in monte Sina fuerit lata, multo antequã natus esset Esaias, quemadmodum Euangelica multo post ipsum Esaiam tempore promulgata fuit? Quapropter apposite dixit, Exibit. Qm̃ antiqua lex iam exierat. Hoc autem tempus Hieremias item pronunciauit his verbis. Ecce
Ier. 31. veniunt dies, dicit Dominus, & feriam vobiscum fœdus nouum, non secundum illud fœdus, quod iniui cum patribus vestris, qua die manum eorum apprehendi, vt educerem eos de terra Aegypti, quoniam illi fœdus meum non obseruarunt, & ego neglexi eos. Hæc, & his similia obscurè tradita sunt, ne delerentur libri. Nam qui Christum præsentem, & res admirabiles efficientem, & certissima diuinitatis suæ afferentem indicia contuentes non susceperũt, sed egerunt in crucem, hi.s. prophetiis pepercissent de ipso loquentibus, si eas nulla contectas vmbra, sed apertas, ac nudas accepissent?

Iam verò nos Christi nomine appellatum iri prædixit
Esa. 65.c. Esaias, Vos, inquiens, tollet euertetq; Dominus. Illis autem, qui seruient mihi, nouum nomen imponet, quod in vniuersa terra celebrabitur. Idemq; rursus, videbunt, inquit, gẽtes gloriam tuam, & omnes reges iustitiam. Et vo-
Esa. 62. cabitur nomen nouum, quod ipse Dominus pronũtiabit. Hoc Oseas item prædixit, Et erit, inquiens, in nouissimis temporibus nomen eius illustre in vniuersa terra. Et nomine illius multi populi appellabuntur. Et ibunt in viis eius, & viuent in ipsis.

Eiusdem.

Esa. 45.c. ET in te præcabuntur. Qm̃ in te Dominus est. Et non est Deus præter te. Et non cognouimus. Illud, & precabuntur in te, præsignificat eos, qui crediderunt in Christum. Illud autem; Qm̃ in te Deus est, in carne assumpta præmonstrat Diuinitatem. At illud; Tu enim es Deus, & non cognouimus, excusationem indicat Iudæorum in iudicio futuro, quæ stulta, atque inanis erit.

Si Christus impostor fuit, qũo quæ predixit, euentu cõprobata sunt omnia? Vt ea, quæ ad templi destructionem, quæ ad ciuitatem Hierosolymorum expugnandam, euertendamq; & ad internecionem Iudæorum, quæq; ad discipulos suos, & ad res admirandas, quæ in nomine suo erant facturi, pertinentia prænuntiauit?

Item contra Hebræos. Magni Ioannis Chrysostomi capita maxime apposita, & opportuna ex eo selecta volumine, quo orationes in Iudæos continentur.

SI virum aliquem venerandum, atq; præclarum in cauponam, aut latronum diuersorium adductum cerneres, eumq; deinde contumeliis & verberibus affectũ grauissima. Eorum debacchantium probra perpeti animaduerteres, proptereáne cauponam, aut diuersorium illud admirandum existimares, quòd illuc insignis ille vir adductus esset? an potius detestareris ea, quæ perspiceres, & ab illis abhorreres, quòd talis vir ibi tam indignis modis acceptus esse? Similem eiusmodi loco esse puta synagogam Iudeorum, qui Mosem & Prophetas in illam adductos ignominia potius afficiunt, quàm honore. Etenim cùm dicant, eos nihil esse locutos de Christo, deq; illius humanitate, immò verò voces eorum hoc indicantes corrumpant, nónne manifesta illos afficiunt ignominia? Nã & serapidis templum hos libros à Ptolemæo descriptos continebat, neq; tamen ob id quisquam templum illud sanctum existimabit. Ipsi quidem libri propriam habebãt sanctitatem, sed eam templo non impertibant propter impuritatem eorum, qui illuc ingrediebantur. Quid Azoni 1. Reg. 5.
nónne Arcam captam in templum suum introduxerunt, quod tamen permansit impurum? Aequum igitur est, Iudæos, & eorum synagogam ideo potissimum execrari, quod in Mosem, & Prophetas insaniunt, & debaccantur. Librorum enim lectio, si fides absit, nec locum, nec legentes sanctos possunt efficere. Itaq; meritò in eos dictũ est: Domus serpẽtis factus est mihi locus vester. Serpentis inquam crudelis, & execrande feræ. Nisi Prophetas haberẽt, & sacros libros legerent, non essent tam detestabiles & prophani. Nunc autem nullam merẽtur veniam, qui cùm præcones habeant veritatis, aduersus illos, veritatemq; depugnant.

Iudaicis celebritatibus non solum tempus, sed etiam locum obseruandum, præscripsit Deus. Exempli gratia tem Deut. 16.
pus ad Pascha celebrandum præfinitum erat, dies xiiij. mẽsis primi, locus autem Hierosolyma. Ac cùm celebritatẽ tempora essent diuersa, locus erat vnus. Cumq; à præscripto tempore, & loco recedere nefas esset, necessitati tamen concedebatur, vt tempus in obseruando paschate minus obseruaretur. Locum autem nullo pacto licebat nõ
obseruare. Non poteris, inquit, celebrare Pascha in vlla ea Deut. 12.
rum ciuitatum, quæ tibi Deus tradet, præter illam, quam Dominus Deus elegerit. Quid? Sibine ipse aduersatur? qui cùm vno in loco iubeat, sacrificare, eum ipsum locum sic euertit, vt ad eum Iudæi nequeãt accedere? Minimè verò, sed quemadmodum illis ne victimas quidem initiò volebat concedere, quas tamen, cùm illos insanos, anxios, & earum ita cupidos intelligeret, vt nisi immolandi potestatem accepissent, ad simulachrorum cultum vltrò essent præcipites ruituri, eo consilio concessit, vt eos à simulachris ad se colendum cõuerteret, minore malo permisso, ne in grauius incurrerent, sic sapientissima breuissimaq; ratione illas sustulit, cùm in vna tantùm ciuitate immolare permitteret, hanc autem euertendam, ac delendam curaret, vt, cùm extra illam mactare victimas per legem non liceret, ea sublata victimæ tollerentur. Totus enim terrarũ orbis, quod quidem mirabile est, Iudæis conceditur, vbi sacrificare non licet, à sola autem Hierusalem excluduntur, in qua vna illis, vt sacrificent, permissum est. Nam vt architectus, si iactis fundamentis, erectiiq; parietibus, fastigij testudinem ad lapidem vnum in medio positum deuinciat, eo lapide sublato totũ euertit ædificium. Ita Deus cùm quoddam veluti sacrificiorum vinculum Hierusalẽ cõstituisset, hac euersa victimas immolãdi ius abrogauit.

Eiusdem.

QVod aũt Deus sacrificandi leges tulit, non quòd ipse victimis placaretur, sed quia Iudæorum tanquã infantiũ indulgeret imbecillitati, per Esaiam ostendit, Non est, inquit, mihi voluntas in vobis. Plenus Esa. 1.
sum. Holocausta arietum, & adipem agnorum, & sanguinem taurorum, & hircorum nolo. Quis enim exquisiuit hæc è manibus vestris? si obtuleritis siliginem, inane suffimentum, fastidium mihi est. Et rursum non honorasti me, inquit, victimis nec donis seruisti mihi. Et per Hieremiã, Hier. 6.
cur, inquit, thus è saba fertis? & Cinamomum ex terra longinqua? Et rursum, Holocausta vestra, inquit, non placuerunt mihi. Et rursum Holocausta vestra cum victimis vestris odit anima mea. Ad hæc, nõ locutus sum, inquit, patribus vestris de victimis, neque de holocaustis mandaui illis.

Nam si hæc exquisiuisset, veteres, qui ante illos fuerunt illustres, primos ad illa compulisset. Nunc autem quæ ad tēpus concesśit, rursus abrogat. Per Dauidem enim, non suscipiam, inquit, de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Et nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Et multa eiusmodi. Deinde sacrificium rationi congruens introducit, misericordiam, inquiens, volo, & non sacrificium. Et, ecce, præstat obedire, q̃ immolare. Et sacrificium laudis honorificabit me. Et, magnificabo nomen Dei mei cum laude. Et placebit Deo super vitulum nouum. Et, sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et, sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem compegisti mihi, corpus Domini vtique, quod à sacerdotibus quotidie offertur, & dignis distribuitur, vt eius participes fiant.

Psal. 49. Psal. 50. Psal. 39.

Eiusdem.

INterrogentur Hebræi, qũo festos dies celebrent. Nōne perspicuum est, eos, cùm celebritatis loco careant, si sacrificent, à legis præscripto discedere? Nam si Prophetæ, qui captiui olim abducti fuerāt, amissa Hierusalem sacrificare non audebant, Non est enim dicebant, in hoc tempore holocaustum, nec sacrificium, nec oblatio, Non locus, vt fructum feramus coram te, & inueniamus misericordiam, Quinetiam cùm canere cogerentur ab iis, à quibus in seruitute detinebantur, aliquem è canticis Sion, recusabant, dicentes. Qũo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Atque per Zachariam Dominus aliis dicit, Ieiuniúmne ieiunastis septuaginta annis? quibus nimirum captiui premebantur seruitute, Qũo igitur cùm sacrificiū non sit, neque canticum, neque ieiunium, & nulla iccirco celebritas, siquidem omnis legitima celebritas sacrificio peragebatur, audent isti, ieiunium, aut diem festum agere, aut nullum omnino cultum à lege præscriptum exequi? Qđ autem Prophetæ neque immolarent Pascha, neque diem alium festum vllum peragerent, ex Danielis ieiunio intelligi potest, qui cùm tertio primi mensis die ieiunare cœpisset, tres hebdomadas ieiunauit, vsque ad vigesimum quartum eiusdem mensis diem. Quo quidem mense celebritas erat tum Paschatis, tum Azimorum, paschatis quidem die mensis quartodecimo, Azimorum autem à quartodecimo vsque ad vigesimum primum, quibus diebus ieiunare nefas erat.

Psal. 36. Zach. 7.

Eiusdem.

QVòd si responderint, sperare se ciuitatem recuperaturos, Dic illis, ergo quiescite, quo ad illam recuperetis. Nam & sancti viri, qui ante vos in captiuitatem ducti sunt, nullum egerunt sacrificium, antequam illam recuperarunt. Vos autem illos aspernantes aperte discedetis ab ipsa lege.

Cùm absit vnctio, non habes sacerdotem, absente sacerdote, nec sacrificium habes, nec vllum cultum.

Eiusdem.

DEus significans sacrificia lege constituta abrogatū iri, per Dauidem, Tu es, inquit, sacerdos, in æternū secundum ordinem Melchisedech, qui non legis sacrificia, sed preces, & panem, ac vinum abtulit. Constat igitur vna cum Aaronis sacerdotio sublatam esse legis administrationem, in cuius locum administrādi ratio congruēs Melchisedech administrationi succescit,

Psa. 109.

Eiusdem.

NIhil est Iudæis infelicius, qui cùm legi parēdum esset, eam aspernabantur. nunc autem, cùm illi parendum non sit, eam conantur obseruare, Deumq; non solum violantes legem, verumetiam illam obseruantes irritant.

Eiusdem.

TRes seruitutes Iudæi grauissimas pertulerunt, vnam in Aegypto, alteram in Babylone, tertiam sub Antiocho cognomento illustri. Harum nullā intulit Deus, quam non ante prædixerit. Singulis.n. præfinitum annorū numerum indicauit, primæ quadringentorum, secundæ septuaginta, tertiæ trium cum dimidio, & paulo amplius. Quo quidem absoluto temporis spatio libertatem recepturos prænuntiauit. Ac de illa quidem, quæ fuit in Aegypto, sic cum Habraham locutus est. Sciens scito, quod semen tuum peregrinum erit in terra non sua, & eos seruituti subiicient, & affligent annis quadringentis. Gentem autem, cui seruierint, ego iudicabo. Quarta autem gñatione huc reuertentur cum magna copia. Intellexisti iam & annorū numerum, nempe quadringentorum: Et seruitutis acerbitatem, nam affligent, inquit. Et supplicium eorum à quibus prementur seruitute. Nam ego, inquit, eos iudicabo, ita nimirum, vt aquis absorbeantur. Et liberationis modū, cum magna, inquit, copia, pecuniarum vtique, De illa autem, quæ fuit in Babylone Hieremias Propheta prædixit ad hunc modum: Dixit Dominus: Cùm cœperint impleri Babyloni septuaginta anni, visitabo vos, & statuam super vos verba mea bona, vt reuertamini in locum hunc, & cōuertam captiuitatem vestram, & congregabo vos ex omnibus gentibus, in quas dispersi vos, inquit Dominus, & cōuertam vos in locum, vnde demigrare vos feci. Vides omnia verè enumerata? Itaq; Daniel non ante pro illis supplicauit, q̃ septuaginta anni, vt ait ipse, completi sunt, ne ipse quoque audiret, quod audierat Hieremias: Ne oraueris pro populo hoc, neq; postulaueris pro illis, qm̃ non audiā te. Ac iustus quidem orans condemnabat se, peccauimus, inquiens, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. At illi, qui malorum erant pleni, contra se gerebant, seruauimus, aiebant, mandata tua. Et nunc beatos dicimus alienos, & nūc reædificant, qui fecerunt iniqua. Nam vt boni solent post rectè facta modestè de se sentire, sic improborū mos est, vt post admissa peccata se iactitent. De illa verò quæ fuit sub Antiocho illustri dilucidè locutus est Daniel, qui arietē quidem appellat Darium Persarum Regem, hircum autē Regem Macedonum Alexandrum, quatuor verò illius cornua Reges, qui Alexandro defuncto imperium ipsius diuiserunt. Posterius autem cornu illum, quem diximus, Anthiochum. Tum declarans administrationis Iudaicæ euersionem, quam hic intulit, per ipsum inquit conturbatum est sacrificium, & sanctum vastabitur. Et datum est peccatum in sacrificium. Simulachrum.n. in templo constituit, cui scelestas hostias immolauit. Et humi deiecta est iustitia. Legis iudicia intelligit. Et alio prophetiæ suæ loco longius hæc repetens latiusq; declarans cùm ad Antiochū peruenisset, addidit, Brachia exorientur, & prophanabūt sanctum, & transferent continuationem, hoc est solennes, & quotidianus victimas. Et inferent in ipsum abominationem, nempe, simulachrum, & gladio, atque igni debilitabuntur (ciuitatis incendium intelligit) & captiuitate, & direptione. Et interim, dum infirmabuntur, auxilio paruo adiuuabuntur. (inducias significat) deinde causam calamitatum subiicit. Vt igne in ipsis probentur, & eligantur, albiq; fiant, vsque ad temporis finem, hoc est, vt probētur electi, & purgentur illi, qui peccauerunt. Tum de maledicto Antiochi in Deum locutus, ita prosequitur, & prosperè aget, donec finiatur ira, id est, donec impleatur ira Dei aduersus

Dan. Gen. Hier. Dan. Hier. Dan. Dan. Isa.

Iudæos. Cumq; denuntiasset, & alia multa & ad horum cõmutationem peruenisset, & consurget, inquit, Michael
n. 12. Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui. Et erit tempus afflictionis, quale non fuit, ex quo gens extitit super terram vsque ad tempus illud. Tunc omnis populus seruabit, qui inuentus fuerit descriptus, nimirum in libro viuẽtium, hoc est, ij, qui erunt salute digni. A tempore autem, inquit, mutationis Endelechismi, hoc est, solutionis sacrificij, dies erunt mille ducenti nonaginta. Quod quidem spatium tres annos, & dimidium, & paulo amplius conficit. Ecce tibi & temporis lõgitudo. Rursumq;, beatus, inquit, qui sustinet, & peruenit ad dies mille, trecentos, tringinta quinque. Hæc est bona liberationis denuntiatio. Adiunxit autem dies quadragintaquinque, quia tot dierum spatio futurum erat, vt consilium, & victoria, & ærumnarum dissolutio constitueretur. Neq; verò beatum simpliciter dixit, qui perueniret ad illud tempus, sed qui cum patientia perueniret, quiq; à pietate non deflexisset. Cernis & captiuitatem, & liberationem non vsque ad annos, & menses, sed vsque ad diem vnum subtiliter explicatas, & prænuntiatas. Hæc & Iosephus Hebræus clarissimè conscripsit. Insignes igitur illæ captiuitates ita prænuntiatę sunt, vt & quãdiu duraturæ, & quando essent dissoluẽdæ, prædictum sit, in hac autem extrema, & nullum finem habitura, quæ multo insignior est, Hierosolyma quidem à Romanis euertenda, redigendaq; in solitudinem prædictum est, Quòd aũt sint vnquam instauranda, nihil omnino pronuntiatum.

Eiusdem.

. 9. Daniel venisse Gabrielem, seque sic allocutum dicit Septuaginta hebdomadæ perfectæ sunt super populum tuum, hoc est, præfinitæ sunt. Nam pro septuaginta annis, quibus misere afflictus in Babylone, septuaginta annorum hebdomadas illi præfiniuit Deus, vt in cultu legis maneret, deinde propter facinus, quod ausus est admittere in Christum, ab ea excluderetur. Iccirco.n.dixit super populum tuum, tuum, inquam, non amplius Dei. Septuaginta hebdomadæ quadringentos, & nonaginta annos conficiunt. Qui incipientes ab ædificatione templi Hierosolymorum facta per Neemiam illuc vsque perueniunt, cùm baptizatus est Christus. Pergit.n.ostendere & principium eorum, & finem. ex quo, inquiẽs, ædificabitur Hierusalem vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ, quæ simul sunt sexaginta nouem, deficiente vna ad perficiendum numerum septuaginta. Nam septuaginta incipiunt à templi reædificatione. Sexaginta nouem autem incipiunt, ex quo ciuitas etiam Hierosolymorum rursum ædificatur. Itaq; platea, inquit, & mœnia ædificabuntur. Cùm enim baptizatus est Christus, & discipulos instituit, tunc Iudæi incipientes in ipsum sæuire à diuina cura exciderunt. Vide autem omnia aperte ab Angelo declarata Danieli. Dixit enim: Vt inueterascat peccatum, hoc est, vt extollatur peccatũ. Quale autem peccatum? illud nimirum omnium grauissimum in cæde Domini perpetratum. Vt obsignentur peccata. id est, vt compleantur adeo, vt nihil maius addi possit. Quamobrem & Christus ad eos, implete, inquit, pec-
. 23. cata patrum vestrorum. Nam illi quidem Prophetas occiderunt. Vos autem Prophetarum Dominum occidere festinatis. Et obsignetur visio, & prophetia, hoc est, cùm desinet prophetia. Similiter.n.& Christus, Lex, inquit, & Prophetæ vsque ad Ioannem. Et tolletur vnctio, regia nimirum, & sacerdotalis. Et iudicium non erit, seu iudex. Et ciuitatem, & sanctum euertet, exercitus vtiq; Romanorum cum Duce veniente, hoc est, Christo ipsi opitulante, qui Dux est eorum, qui in se credunt. Venturo iterum secũdo aduentu. Et succidentur, inquit, diluuio. Et rursum de captiuitate loquens, tolletur, inquit, sacrificium, & libatio. Et vastationis abominatio erit in templo. Statua Titi abominationem appellat vastationis. Quapropter & Christus ait: Cùm videritis abominationem desolationis, stantem Mat. 13.
in loco sancto, qui legit, intelligat. Et vsque ad consumationem seculi consumatio tradetur vastationi. Consumationem temporis vocat mundi finem. Aut ostendant ipsi aliud tempus. Ecce enim mille iam annos permanent in seruitute. Appropinquat autem mundi consumatio. Quocirca & Iosephus, de quo antè diximus de captiuitate Iudæorum scribens ita loquitur.

Præterea de Romanorum principatu Daniel scripsit, dicẽs, Hierosolyma ab illis euersum iri. Nec ausus est quicquam aliud addere, cùm probe sciret, nihil à Daniele deliberatione ab istis miseriis dictum fuisse. Quinetiam diuersis postea temporibus conati, qui dispersi erant, Iudæi & templum & ciuitatem instaurare sub Hadriano Imperatore innumerabiles calamitates pertulerunt, dirutis fundamentis, & ciuitate Aelia ex Imperatoris cognomine appellata. Imperante autem Constantino cùm eadem molirentur, idem perpessi sunt, amputatis etiam auriculis, vt ea nota cognoscerentur à Christi interdicto recessisse. At Iuliano Imperatore cùm ad opus conficiendum illis opitularetur, vt Christum ostenderet falsa pronuntiasse, ignis è fundamentis effossis exiliens partim combussit, partim dissipauit. Quid? quod in aliis captiuitatibus Prophetæ cum illis fuerunt, in hac autem nullus?

Eiusdem.

Cur Christum occidisti, Iudæe? q̃m, inquit, impostor erat, & inimicus Dei. Atqui consentaneum erat, te, vt qui Dei aduersarium sustulisses, ab ipso Deo gratiam inire, & munera accipere. Nam si vestra sæpe dissimulans peccata vos è captiuitatibus reuocauit. Non propter vos, inquiens, facio, Domus Israel, sed propter nomẽ Ez: ch. 36
meum, hoc est, ne videar auxilij inopia vos derelinquere, multo erat æquius, vos vt conseruaret, cùm præclarè vos gerẽtes aduersarium eius de medio sustulissetis. Nunc autẽ gens vestra post illius cædem tantas & tales perpessa est calamitates, quantas & quales alia gens post hominum memoriam nulla. Etenim posteaquam his miseriis affecta est, quæ ad omnium aures peruenerunt, ad extremum in omnes gentes dispersa dissipataque seruit abiectissimam & turpissimam seruitutẽ, quæ seculis omnibus perseuerat. At hæc, inquit, propter nostra peccata nobis acciderunt. Quæ narras peccata? Neq; enim sunt vlla eiusmodi, qualia iam commisistis, Cùm & adorastis vitulum, & Beelphegor initiati estis, & filios, ac filias vestras Dæmoniis immolauistis, & Prophetas interfecistis, & Dei leges conculcastis. Neq; tñ tam graues vnquam dedistis pœnas. Alio.n. pacto captiui estis in seruitutem adducti. Siquidẽ rursum consecuti misericordiam pristinum libertatis statum recuperastis. Nunc autem, cùm & legibus obtemperetis, & vos modestius geratis, nullam supplicij leuationem inuenitis. Quánam de causa vobis hæc accidunt? Quia scelere nulla venia digno vos obstrinxistis. Nam Dei filium in crucem egistis. Quo quidem peccato nullum potest grauius excogitari. Aut ergo Deum esse iniquum asserite, qui sibi ferentes auxilium, hostemq; suum interimentes puniat, aut vel inuiti confitemini, vos grauissimum omnium, quæ vnquam admiseritis, facinus patrauisse. Ecquod autem

istud est facinus, nisi quod morte vitā affecistis? Quo quidem nefario scelere, post peccata, quæ numerauimus, non dicam, grauius, sed ne par quidem vllum admisistis.

Eiusdem.

Esa. 6. DE Seraphin loquens Esaias, sublatum est, inquit, superliminare à voce, qua clamauerunt, Et domus repleta est fumo. Quibus verbis significat, Iudæorum synagogam propter mentis imbecillitatem cantum illum trina sanctus repetitione sanctam Trinitatem celebrantē, qui & Angelicus est, & christianis hominibus propter Angelicos ipsorum mores congruit, non esse comprehensuram. Quamobrem & eius superliminare tolletur, quod lapides ex vtraque parte ostij positos, & fores continet. Indicat autem superliminare virtutem, & gratiam Dei. Lapides autem illi atque fores significant sacerdotes, & doctores. Quapropter & alibi scriptum est: Et ponam Hierusalem in vestibula, quæ concutiuntur, & nutant, propter ea quòd non habeant superliminare, quod ea, quæ dicta sunt, continet. Ex quo in sermonibus & consiliis suis sunt instabiles. Domus autem fumo repleta est, id est, tenebris & errore. Gloria verò passim diffusa est in omnes fidelium
Esa. 6. ecclesias, quæ ex gentibus constant. Plena enim, inquit, est terra gloria eius.

Eiusdem.

CVm Iudæus ex te quærit, quō virgo peperit. Tu vicissim quære, quō peperit senex, & sterilis sara. In illa enim vnum dūtaxat impedimentum est, quòd coniugium non experitur. In hac autem duo, ꝙ & sterilis est, & senex. Ob id autem steriles pepererunt, vt & virginē peperisse non esset incredibile. Et ideo mysterium illud mysterio huic tempore antecessit.

Librorum Hebraicorum apud Hebræos sunt literæ, apud christianos autem gratia.

Eiusdem.

Hier. 3. FAcies, inquit, meretricis facta est tibi, & neminem erubuisti. Et rursum, agnosco, inquit, quòd durus sis, & neruus ferreus ceruix tua, quæ nimirum flecti non potest, & frōs tua ærea, id est, impudens. Et rursum: à seculo contriuisti iugum tuum, perfregisti vinculum tuū. Nam cum ceruice dura iugum detrectarint, & Euangelicæ doctrinæ aratrum excusserint & ad excolendam virtutem se inutiles exhibuerint, reliquum est, vt ad cædem idonei videantur.

Item aduersus Hebræos. Leontii Cypri Pontificis.

Mich. 4. OStende mihi (Iudæus inquit) signa aduētus Christi. Vt illud, quod est apud Michæam Quia gens, inquit, contra gentem non tollet amplius gladium.
Hier. 31. Et illud, quod affert Hieremias, Non docebit, inquiens, amplius vnusquisque proximum suum, dicens, cognoce Dominum, quoniam omnes cognoscent eum à paruo eo
Esa. 11. rum usque ad magnum. Et illud, quod est apud Esaiam, qui pascetur, inquit, simul lupus cum agno & pardus simul accubabit cum hædo, & vitulus, & leo, & taurus simul pascētur, & puer paruus ducet eos. Et bos, & vrsus pascentur simul, & simul erūt eorum catuli. Et leo sicut bos comedet paleas. Et puerulus infans in foraminibus aspidum, & in cubile fœtum aspidum immittet manum, & non lædent. Hæc enim est celebris, & vulgata illa quæstio Iudæorum. Intelligant igitur hec omnia contigisse. Nam cùm iam Christus
Luc. 2. esset oriturus, statim exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Quamobrem cùm totus orbis esset inditione Romanorum, omnes in pace degebant, & cùm mutua inter se bella amplius non gererent, quippe qui sub vno omnes imperio continerentur, ad agriculturæ studia sese conuerterant. Quod si gentes aliquas fuisse reliquas dixeris, que armis inter se dimicarent, respondebo, illud esse scripturæ proprium, vt totum ponat pro maiori parte. Quale est etiam illud trium puerorum: Non est hoc tempore princeps, nec Propheta. Cùm tamen & Daniel, & Ezechiel cum illis esset, & Hieremias in Hierusalem. Et alia multa eiusmodi possent adduci. Vel id prædictum est de gentibus, quæ crediderunt. Sensu aūt magis arcano, & sublimi, gens, inquit, Dæmonum aduersus hoīum gentem Idololatriç gladium aīos interimentem, & Dei cognitionis obliuionem afferentem non tollet. Nam vbi diuulgatum est Euāgelium, omnes vnum corpus effecti sunt, & vnum habent caput Christum, & formidandi Dæmonibus euaserunt. Quòd autem ipse dixit, se venisse, non vt pacem in terram afferret, sed gladium, id non intelligitur de gladio bellico. Gladius enim, quem ipse tulit nihil aliud est, nisi religionis eius diuulgatio, & in eum fides, quæ separat fidelē ab infideli, & coniunctionem, & consensum eorum in peccando dirimit. Et hæc quidem dicta sint de prophetia Michææ. Videamus, quæ à Hieremia dicta sunt. Cùm multa magnaq; signa faceret Christus, illi, qui concurrebant, & ea spectabant, omnes à paruo vsque ad magnum oculos proprios habebant diuinæ cognitionis magistros, & indices, & animaduertentes diuinas illius virtutes, confestim intelligebant ipsum esse Deum, vt colligi potest non solū ex monumentis Euāgeliorum, verumetiam ex annalibus Hebræorum, & gentium historicis. Reliquum est, vt signū aduentus Christi prædictum ab Esaia consideremus. Hic animalium cicurum, & ferorum discrimine significat diuersos hominum mores, & per communem illorum victum, & mutuam viuendi consuetudinem, vnum hominū ouile, & ecclesias ex his constituendas ostendit, lupum quidem appellans eum, qui ad rapinas velox est; agnum aūt, eum, qui præde, & direptioni est expositus: Pardum illum, qui astutus, & mente varius: hœdum illum, qui candidus, & simplex. Vitulum illum, qui est mansuetus, taurum eum, qui est audax: Leonem illum, qui est superbus. quos ducet, & pascet homo prudentia quidem senex, innocentia autem & modestia puerulus. Magnus virtute, sed frugalitate, & simplicitate paruus. Tales sunt Ecclesiarum præfecti, quibus regentibus, & gubernantibus, qui diuersis moribus sunt, inter se conueniunt, & mutua beneuolentia coniunguntur. Item per bouem homines intelligit laboriosos. Per vrsum ventri deditos. Per leonem, eos, qui præsunt & imperant. Per bouem, eos, qui seruitutis premuntur iugo, & alterius imperio parent. Per paleas frugalem ac tenuem victum eorum, qui subditi sunt. Simul autem pascentur illi, qui reguntur & parent, & illi qui gubernāt, atque imperant, propter fidei necessitudinem, & coniunctionem. Pueruli verò, & infantuli ad malum, vt dictū est, sunt Ecclesiarum præfecti, quorum manus doctrina est, propter summam quam adhibent diligentiam, quæ quidē manus iniicitur infidelibus, qui sunt veluti cauernæ, & foramina, & ferarum cubilia, & aspidum, seu venenatorum, perniciosorum Dæmonum domicilia, quorum filij sunt animi perturbationes, & vitia. Aliter etiam qui ex Christi sententia viuunt, manum Dæmonibus iniiciunt, & crucis signum opponentes non sinunt obsidentes Dęmones obsessos homines lædere. Quod autem scriptura gentes sæpenumero feras vocet, perspicuum est. Dicit.n. Deus per

Oseam.

. 2. Oseam. Faciam fœdus in illa die cum feris agri, & volucribus cœli, & serpentibus terræ. Liberiore, & latiore quadam ratione feras agri, sæuos & crudeles appellat. Volucres autem illos, qui sublimiori mente sunt præditi. Serpentes verò, eos, qui sunt abiectiores. Aut per volucres intelligit eos, qui astrologiæ studiis incumbunt. Per serpentes autem eos, qui vitiis seruientes humi repunt. Et per Esaiam, Benedicite, inquit, mihi feræ agri. Et per Hieremiam dedi, inquit, omnem terram Nabuchodonosor Regi Babylonis, vt seruiat ei, & feræ agri laborent illi. Et per Ezechielem, delebo, inquit, malas feras è terra.
n. 7. Vt interim omittam quæ à Daniele, & merito comparatus est enim, inquit, bestiis insipientibus, qui mentem habet, & similis factus est eis.

Item aduersus eosdem. Aliorum Patrum.

SI Dei figmentum pulcherrimum homo ad imaginem & similitudinem eius factus est, quomodo res Deo indigna est, vt ex opere ad imaginem & similitudinem suam à se cōfecto carnem sumat: Præterea si Deo turpe non fuit, hominem fingere atque formare, qūo illi turpe erit, eum refingere ac reformare?

Si sol, qui corpus est corruptibile, longè lateq; radios suos in omnes partes coniiciens in locis lutulentis, sordidisq; versatur, nec tamen inquinat puritatem suam, sed ita nitidos contrahit, ac rursum dimittit radios, vt ipse quidē nihil contaminetur, corporibus autem illos excipientibus multum afferat vtilitatis, quanto magis ille iustitiæ sol, qui rerum omnium, quæ vel corporeæ sunt, vel corporis expertes, effector est, in carnem puram, & à se formatam ingressus, nec maculam ipse contraxit vllam, & eam ipsam carnem puriorem, sanctioremq; reddidit?

Damasceni de sabbato. Cap. XXXII.

DIes septimus sabbatum est appellatus, quæ quidem vox quietem significat. In hoc enim quieuit Deus ab omnibus operibus suis, vt diuina scriptura testatur. Itaque dierum numerus ad septimum vsque progrediens rursum voluitur, & à primo exorditur. Hic numerus in honore est apud Hebræos, præcipiente Deo non ita leuiter, vt coleretur, sed grauissimis pœnis propositis in eos, qui ipsum violauissent. Verùm non simpliciter id præcepit, sed arcanis, & reconditis quibusdam de causis, quæ ab iis qui spiritu rem contemplantur, intelliguntur. Ego quas pro ingenij mei tenuitate assequi potui, eas ab humilioribus, & leuioribus incipiens recensebo. Sciebat Deus populum Israelitam esse rudem, carniq; & rebus caducis deditum, & ineptum ad iudicandum. Proinde iussit, vt sabbatum obseruaret, primùm quidem, vt serui, iumentaq; requiescerent, vt scriptum est. Siquidem vir iustus iumentorum suorum animas miseratur. Deinde vt à negotiis corporeis feriati ad Deum colendum cōuenirent, canendisq; psalmis, & hymnis, & canticis spiritalibus, contēplandisq; diuinis scripturis totum diem septimum consumentes in Deo conquiescerent. Nam cùm lex non esset, nec scriptura diuino spiritu tradita, sabbatum Deo sacrum non erat. At vbi diuina scriptura per Mosem data est, sabbatum sacratum est Deo, vt qui Deo non omnem suam vitam consecrarunt, nec ipsi tāquam patri cupidè seruiunt, paruam saltem, & minimam vitæ suæ partem vt serui ingrati dicentes illi, res sacras in ipso sabbato contemplarentur, deq; diuina ipsa scriptura sermones instituerent, com moti pœnæ, & mulctæ sibi propositę formidine, si aliter fecissent. Iusto.n. lex non est posita, sed iniusto. Nam Moses primus cum Deo versans se quadraginta dierum ieiunio bis afflixit etiam diebus sabbatis, cùm vetet lex, ne die sabbato se homines affligant. Quòd si dixerint, hoc ante legē latam, Mosem egisse, quid rńdebunt de Esaia Thesbite vno cibo quadraginta dierum iter conficiente? Hic.n. nō ieiunio solum, sed etiam itinere quadraginta dierum sabbatis suscepto seipsum affligens sabbatum soluit. nec illi tñ Deus qui legem dederat iratus est, quinetiam pro virtutis præmio seipsum ei in monte Horeb conspiciendum præbuit. Quid item dicent de Daniele? Nónne tres hic hebdomadas ieiunus transegit? Quid Israel vniuersus? nónne circuncidit puerum in sabbato, si forte contingat, vt sit octauus dies, ex quo natus est puer? Quid? si ieiunium illud magnum à lege constitutum in sabbatum inciderit, nónne ieiunant? Quid de sacerdotibus & Leuitis dicam? nónne in tabernaculi ministeriis sabbatum violant, & culpa carent, ac reprehensione? Quid? quòd si iumentum in foueam inciderit sabbato, qui illud excitarit, non arguitur, sed qui neglexerit, damnatur? Quid? nónne totus Israel arcam Dei circum oppidi Ierico muros gestauit septē diebus, in quibus omnino erat & sabbatum? Itaque infantibus illis adhuc, & sub elementis mundi seruiētibus carniq; obnoxiis, qui nihil supra corpus, & literam valebant cogitare, obseruatio sabbati fuit, quemadmodū diximus, instituta, vt vacarēt Deo, eiq; minimam saltem temporis partem tribuerent, vtq; & serui, & iumenta requiescerent. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suū, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erāt, redimeret, vt filiorum adoptionem reciperemus. Quotquot enim receperunt eum, potestatem dedit eis, vt filij Dei fierent, iis, qui credunt in eum. Quare non sumus amplius serui sed liberi. Non amplius sub lege, sed sub gratia. Non amplius ex parte seruientes Domino præ timore, sed totum vitæ spatium illi merito consecrantes, semperq; seruis nostris (iram, & cupiditatem intelligo) permittentes, vt cessent à peccatis, & Deo vacent. Quod quidem assequimur, dum tota animi cupiditate, & desiderio ad Deum tendimus, & iram aduersus Dei hostes armamus, & iumentum, id est, corpus nostrum ita tractamus, vt omissa peccati seruitute, sese diuinis mandatis exequendis exerceat. Hæc nobis spiritalis lex Domini præcipit. Cui qui parent lege Mosaica sunt superiores. Cùm enim venerit quod perfectum est, abrogatur id, quod est ex parte. Et legis velo seu inuolucro per seruitoris crucifixionem discisse, & spiritu diuinis linguis elucente litera aboletur. Et quæ corporea sunt, cessauerunt, & lege seruitutis impleta lex libertatis nobis donata est. Et perfectam humanæ naturæ quietem celebramus, hoc est, resurrectionis diem, in qua nos Dñs Iesus au thor vitæ, atq; seruator ad promissam illis, qui Deo spiritu seruiunt, hæreditatem adduxit, in quam ipse præcursor pro nobis ingressus est, resurgens à mortuis, & portis sibi cœlestibus patefactis ad dexteram Dei corpore consedit, quo & illi, qui legem spiritus obseruant, ingredientur. Nobis ergo qui spiritu, non litera incedimus omnis earum rerū, quæ ad carnem spectant est depositio, & spiritalis cultus, & coniunctio cum Deo. Nam circuncisio est corporeæ voluptatis & eorum, quæ superuacanea, & non necessaria sunt, reiectio. Nihil enim aliud est præputium nisi cutis particulæ voluptariæ superflua. Omnis autem voluptas, quæ non prouenit ex Deo, & non refertur ad Deum, vitiosa est, superuacua, & quasi præputium, quod illam significat, circuncidenda. Sabbatum verò à peccato cessandum indicat. Quamobrem vna, atque eadem est vtriusque significatio. Et qui ex spiritu viuunt, vtrunque sic

Margin notes: l. 48. — . 1. — . 20. — . 3. — . 20. — . 31. — . 12. — Tim. 1. — Exo. 34. — 3. Reg. 19 — Leu. 12. — Io. 7. — Leu. 23. — Mat. 18. — Io. 6. — Gal. 4. — Gal. 4. — Io. 1. — 1. Cor. 13. — Mat. 27. — Act. 2.

obseruant, vt nihil omnino legem violent. Illud prӕterea sciendum est, numero septenario totum hoc tempus prӕsens significari, vt ait Solomon sapientissimus, iubēs vt partem demus septem, nec non & octo. Et rerum diuinarum prӕco Dauid de octaua psallēs de iudicio post resurrectionem à mortuis futuro cecinit. Quare dum lex iubet, vt septimo die à rebus corporeis feriati spiritalibus incumbamus, monet verum illum Israelem, qui mēte Deum cernit, & contemplatur, vt omni tempore Deo vacans, se rebus corporeis superiorem prӕbeat.

Eccle. 11. Psal. 11.

De Iudaica circuncisione. Magni Ioannis Chrisostomi ex interpretatione in Genesim.

CVr, quӕso, nunc circūcidimini? Nam olim parentes vestri, iussi sunt circūcidi ne gentibus illis à lege alienis commiscerentur. Nunc autem, cùm omnes gentes per gratiam Dei ad veritatis lucem perductӕ sint, quęnam est circūcisionis vtilitas? Num ad animi libertatem expedit carnis reiectio? Nónne audiuistis Deum aperte dicentem, Et erit nobis in signum fœderis? Quibus verbis tantum non indicat, vos propter magnam temeritatem & ingrati animi vitium indiguisse eiusmodi signo & nota. Sic enim fit sӕpe etiam in negotiis humanis. Quoties enim alicui non habemus fidem, pignoris gratia signum aliquod ab eo flagitandum existimamus. Ita rerum omnium Dominus cognoscens Iudӕos esse animo instabili, & facilè sententiam mutare, signum hoc ab eis accipere voluit, non vt perpetuo maneret, sed vt rebus illis, quӕ tunc tractabantur, finem habentibus, signi etiam vsus tolleretur. Quemadmodum enim qui arrham, & pignus aliquod petunt, & volunt accipere, cum negotia transacta fuerint, id non amplius curant, eodem modo contingit in hac re. Nam quia circuncisionis pignus à vobis postulatum est, vt eo signo Patriarchӕ populus dignosceretur ab aliis gentibus, consentaneum erat, vt, posteaquam illӕ partim deletӕ essent, partim ad veritatis lumen adductӕ, vos temeritatis, & stultitiӕ signum amplius non circunferretis, sed ad pristinam nobilitatis dignitatem reuerteremini. Iam illud mihi considera, admirabilem illum Patriarcham, priusquam circuncisionis mandatum acciperet, fuisse nonaginta nouem annorum, ante quod tempus & placuerat Deo, & sӕpissime à Domino fuerat approbatus, cumq; iam illi promissa à Deo essent exoluenda, vt & filio Isaac augeretur, & progeniem multiplicaret, & paucis post annis esset è vita discessurus, tum demum fuisse iussum, vt se circuncideret, ea nimirum de causa, vt quӕ ipse gesserat tanquam lex & regula quӕdam posteris essent proposita. Nam quod nihil ad animi virtutem expediat circuncisio, ex iis, quӕ facta sunt, nunc possumus intelligere. Cur enim prӕceptum est, vt puer octo dierum circuncidatur? Cur tempus hoc à benignitate diuina fuit prӕfinitum, nisi, vt ego sentio, his duabus de causis: vt & circuncisionis dolor in illa tenera ӕtate facilius perferretur, & re ipsa constaret, factum illud animo nihil prodesse, sed signi tantum vim obtinere? Quam enim vtilitatem inde percipiat tenellus ille puerulus, qui sensu penè carens ea, quӕ fiunt, penitus ignorat? Nam illa sunt propriè recta animi officia, quӕ ex voluntate proficiscuntur. Perfectum animi opus, & officium est, vt virtutem amplectatur, & vitium fugiat: vt plura ne concupiscat, sed ea, quӕ habet, egentibus benignè distribuat: Ne rerum prӕsentium desiderio contabescat, sed his spretis, atque contemptis, futuras expetat, & assiduè cogitet.

Gen. 17.

In circuncisione verò quid, vt rectè, & voluntate factum laudabitur? Sed amentes, ac sensus expertes Iudӕi veritate iam patefacta, in vmbra adhuc sedent, cumq; sol radios suos in omnes partes effuderit, adhuc exiguӕ lucernӕ lumini inhӕrent. Et postulante iam tempore vt solido cibo nutriantur, non possunt à lacte dimoueri, nec Beatum Paulum audire volunt ita clamantem, & dicentem de Patriarcha: Et signum accepit circuncisionis signaculum iustitiӕ fidei in prӕputio. Vides, quomodo hic nos vtrunque docuerit. nempe Patriarcham & signi gratia circuncisionem accepisse, vt cùm esset in prӕputio iustitiam ex fide prӕ se tulisse? Nam ne Iudӕus impudenter assereret, & circuncisionem ipsi iustitiam attulisse, iccirco Beatus hic ad pedes Gamalielis edoctus ea, quӕ ad exquisitam legis peritiam pertinent, ne putetis, inquit, impudentissimi Iudӕi, circuncisionem quicquam ei ad iustitiam contulisse, Etenim quo tempore prӕputium habebat, eam fidem prӕ se tulit, vt meruerit illud audire: credidit Abraham Deo, & reputatum illi est ad iustitiam. Cùm igitur iam esset in iustitia propter fidem, tunc signi causa circuncisionem accepit. Item eius nomini Deus elementum adiungit, & postea prӕcipit, vt circuncidatur, vt ostendat, se propter magnam iusti virtutem sibi illum amicum adiunxisse, & propter illum posteros etiam ipsius. Ac, quemadmodum qui seruum comparauit, & nomen ipsius & habitum plerunque commutat, & omnia facit, vt ille cognoscatur, seq; Dominum eius esse declaret, sic item rerum omnium Deus, cùm vellet Patriarcham à reliquis hominibus distinguere, & literam vnam eius nomini adiungens eum fore multarum gentium patrem indicauit, & per circuncisionem ostendit sibi populum eximium, & à reliquis seiunctum populis ex semine eius futurum. At illi ignorantia obcӕcati carnis circuncisionem adhuc obseruantes non audiunt Paulum sic eos iterum alloquentem: si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. ob id enim natus est Dominus, vt hӕc omnia auferret. Et iccirco ipse totam legem impleuit, vt legis obseruationem non sineret vlterius progredi. Quapropter & Beatus Paulus clamabat, Qui in lege, inquiens, iustificamini, à gratia excidistis.

Ro. Gal. Ge. Ga. Deu. Mar. Mat. Ga.

Item de circuncisione. Ex Damasceno. Cap. XXXIIII.

POST legem, post benedictionem, post promissionem circuncisio data est Abraham, vti signum, quod eum, & filios, atque domesticos eius, à gentibus, quibuscum versabatur, distingueret. Hoc autem ex eo perspicuum est, quod quadraginta annorum spatio, quo Israël secum ipse solus vixit in solitudine, nec cum alia gente commixtus est, quicunque nati sunt, non fuerunt circuncisi. Quamobrem altera lex circuncisionis lata est. Nam cùm circuncidendi lex, quӕ viuente Abraham fuerat instituta, quadraginta annis in solitudine cessasset, iterum sub Iosue confirmata est à Deo, posteaquam Iordanem traiecerunt, quemadmodum in libro Iosue scriptum est. Circuncisionis igitur signum, quo Israël à reliquis gentibus distinguebatur, erat baptismi nota. Nam vt circuncisio non membrum corporis vtile, sed inutile, & superuacaneum quiddam amputat, ita per baptisma peccatum nobis circunciditur, & amputatur. Peccatum autem esse cupiditatem superfluam, & non vtilem, aut necessariam manifestum est. Nā, vt nihil omnino cupiamus, aut omni voluptatis gustu careamus. id verò fieri non pōt.

Ge. Io.

Quare

Quare voluptas inutilis, seu inutilis, & non necessaria cupiditas & voluptas peccatum est, quod amputat sanctum baptisma nobis imprimens honorificum crucis signum in fronte. Non separans nos ab aliis gentibus, cùm omnes gentes baptisma sint assecutæ, & signo crucis obsignatæ, sed in vnaquaque gente distinguens fidelem ab infideli. Veritate igitur patefacta signum, & nota, & vmbra sunt inutilia. Itaq; circũcidi superuacaneum est, & sancto babtismati aduersatur. Nam qui circũciditur, totam legem
l. 5. tenetur obseruare. Dominus autem circũcisus est, & totam legem, & sabbatũ obseruauit, vt legem impleret, eiq; finem imponeret. Ex quo enim baptizatus est, & Spiritus sanctus super eum in columbæ specie descendens homini bus apparuit, spiritalis cultus, & ratio viuendi, & regnum cœlorum cœpit promulgari.

TITVLVS NONVS

Aduersus Simonem Samarensem, & Marcionem Ponticum, & Manetem Persam, & Manicheos Magni Athanasii.

QVIDAM ab Ecclesiastica doctrina deficientes, factoq; in fide naufragio mali naturam per se subsistentem cõminiscuntur. Et preter verum Christi patrem, alterum sibi Deum, eumq; item ingenitum, & mali effectorem, ac malitiæ principem, & authorem mundi confingunt. Hos tum ex diuinis scripturis, tum ex ea, quæ in hominibus est, cogitatione, qua ipsi hæc confingentes insaniunt, facilè possumus
ut. 6. coarguere, & confutare. Dominus igitur noster Iesus Chri
r. 12. stus in Euangeliis verba Mosis confirmans Dominus, inquit, Deus tuus Dominus vnus est. Et, confiteor, inquit, ti
t. 11. bi, Pater, Domine cœli, & terræ. Quæ cùm ita sint, quomodo erit alter præter hunc Deus? Aut vbinám erit commentitius istorum Deus, cùm solus hic, & verus Deus cuncta cœli, terræq; complexu compleat? Aut quomodo sit earũ rerum fabricator, quarum ipse Deus & Pater Christi Dominus est, vt ore suo Christus testatur? Nisi quæ Dei boni sunt, eorum ex æquo & malum esse posse Dominum dicant? Quod si dixerint, attende, in quantam impietatem incurrent. In iis enim, quorum æqua potestas est, vter præstantior sit, reperiri nõ potest. Nam si vno inuito alter est, æqualis, & par est, vtriusque tum vis, tum imbecillitas. Aequalis enim vix ex eo perspicua est, quod se vicissim superant, cùm nolente altero vterque est. Par autem imbecillitas inde colligitur, quòd res præter vtriusque sententiam accidunt. Siquidem & nolente malo bonus est, & malus inuito bono. Preterea, si malus effecit ea, quę cernimus ecquod boni tandem erit opus? Nihil enim cernitur præter mundum hunc ab opifice perfectum. Quo igitur indicio esse cognoscetur ille, qui bonus est, cùm nulla extent opera ipsius, ex quibus ipse dignosci queat. Artifex enim ex operibus cognoscitur. Iam quomodo simul esse poterunt duo inter se contraria? aut quid ea diuidet, vt disiungantur? Nam vt simul sint, fieri non potest, cùm vtrunq; alterum tollat. Neq; vt vnum in altero sit, qm̃ eorum natura dissimilis non patitur coniunctionem. Tertium igitur erit, quod ea dirimat, quodq; sit & ipsum Deus. At qualisnam erit & tertij natura? boniúe similis, an mali? Vtriusque enim esse non potest. Ergo cùm istorum commentum putridum esse conuincatur, necessarium est, vt ecclesiasticæ doctrinæ veritas eluceat, quę tradit, malum nec à Deo profectum, nec in Deo esse, nec ab initio fuisse factum, neque naturam, aut essentiam eius vllam existere sed homines priuationem boni cogitantes, cœpisse ea, quæ nõ sunt, quæq; ipsi volunt, sibi ipsos confingere, & comminisci. Quemadmodum enim si quis lucente sole, & radiis suis terram vniuersam illustrante clauserit oculos, sibi ipse tenebras, quæ nullæ sunt, pariet. Ex quó fiet, vt errans in tenebris ambulet, & sæpe titubet, & cadat, & è locis præruptis præceps ruat, existimans lucem non adesse, sed tenebras, quas cùm intueri se putet, nihil videt. Sic & hominum animus claudens mentis oculos, quibus potest Deum cernere, sibi ipse mala excogitauit, in quibus sese mouens, nescit, se, dum videtur sibi facere aliquid, nihil facere. Fingit enim quæ non sunt, nec talis manet, qualis factus est, sed qualem se ipse commiscuit, talis etiam apparet. Nam qui factus est, vt Deum aspiceret, & illustraretur à Deo, sibi ipse ea, quę corrumpuntur, & tenebras conquisiuit. Vt quodam loco scri-
ptura significat, fecit, inquiens Deus hominem rectum, at Eccl. 7.
ipse sibi rationes multas excogitauit.

Eiusdem contra Valentinum, qui in multis consentiebat cum superioribus Hæreticis.

QVomodo Christum asseritis cœlestem, nõ autem humanã carnem induisse, cùm Paulus dicat, Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes,
Quamobrem non erubescit, inquit, fratres eos appellare, Heb. 2.
nuntiabo, inquiens, nomen tuum fratribus meis. Ex vno Psal. 21.
autem cum dicit, Adam nimirum intelligit, vt Lucæ genea Luc. 3.
logia declarat. Et rursum, Quoniam, inquit, filij carnis & sanguinis participes sunt, & ipse similiter eorum particeps fuit. Atq; vt cœlestis carnis adimeret suspicionẽ, subiecit,
neque enim Angelos assumpsit, sed semen Abrahæ. Quare Heb. 2.
debuit in omnibus esse fratrũ similis. Et alia multa. At Do-
minus in Euangeliis, Nemo, inquit ascendit in cœlum, nisi Io. 3.
qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Et
Apostolus rursum, Primus, inquit, homo de terra terren⁹, 1.Cor. 15
Secundus autem homo, Dominus vtiq;, de cœlo cœlestis. Ecce, inquis, vtrobiq; cœlestis homo nominatur. Respondemus, Christum, cùm ex duabus constet naturis, & vna tantum persona, ea, quæ vtriusq; naturæ propria sunt, reti nere. Ac quẽadmodum Paulus, cùm dicit, de illis, qui Chri
stum occiderunt, si cognouissent, nunquam Dñm gloriæ 1. Cor. 2.
crucifixissent, non signat, Diuinitatem esse passam quæ ꝑ Dominum gloriæ intelligitur, sed humanitatem, sic in iis, quæ dicta sunt, ipse quidem filius, & Deus passus esse dr̃ per vnam diuinitatis personam, quæ est eadem naturæ humanæ persona, passus aũt in natura ipsius humana. Atque de cœlo descendisse, & in cœlo esse, quatenus ad personã pertinet Diuinitatis, filius aũt esse hominis habitatione illius naturæ, quam è cœlo descendens posterius assumpsit. Et rursus idem Dominus propter vnam, quam habet, personam, secundus quidem homo propter adiũctam humanitatem, ex cœlo autem propter Diuiuitatem. Nisi.n. vnũquodq; propriè considerauerimus, Apostolum repugnantia dicere suspicabimur. Qũo.n. aut per omnia nobis similis, aut frater noster, si carnem cœlestem induit? Hæc.n. & alia innumerabilia incommoda consequentur.

Item contra eosdem Basilii Magni ex oratione. II. in Hexaemeron.

ET tenebræ erant super Abyssum. Tenebras non vti Gen. 1.
natura sunt, interpretantur, nempe aërem quendam

luce non illustratum, aut locum obiectu corporis obscuratum, sed potentiam malam, immo verò, ipsum malum, quod à se quidem principium habeat, aduersetur autem & contrarium sit bonitati Dei. Nam si Deus, inquiunt, est lux, rationi consentaneum est, vt quæ illi ex aduerso repugnat, potentia tenebræ sint, non aliunde principium habentes, sed per se genitæ. Quæ quidem nihil aliud sunt, nisi ipsum malum, quod animos oppugnat, mortem parit, virtutem vt hostis insequitur. Idq; per se consistere, non aũt à Deo factum esse, ex ipsis Prophetæ verbis significari dicunt sed falluntur. Ex hoc verbo quæ non prauæ, & impiæ opiniones confictæ sunt? Ex hac praua vocula q̃ graues lupi occasionem arripuerunt, vt Dei gregem dilacerarẽt, & animos inuaderent? Nónne Marciones hinc eruperũt? nónne hinc Valentini exorti sunt? nónne hinc execranda Manichæorum hæresis profecta est? Quam si quis putrem Ecclesiarum saniem appellet, nõ errabit. Quòd terra esset inuisibilis, ex eo, quod sequitur, confirmatur. Qm̃ abyssus, quæ illi inhærebat, erat ipsa quoque tenebris inuoluta. Quamobrem Abyssus non est multitudo aduersantium potestatum, vt quidam opinati sunt. Nec tenebræ sunt potentia quædam princeps, & improba, quæ bonum ipsum impugnet. Duo enim, quæ sibi vicissim æquis viribus prædita aduersentur, sese mutuo corrumpent omnino, & perpetuo bello sic distrahentur, vt negotium nunquam non habeant, & sibi vicissim exhibeant. Quòd si viribus vnum præstiterit, alterum prorsus abolebit. Itaq; si parem mali, & boni vim esse statuunt. assiduum bellum, & perpetuum interitum introducunt, cùm pariter & vincat vtrunque, & vincatur ab altero. Sin boni vis antecellit, quid obstat, quominus natura mali penitus deleatur? Sin contra, quod nefas est dicere, miror, cur non à se ipsimet fugiant, & abhorreant, qui tam impia & detestanda maledicta comminiscuntur. Nec tamen pium est dicere ab ipso Deo malum oriri. Quandoquidem nullum contrarium à cõtrario fit. Neque enim vita mortem generat. Nec tenebræ lucem pariunt. Nec morbus valetudinem efficit. At si malum, inquiunt, nec ingenitum est, nec genitum à Deo, vnde naturam habet? Nam mala quidem esse nullus negabit, qui vitæ munere fungatur. Quid igitur dicemus? malum non esse naturam viuam, atque animatam, sed affectionem quãdam in animo, quæ, quoniam ab honesto decedit, est virtuti contraria, & ignauis innascitur. Quare non est, cur malum extrinsecus peruestiges, aut principem vllam improbitatis naturam opineris. Sed suæ quisque malitiæ se authorem agnoscat. Proinde quorum tu Dominus es, eorum aliunde ne quæras initia. Sed intellige, quod propriè, & verè malum est, id ex voluntario lapsu principium ducere. Nam si præter voluntatem accideret, non tantus ex legibus timor delinquentibus impenderet. Nunc autem, quoniam à voluntate proficiscitur, certa iudiciorum supplicia, facinorosis hominibus pro cuiusque meritis irrogantur.

Item in eosdem. Ex libro, qui Gregorio Nyssæ Pontifici ascribitur, De cognitione Dei.

ET tenebræ, inquit Moses, erant super Abyssum. Ex quo malitiose isti ratiocinantes dicũt tenebras fuisse, quarum effectrix causa sit malum principium. Deinde & diuisit Deus inter lucem & tenebras. Si lux est, & tenebræ sunt, quas à luce seiunctas intelligis. Hæc tenebricosi isti, qui in luce cæcutiunt. Nos autem dicimus, tenebras non esse naturam vllam, sed accidens, & nihil aliud nisi lucis absentiam. Etenim cùm cœlum initio volueretur, eorum, quæ circum erant obiectu, tenebræ extiterunt. Quod etiam nunc in iis, quæ obstruuntur, euenire consueuit. At harum diuisio est spatium illud, quod lucis absentia dimetitur. Quæ quidem lucis absentia & priuatio est habitus quodammodo & essentia tenebrarum. Principium autem malum, hoc est, Deus malus non est, Nam si Deus est, non est malus, cum bonitatis sit fons. Sin malus, non est Deus. Quomodo enim Deus malitia, aut peccatum esse potest, Quæ quidem si Deus est, omnia pereunt, & euertuntur?

Ex eodem.

QVónam pacto duo possunt esse principia, bonum vnum, alterum malum? Bonum enim, & malum contraria sunt, seq; vicissim interimunt, & nequeunt simul consistere. Quare aut in parte vniuersitatis alterum erit, & ab ea circũscribetur, aut sese contingent, mutuoq; corrumpent, aut inter illa medium aliquod intercedet, atque ita tria iam erunt principia. Præterea aut pace vtentur, quod malum non potest: aut pugnabunt, quod bonum recusat. Nam illud quidem si vtatur pace, non erit malum: hoc autem si pugnet, non erit bonum. Quamobrem non sunt duo principia, præsertim inter se contraria, & inimicissima. sed vnum, idq; bonum. Malum enim non est principium, sed priuatio & amissio boni.

Ex eodem.

SI duo sunt Dei, bonus quidem vnus, alter autem malus, aliud habebunt principium. Binarius enim numerus non potest esse principiũ, cùm ipse ab vnitate principio proficiscatur. Quòd si principium non sunt, ne Dei quidem erunt omnino. Quoniam igitur vnitas est rerum omnium principium, vnus vtique & Deus est rerum author, & effector omnium.

Ex eodem.

SI bonum per se est, malum non est. Si malum per se est, non est bonum. Hæc est enim contrariorum medio carentium ratio, atque conditio. Qualia sunt, valetudo, & ægritudo; vita & mors. Non igitur Deus malus.

Ex eodem.

DEus bonus essentia & natura bonitatem habet, malus bonitatis priuationem vt habitum obtinebit. Quomodo autem Deus, qui eo tantum est, quòd deficit, caret, non assequitur, & non est?

Ex eodem.

SI duo, aut tres, pluresúe essent Dei, cùm aliud alio modo, & diuersa ratione ageretur, & moueretur, mũdus iam pridem intercidisset. Nunc autem cùm omnia ratione certa & stabili semper moueantur, & disponantur, firma hæc, atque perpetua rerum omnium concinnitas, & ordo, & moderatio, & conseruatio, vnam, eandemq; clamant esse causam, vnum authorẽ, à quo & procreata sint omnia, & regantur, & conseruentur.

Ex eodem.

SI malus, & scelestus est hic mundus inferior, & vos nimirum mali, scelestique, quippe qui pars sitis ipsius. Quòd si natura estis improbi, & mali, veritas non adest uobis. Veritas enim bonum planè est. Bonum autem est alienum à malo. Iam qui veritate carent, eorum doctrina falsa nullo solido innititur fundamento.

Ex eodem

SI mundum hunc bonum esse confitemini, Deum autem & patrem malum non huiusce mũdi effectorem, erit vtiq; mundus alter malus à Deo illo confectus malo. Atqui mundus istiusmodi non est, ne Deus igtur quidẽ malus. Nam Deus principium est, effectrixq; causa. Quare cùm non existant, quæ à principio effecta & condita sint, ne principium quidem est, nec Deus igitur malus.

Ex eodem.

VEteris, inquiũt, testamenti Deus nõ ea est prouidentia, & scientia, quæ omnia complectatur. Interrogat enim Adam, vbi, inquiens, es? Et Cain, Vbi est, inquiens frater tuus? Et Abraham, vbi est, inquiens, Sara vxor tua? Et alia multa ad eundem modum. His respondemus, eiusmodi interrogata non ab ignorantia, sed potius à cognitione proficisci. Nisi enim cognouisset & Adam, & Cain peccasse, non eos continuò interrogasset. Cognouisse autem ex iis, quæ sequuntur perspicuum est. Sic enim alloquitur Adam prius, quàm ille se comedisse fateretur: Ecquis indicauit tibi, te nudum esse, nisi quòd è ligno, de quo solo præcepi tibi, ne comederes, comedisti? Cain veró, qui conabatur & ipse latitare, cõpellat his verbis: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Hæc non ignorantis sunt, sed planè & perspicuè cognoscentis, qui ea specie interrogationis vult iis, qui peccauerant, persuadere, vt resipiscant, cùm se deprehensos animaduertant. Ea item verba: Vbi est Sara vxor tua? declarant, eam non ignorare, Abraham vxorem habere, eamq; vocari Saram. Qui autem hæc scit, is profectò non erat nescius, vbi esset Sara. Neque enim, cùm sara post ostium staret, risissetq; clam audiens, se matrem fore, dixisset, cur risit Sara? risus etiam causam subiecit, secùm ipsa inquiens, verène pariam? Hæc enim illius sunt, qui cor etiam atq; animum nouit. Interrogauit autẽ, Vbi est Sara vxor tua? eo consilio, vt Abraham cognoscẽs, se ante cognoscere, & omnia scire, sibi vt præstantiori vacaret, & omnibus, quæ deinceps dicerentur, fidem adhiberet. Atque etiam illud, quod de Sodoma, & Gomorrha dictum est. Descẽdam, & videbo, vtrum re ipsa, quæ clamor ipsorum indicat compleuerint, an nõ, vt sciam. Quid aliud significat, nisi eo consilio Deum ita locutũ esse, vt nos erudiret, ne vnquam præcipites irruamus ad irroganda supplicia, propterea quòd aliquorum flagitia prospiciamus, sed expectemus, vt re ipsa perfecta sint. Nam si non cognouisset, quomodo potuisset dicere: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ venit ad me. Terra, inquit, clamat, etiã ante res. Et ipsæ res vociferantur & clamãt. Multæ sunt eiusmodi interrogationes non solùm in veteri, sed etiam in nouo testamento, quæ tamen omnes mysterium continent, & aliquid aliud agunt. Nam Dei proprium est cuncta cognoscere, & qui omnia non habet cognita, non est Deus.

(Gen. 3. Gen. 4. Gen. 18. Gen. 18.)

Ex eodem.

QVomodo dicitis antiqui testamenti legislatorem iustum, noui autem bonum, atque ideo vnum ab alio diuersum esse contenditis? Nam si quod iustũ est, bonum est, iustus erit bonus omnino. Neq; enim contraria sunt iustum, & bonum. Sed iusto repugnat iniustum & bono malum aduersatur: Præterea si malum iniustum, bonum vtique iustum, & bonus omnino iustus. Cùm autẽ innumerabilia sint testimonia, quibus veteris testamenti Deus esse declaratur bonus, ego vnum duntaxat in mediũ afferam: Dicat, inquit, Israel, quoniam bonus, & qui deinceps sequuntur, duo versiculi. Vnum item, quo noui testamenti Deus iustus ostenditur. Et iudicium, inquit, meum iustum est. Quòd autem vnus, atq; idem sit veteris, ac noui testamenti Deus, prædixit Hieremias, Ecce, inquiens, dies veniunt, dicit Dominus, & constituam vobis testamentum nouum, nõ vt testamentum illud, quod cum patribus vestris constitui, quo die manum eorũ apprehendi, vt educerem eos ex Aegypto. Quia ipsi non manserunt in testamento meo. Et ego neglexi illos. Et ipse tum antiqui, tum noui testamenti author Christus. Non veni, inquit, vt legẽ soluerem, sed vt eam implerem. Hoc est, vt illam propter Hebræorum imperfectionem imperfectam maiore quadam, & viris congruente philosophia perficerem & absoluerem. Illa enim erat pædagogus, qui ad Euangelium suscipiendum instituebat. Hæc autem est præceptor ipse, qui docet perfectiora. Et illa quidẽ corpora informabat, hæc autem animos erudit. Vetus ergo est ministra nonæ, ad nouam enim ducit, & viam ostendit & parat.

(Psal. 17. Ioan. 8. Hier. 31. Matt. 5. Gal. 3.)

Item aduersus eosdem. Magni Ioannis Chrysostomi ex oratione in ea verba. Pater si fieri potest, transeat a me calix iste.

ET cùm hæc facta sint, improbum tamen, ac sceleratum os Diaboli per Marcionem Ponticum, & Valentinum, & Manichæum Persam, & alios plurimos tentans diuinæ dispositionis rationem euertere satanicam illam vocem emisit, vt diceret, Deum non assumpsisse carnem, neq; corpus induisse, sed id fuisse speciem quãdam, & opinionem, atq; vmbram, & simulationem, reclamantibus mortis affectionibus, & sepulturæ. Quod si nihil eiusmodi factum esset, quanto magis improbam istam impietatis doctrinam disseminassent?

Eiusdem ex interpretatione in mysticam cœnam.

QVoniam Marcionis, & Valentini, & Manichæi fautores erant venturi, qui hanc dispositionem negarent, iccircò asiduè mortis suæ mentionem fecit, etiam per mysteria, vt nemo falsis rationibus argumẽtisq; decipi posset, sed per sacram illam mensam simul & seruaret, & institueret.

Eiusdem ex interpretatione in Magos.

ERubescat Paulus Samosatensis, erubescat Marcio, qui noluerunt videre, quod Magi Ecclesiæ progenitores conspexerunt. neq; enim vereor eos sic appellare. Erubescat Marcion videns Deum in carne adorari. Nam quòd in carne sit, panni, & præsepe testantur. Quòd autem illum non vt purum & simplicem hominem colãt, ex eo patet, quód in tenera ætate existenti munera offerũt, quæ conueniunt Deo.

Eiusdem ex interpretatione in illa verba: In principio fecit Deus cœlum, & terram.

QVòd si Manichæus accedat, & dicat, materiã ante extitisse. & Marcion, & Valentinus, & Græci, tu illis hæc verba oppone: In principio fecit Deus cœlum, & terram. At ille scripturæ non credit, & tu eum vt insanum, & mente captum euita. Qui enim rerum omniũ procreatori fidem non habet, & mendacii veritatem arguit, quã vnq veniam assequetur? Sin veritatis hostes per-

gant aduersari, dicentes, fieri non posse, vt ex nihilo quicquam fiat, eos interroga, vtrum primus homo ex terra, an ex alia re conflatus sit. Ex terra respondebunt, & confitebuntur omnino. Dicant igitur nobis, quomodo ex terra carnis natura facta sit. Ex terra enim lutum, & lateres, tegulæ, atq; ollæ fieri solent. Quomodo igitur carnis natura facta est, & nerui, & arteriæ, & adeps, & cutis, & vngues, & capilli? Ad hæc illi quod respondeant, nihil habebunt, sed obmutescent: Quid autem loquor de nostro corpore, dicant nobis de pane, quem quotidie comedimus, quomodo, cùm vnius generis sit, in sanguinem, pituitã, & bilem, & varios humores commutetur, & cur cùm panis frumenti colorem retineat, sanguis ipse sit rufus, aut niger. Quòd si hæc, quæ quotidie ante oculos habemus, nobis nunquã poterunt explicare, multo minus reliqua Dei opera declarabunt. At si post tantam argumentorum copiam obstinatè volent, repugnare, & tueri sententiam suam, nos tamen non desistemus hæc eadem ipsis repetere. In principio fecit Deus cœlum & terram. Hoc enim verbum vnicum potest omnes eorum turres, & propugnacula euertere, omniaq; humana argumẽta penitus refellere, & confutare, & eos, si tandem aliquando voluerint resipiscere in veritatis viam adducere.

Ex eodem loco.

SEd qui errore tenentur oppressi, non animaduertentes ea, quæ ex his verbis cõsequuntur, neq; audientes Mosem dicentem: In principio fecit Deus cœlum & terram, subiicientemq;, terra autem erat inuisibilis, & inornata, Quoniam tenebris, & aquis operiebatur, nondum enim voluerat Deus à principio eam educere, Dicunt materiam ante fuisse, atque item tenebras. Quid hac dementia deterius fieri potest? Audis Deũ in principio fecisse cœlum & terram, & ex nihilo. Et dicis ante materiã extitisse? Ecquis sapiens mentisq; compos ita deliret? Num homo est, qui agit, vt parata materia indigeat, quo opera ostendat sua? Deus est, cui omnia parent, qui verbo, & iussu cuncta facit. Ecce enim, dixit solum, & facta est lux, & tenebræ discesserunt.

Eiusdem. ex interpretationes in quinque panes.

CVr autem non eos facit ex nihilo? vt obstruat os Marcionis, & Manichæi, qui adimunt ei rerum procreationem: Immò verò factis ostendit, omnia, quæ cernuntur, à se fuisse condita, & procreata, seq; illum esse, qui fructus elargitur, qui ab initio dixit, Germinet terra herbã
Gen. 1. fœni, & producant aquæ reptilia animarum viuẽtium. Neque enim minus est ex quinq; panibus facere tam multos panes, aut ex duobus piscibus tam multos pisces, quod declarat eum esse terræ, marisq; Dominum, quàm fructum è terra, & reptilia animata ex aquis ostendisse.

Eiusdem. ex interpretatione in illa verba: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur.

HOc de lege dictum esse volunt, qui Manichæorum laborant morbo, sed opinionem eorũ refellunt ea, quæ superius dicta sunt. Nam si hoc de lege loquitur, cur eam ante defendit? cur pro illa propugnat, Quid, inquiens, trasgredimini mandatum Dei propter traditio-
Matt. 15. nem vestram? cur Prophetæ sententiam in mediũ profert, dicentis, Populus hic labiis me honorat, & quæ sequuntur? Non igitur de lege, sed de illis ipsis, eorumq; doctrina hæc dicta sunt. Nam si Deus dicit. Honora patrem tuum, & matrem tuã, qui fieri potest, vt Dei plantatio non sit, quod à Deo dictum est? Et quod sequitur, ostendit de ipsis, & doctrina ipsorum fuisse dictum subiicit enim: Duces sunt cæci, cæcorum. Quod si de lege voluisset intelligi, dixisset: cæca est, cæcorumq; dux. Non autem ita dixit, sed eo potius modo: cæci sunt, & cæcorum duces. vt & illam à reprehensione liberaret, & culpam in eos omnem conferret.

Ex eodem loco.

INterrogemus igitur eos, qui legem insectantur, vtrum præceptum illud, quo prohibemur irasci, contrarium sit ei, quo vetamur occidere, an potius huius id perfectio sit, & confirmatio. Perspicuum est, illud esse perfectionem huius & absolutionem, & propterea maius esse. Qui enim ad iram non incitatur, à cæde facilius abstinebit. Et qui animum cohibet suum, multo magis manus continebit. Nam ira cædis est radix, quam qui euellit, multo magis concidet ramos, immò verò ne nasci quidem illos permittet. Quamobrem hæc non ad legis interitum iubebat, sed ad maiorem illius obseruantiam. Quo nanq; consilio hæc sanciebat ipsa lex? nònne, vt nemo proximum interficeret? Legi igitur aduersantia præcepisset, qui iussisset interficere. Hoc enim, occide, illi, ne occidas, contrarium est. Itaq; si ne irasci quidem concedit, id, quod à lege iubẽ, multo magis confirmat. Neq; enim perinde sibi temperabit, à cæde, qui studiosè cauet, ne quempiam occidat, vt ille, qui ipsam quoq; interficit iracundiam. Hic enim lõgius multo abest ab ipso conatu. Verùm vt eos magis etiam conuincamus, omnia, quæ ab ipsis dicuntur, in medium afferamus. Quænam autem ista sunt? Deum illum, qui mundum hunc fabricatus est; qui solem suum oriri facit super malos, & bonos; qui pluit super iustos & iniustos, malum esse affirmant. Qui autem ex illis mitiores sunt, rem ita temperant, vt eum iustum esse duntaxat concedant, bonum autem negent. Alterum autem quendam, qui non sit, quiq; nihil eorum, quę sunt, effecerit, Christo patrem assignant. Et eum, qui bonus non est, in suis se terminis continere, & quæ sua sunt, tueri dicunt. Hunc verò, qui bonus est, aliena, & quæ ipse non fecit, appetere. Agnoscis filios Diaboli? quomodo è patris fonte verba hauriant, quæ loquantur, dum auferunt Deo mundi fabricationem? Cùm Ioãnes exclamet: In propria venit, & mundus per eum factus est. Iam legem examinant & expendunt in veteri testamento iubentem, vt oculus pro oculo, & dens pro dente euellatur. Atque ita impie irruentes, Quomodo, inquiunt, bonus sit is, q talia præcipit? Quid nos ad hæc respondebimus? maximam id Dei erga nos beneuolentiam indicare. Neq; enim sanxit hanc legem, vt nobis oculos vicissim effoderemus, sed potius vt ea, deterriti, ne committeremus in alterum, quod nobis ipsi timeremus. Quemadmodum & Niniuitis comminatus est euersionem, non vt eos excinderet, & aboleret: tacendum enim fuerat, si id omnino efficere decreuisset, sed vt eos pœnæ formidine meliores redderet, atque ita iram, qua in eos accensus erat, extingueret. Sic & iis, qui propter ad eruendos aliorum oculos inuolant, supplicium proposuit, vt eius acerbitate eos, si bono animi proposito nõ mouerentur, deterreret.

Item aduersus eosdem. Sancti Cyrilli ex libro ad Theodosium Imperatorem scripto.

EA Apostoli verba de seruatore: In similitudine hominum factus, & habitu inuentus, vt homo: arripiũt

Hæretici,vt execrandæ doctrinæ ſuæ mendacia tueantur atq; cõfirment. Nam Arius quidem,& Eunomius,& Apolinarius,ſimilitudinem,& habitum ſic accipiunt,vt naturæ noſtræ ſpeciem duntaxat quandam ſignificent. Reliquæ autem Hæreticorum copiæ per ſimilitudinem, & habitũ, vmbram quandam,& imaginem,& formam corpori ſimilem interpretantur. Et poſt alia. Nos autem in ſimilitudine hominis factum,& habitu inuentum ſiue cognitum, vt hominem ſic intelligimus, vt naturam noſtram aſſumpſerit, & æqualis nobis ac ſimilis fuerit. Aequalis quia ſerui formam,ſeu naturam humanam accepit. Similis,quia ſine ſemine. Nam quòd ex muliere natus ſit, humanum id eſt. Quòd autem ex virgine,id veró humana conditione præſtantius. In ſimilitudine igitur dixit,quoniam cùm in reliquis par eſſet nobis & æqualis,quantum ad naturam pertinet,non tamen ex ſemine conceptus eſt. Idemq; verbis illis ſignificatur. Et habitu,ſeu figura inuentus vt homo. Figuram enim dixit,quia licet humanam ſpeciem, & naturã haberet,vereq; illam induiſſet,homine tamen habebat aliquid excellentius,quia non purus erat, & ſimplex homo, ſed cum diuinitate coniunctus. Quòd ſi ſpecie tantùm, & imagine quadam,ac ſimulatione ſeruatorem hominis aſſumpſiſſe naturam admittimus,inanis fuit labor Apoſtolorum, inanis eſt Euangelii promulgatio, inanis denique ſalutis ſpes.

Item contra eoſdem. Damaſceni. Cap. XXIX.

DVO non eſſe principia,vnum bonum, & alterũ malum,ſic intelligemus. Bonum, & malum contraria ſunt,ſeq; viciſsim interimunt,& eorum vtrunq; nec in altero,nec cum altero poteſt conſiſtere. Separatim igitur erunt,in ipſa rerum vniuerſitate,& primùm ita circunſcribentur, vt non ſolùm in mundo ſint, ſed vnum in vna mundi parte,alterum in alia. Iam quis vtriq; regionem deſcripſit ſuã? Neque enim inter ſe cõueniſſe, & fœdus iniiſſe dicent. Quandoquidem malum non eſſet malum, ſi amicitia cum bono coniunctum eſſet;nec bonum eſſet bonum, ſi illi cum malo conueniret. Sin tertius aliquis ſuum vtrique domicilium præfiniuit,ille potius erit Deus. Alterutrum autem eſt neceſſarium,vt vel ſe contingant mutuoq; interimant, vel inter ea ſit aliquod medium, in quo nec bonum nec malum commoretur,quodq; tanquam ſeptum vtraq; ſeiungat & dirimat. Et hoc quidem pacto non duo erũt, ſed tria principia. Præterea neceſſe eſt, vt vel in pace degant,quod malum non poteſt, Quod enim in pace degit, non eſt malum:vel pugnent, quod nequit bonum, quod enim bellum gerit,perfectè bonum nõ eſt: vel malum quidem pugnet,bonum autem non repugnet, qua ſane ratione bonum à malo deleretur,aut certè vexaretur,& diſcruciaretur,quod à bono alienum eſt. Vnum ergo principiũ eſt,idq; bonum & ab omni malitia remotiſsimũ. Quòd ſi dixeris vnde igitur malum? A bono enim ortũ habere non poteſt. Reſpondemus,malum nihil aliud eſſe, niſi priuationem boni,& commutationem ex eo,quod ſecundum naturam eſt,in id,quod eſt contra naturam. Nihil enim natura malum. Nam omnia,quæ Deus fecit, valde ſunt bona, quatenus facta ſunt. Itaq; ſi manent,quemadmodum fuerunt,procreata,valde bona ſunt. Sin à proprio naturæ ſtatu voluntate deflectunt in contrarium,in malo conſiſtunt. Natura igitur procreatori cuncta ſeruiunt,& parẽt. Quando autem ſponte ſua aliquid eorum, quæ procreata ſunt, imperium detrectans ab authore ſuo defecerit, in ſe ipſo malum cõſtituit. Malum enim nec eſſentia eſt, nec aliquid eſſentiæ proprium,ſed accidens,& ab eo,quod ſecundum naturã eſt,in id,quod naturæ aduerſatur, declinatio. Hoc autem nihil aliud eſt,niſi peccatum. Vnde igitur peccatũ? a propria voluntate,Diaboli inuẽtum. Ergo Diabolus malus? Non quatenus factus eſt. Lucidiſsimus enim & præclariſsimus Angelus fuit,ꝓcreatus ab opifice Deo,libera præditus voluntate,quippe qui ratione ornatus ſit. Vltrò autẽ & volens à virtute congruenti naturæ ſuæ diſcedens in malitiæ tenebras incidit, procul amotus à Deo, qui ſolus eſt bonus, & largitor vitæ. Ab ipſo enim quicquid eſt bonum, habet, vt bonum ſit, & dum voluntate recidit ab eo (voluntate enim, non loco, ab illo receditur) in malum incurrit.

TITVLVS DECIMVS

Aduerſus Sabellium. Sancti Cyrilli ex interpretatione in Ioannis Euangelium.

SI IDEM eſt filius,qui & pater quæ eſt diſtinctionis nominum ratio? Nam ſi alium nõ genuit,cur vocatur pater? Et qui à patre genitus non eſt,quomodo prorſus eſt filius? Quoniam igitur genitum eſſe filium diuinæ ſcripturæ teſtantur, & veritas ita ſeſe habet, per ſe in propria quiſque perſona exiſtunt pater & filius. Quandoquidẽ vnus ab altero diſtinguitur vt à gignente genitus.

Beatus Paulus ad Philippenſes de filio ſcribens, Qui rapinam,inquit,non eſt arbitratus, eſſe ſe æqualẽ Deo. Quis igitur ille eſt, qui noluit rapinam arbitrari, ſe eſſe æqualem Deo? Nònne dicendum eſt neceſſariò, vnum quidem illũ eſſe, qui eſt in forma Dei, alterum autem eum, cuius eſt forma? Omnes hoc vt perſpicuum confitentur, Quare non vnum quiddam numero ſunt pater, & filius, ſed in ſua vterque conſiſtit perſona, & quanuis vnus ab vno ſit, nempe filius à patre, vnam tamen eſſentiam, & naturã habent. Philip. 2.

Ego & pater (inquit ſeruator) vnũ ſumus, vt qui ſciret, & ſe, & patrem propria vtrunque perſona ſubſiſtere. Nam niſi res ita verè ſe habet, cur non ſeruauit vnitatis decorũ, Ego, inquiens, & pater vnum ſum? Numero igitur vtens pluribus congruenti eorum, qui aliter ſentiunt, euertit opinionem. Ioan. 14.

Se ipſum eſſe ex Dei & patris eſſentia declarans filius, Ego, inquit, à patre exiui. Quomodo igitur non alter ab illo erit perſona duntaxat, & numero, cùm omnis nos ratio doceat, id, quod ex aliquo proficiſcitur, ab eo diuerſum cogitare? Quare conſtat, aliter ſentientium opinionem eſſe falſam. Ioan. 16.

Ex ira Dei Sodomitarum ciuitates fuiſſe incenſas, atq; combuſtas teſtatur diuina ſcriptura, quæ apertè declarãs, quomodo Deus illis ſuccenſuerit, & quomodo euerſæ deletæq; fuerint, Pluit, inquit, Dominus à Domino ſuper Sodomam ignem & ſulphur. Hoc enim potionis genus flagitioſis illis maximè cõgruebat. Quis ergo Dominus à quo Domino ignem demiſit, & ſodomitarum vrbes aboleuit? Pater nimirum omnia per filium agens, qui virtus eſt, & brachium ipſius, fecit, vt ignem in ſodomitas plueret. Quamobrẽ qui fieri pôt, vt cùm Dñs à Dño ignẽ in eos cõiecerit, nõ ſit diſtinctus & à filio pater, vt propria exiſtit pſona, & rurſum à patre filius? hic enim vnũ ab vno ſignificatur. Gen. 19.

Psal. 42. Emitte lucem tuam & veritatem tuam. Quænam illius
Ioan. 8. est lux, & veritas? Audi filium, qui, ego, inquit, sum lux, ego
Ioan. 14. sum veritas. Itaque si lux & veritas Patris, nempe filius, ad nos mittitur, quomodo non est ab illo distinctus, quatenus propria subsistit persona, licet cum illo vnum sit, quantum ad vnam, & eandem essentiam pertinet? Quòd si, vt quidã opinatur, vnus est pater idem, qui & filius, cur non ea potius precãdi ratione vsus est diuino spiritu afflatus Propheta, Veni, inquiens, ad nos, ò lux, & veritas? Quare cùm dixerit, Mitte, alium vtique intellexit illum esse, qui mittit, & alium eum, qui mittitur. Missionis autem ratio Deo conueniens cogitetur.

Verùm quia cum Sabellio Arius pugnat. Nam ille tres personas in vnum ita contraxit, vt vnam tantùm personã, & naturam vnam esse contenderet: Hic autem naturam vnam ita diuisit, vt tres naturas, & tres personas assereret, Athanasius, & Basilius, & Gregorius, & alii patres cùm execrandam Arii opinionem impugnarent, simul etiã Sabellij doctrinam, ad quam refellendã, vtpote paucis comprehensam, non multis opus erat argumẽtis, euerterunt.

TITVLVS VNDECIMVS

In Arianos. Magni Athanasii, ex quarto contra eos ipsos libro.

BEATVS Alexander Episcopus ex ecclesia Arium eiecit, & extrusit dicentem hęc: Non semper Deus pater, non semper filius fuit. Sed cùm omnia ex nihilo facta sint, eodem modo & filius extitit, qui & ipse ex rebus ꝓcreatis, & factis vna est. Cũq; omnia non essent prius, quàm facta sunt, sic fuit aliquando, cùm & Dei verbum non esset. Neque enim erat ante, quàm gigneretur, sed existẽdi principium habuit, cùm Deus voluit ipsum efficere. Nam vnũ ex vniuersis operibus & ipsum est, Et quoniam natura mutabile est, voluntate permansit bonum, cùm tamen vt reliqua omnia mutari posit, quando vult. Iccircò enim Deus cùm præuideret, ipsum futurum bonum, hanc illi gloriam tribuit, quam ex virtute deinceps obtinuit. Dicunt igitur, Christum nõ esse verum Deum, sed communione Deum dici, vt reliquos omnes. Addunt prætera, ipsum non esse in patre natura & proprium essentiæ illius Verbum & propriam eius sapientiam, qua mundum hunc fabricatus est. Aliud enim esse Verbum illud proprium quod in patre est, aliamq; propriam in patre sapientiam, qua quidem sapientia & Verbum hoc fecit. Hunc enim ipsum Dominum opinione Verbum rationemq; dici propter illã, quæ ratione sunt prædita: opinione item dici sapiẽtiam propter illa, quę sapientia sunt ornata. Deniq; cùm omnia sint aliena & peregrina, & ab essentia patris remotissima, sic & ipsum asserunt ab essentia patris alienissimum ac remotissimũ, quippe qui factus, & creatus sit, & vnum opus. Ad hæc aiunt, Deum non propter illum nos procreasse, sed illum propter nos. Erat enim, inquiunt, solus Deus, & cum illo non erat Verbum. Deinde cùm vellet nos efficere, tunc & illud effecit, & ex quo factum est, Verbum, & filium, & sapientiam ipsum appellauit, vt & nos per illud procrearet. Et quemadmodum reliqua omnia Dei voluntate extiterunt, cùm non essent prius, sic & ipsum, cùm antea non esset, factum est. Neque enim, inquiunt, proprius & naturalis filius patris est verbum, sed & ipsum per gratiam extitit. Qui enim est Deus, filium, qui non erat, fecit ea voluntate, qua fecit & fabricauit, & procreauit, & esse voluit omnia. Nam illud etiam dicunt, Christum non esse naturalem, & veram patris virtutem, sed quemadmodum Bruchus, & Eruca, sic & ipse patris inquiunt, virtus dicitur. Illud item adiungunt patrem esse filio inuisibilem, Filium enim patrem nec videre, nec intelligere perfectè, & absolutè. Nam cùm existendi principium habeat, non posse eum, qui principio caret, cognitum habere. Quòd si cognoscat, & videat, pro mensuræ suæ ratione cognoscere & videre, quemadmodum etiam nos pro viribus nostris cognoscimus, & intuemur. Ac non solum exquisitam nõ habere patris cognitionem, sed ne propriam quidem sui ipsius essentiam nosse. Quæ quidem omnia scripturis diuinis aduersantur. In principio enim, Ioannes inquit, erat verbum Et alibi: sumus in vero filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna. At isti repugnantes dicunt, Christum nõ esse verũ Deum, sed communione quadam, vt sunt reliqui omnes, qui vocantur Dii. Et Apostolus quidem gentes accusat, quod res procreatas colant, Et seruierunt, inquiẽs, creaturæ potius, quàm creatori. Isti autem cùm Dominum creatum asserant, & illi tamen seruiant, quid à gentibus differunt? Cur enim si ita sentiunt, non etiam in eos iudicium sit, & quemadmodum gentibus, sic etiam ipsis Beatus Paulus irascatur? Et Dominus, Ego, inquit, & pater vnum sumus, Et qui vidit me, vidit & patrẽ. Et Apostolus ab eo missus ad euangelium diuulgandum ita scribit: Qui cùm sit splendor gloriæ, & figuræ substantiæ eius. At isti diuidere audent, eũq; ab essentia, æternitateq; patris alienum, & mutabilem dicere. Nec animaduertunt impii, se, dum hæc dicunt, illùm non amplius vnum cum patre, sed cum rebus procreatis constituere. Quis enim non videt, à luce separari nõ posse splendorem, cuius proprium est, vt naturali vinculo cum illa semper coniunctus sit, non autem postea in illa factus. Quid? quod pater dicit: Hic est filius meus dilectus? Et scripturæ affirmant, hunc esse patris Verbum, in quo & cœli firmati sunt, & omnia deniq; per ipsum condita? Isti nouæ commentitiæq; doctrinæ inuentores aliud inducunt Verbum, & aliam patris sapientiam comminiscuntur. Hunc enim opinione tantùm propter illa, quæ ratione sunt prædita, Verbum, & sapientiam dici. Nec vident, quàm absurdum sit id, quod ex eorum sententia sequitur. Nam si opinione tantùm propter nos Verbum, & sapientia dicitur, quid ipse sit, non poterunt dicere. Etenim cùm scripturæ dicant, eum esse Verbum & sapientiam, ipsi autem Dominum hæc esse negant, ne esse quidem illum volunt homines nefarii, & inimici scripturarum. Ac fideles quidem viri possunt hæc discere tum à patris voce, tum ab Angelis ipsum adorantibus, tum à sanctis scriptoribus, qui de illo locuti sunt. Isti verò, qui mentem habent impuram, nec res diuinas, nec Theologos viros intelligunt, possunt à Dæmonibus saltem sui similibus edoceri. Qui clamabant, nõ tanquam multos, sed vt hunc solum viderent, & dicebant: Tu es sanctus Dei & filius Dei. Nam ipse quidem, qui hæresim animis eorum iniecit, cùm tentaret illum in monte non dixit: Si & tu filius Dei es, quasi essent & alii, sed tanquàm solus ipse esset, si tu, inquit, es filius Dei. Sed hominibus admirandis idem accidit, quod ipsis Græcis. Sicut enim hi cùm non possent vnum Deum percipere, Deorum sibi multitudinem confinxerunt: sic & illi cùm vnum patris Verbum esse non crederent, ad multitudinem confugerũt. Et eum,

qui verè Deus est, Verbum esse verum negantes, creatum fuisse audent cogitare, & dicere, nec attendunt, quanta impietate referta sit eiusmodi sententia. Nam si creatus est, quomodo rerum procreatarum author esse potest? Aut quomodo ipse filius est, & sapientia, & Verbum? Verbum enim non creatur, sed gignitur. Et quod creatum est, non est filius, sed opus confectum. Quod si res procreatæ per ipsum effectæ sunt, creatus autem & ipse est, per aliquid omnino factus est. Necesse est enim, ea, quæ fiunt, per aliquem fieri. Non est autem creatus, aut factus, quia nō est opus, sed Verbum patris. Præterea si alia præter Dominum est patris sapientia, & sapientia in sapientia facta est. Si autem sapientia est Verbum Dei, erit verbum in verbo factum. Et si Dei Verbum est filius, filius erit in filio factus. Quomodo igitur Dominus dixit: Ego in patre, & pater in me est? cum in patre sit alius, in quo & ipse Dominus factus est? cur autem & Ioannes omisso illo de hoc tantùm loquitur, omnia, inquiens, per ipsum facta sunt, & sine ipso ne vnum quidem factum est? Iam si omnia voluntate Dei facta, per ipsum facta sunt, quomodo & ipse vnum eorum sit? Et cùm Apostolus dicat: Propter quem omnia, & per quem omnia, Isti non propter illum nos esse factos asserunt, sed eum propter nos. Si enim res sic haberet, dicendū erat: propter quos factum est Verbum. Non autem id dixit, sed propter quem omnia, & per quem omnia. Ex quo istos Hæreticos esse, & Sycophantas declarauit. Iam cùm ausi sint dicere, aliud quoddam esse Verbum in Deo, quandò nequeunt apertas ex scripturis demonstrationes afferre, opus saltem ostendant aliquod istius à se conficti Verbi, si patris opera sine hoc Verbo facta sunt, vt stultitiæ suæ causam aliquam habere videantur. Nam veri quidem Verbi opera cunctis perspicua sunt, ex quibus ratione quadam & ipsum cognoscitur. Quemadmodum enim res procreatas intuentes procreatorem ipsarum Deum intelligimus, ita cùm nihil in eis confusum, sed omnia ordine, & prouidentia moueri, conseruariq; conspicimus, Dei Verbum in omnibus existens, & omnia regens, ac moderans animaduertimus. Hoc & diuinæ scripturæ testantur, quæ dicūt ipsum esse Dei Verbum, & per illud omnia fuisse confecta, & sine ipso factum esse nihil. Istius autem Verbi, quod ipsi afferunt, nec scripturæ testimonium, nec opus vllum ostendunt. Siquidem & pater, hic est, inquiens, filius meus dilectus, nullum alium esse præter ipsum significat. Quamobrem egregii isti homines Manichæis in hac parte videntur similes. Vt enim illi Deum quendam nomine duntaxat bonum appellant, opus autem illius, quod aut videatur, aut non videatur, nequeunt vllum demōstrare, Deum verò illum, qui re ipsa verus est Deus, cœliq;, & terræ, & eorum, quæ sub aspectum non cadunt, effector est, negant, atque ita fabularum confictores esse deprehenduntur, sic & isti declarant dementiam suam, qui non illius Verbi, quod vnum in patre est, opera contemplantur, & ipsum negant, aliud autem sibi ipsi confingunt Verbum, quod nullius nec operis nec scripturæ possunt testimonio comprobare. Et paulo post. Deinde cùm Apostolus dicat: Christus Dei virtus, & Dei sapientia, isti cum bruchis illum, & vulgatis & cōmunibus virtutibus numerant. Quid? cùm Dominus dicat: Nemo nouit patrem nisi filius. Et rursum: Non quòd patrem quispiam viderit, nisi ille, qui est à patre, nònne isti verè pugnant cum Deo, dicentes, patrem à filio nec videri, nec cognosci perfectè? Cùm enim idem Dominus dicat: sicut cognoscit me pater, sic ego cognosco patrem, pater autem non ex parte cognoscat filium, nónne insaniunt, dum ita nugantur, vt asserant, filium ex parte, & non plenè patrem cognoscere? Ad hæc si Verbum existendi principium habet, & res item omnes principium habent, quo factæ sunt, quid in his primum sit, dicant. Verùm, quid respondeant homines astuti, nō habebunt. Patris enim est verum germen, & sempiternum. Et in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Nam quod dicunt, filium ne suam quidem naturam cognoscere, id verò ne responsione quidem dignum est, & ipsorum furorem coarguit. Qui enim se non cognoscat Verbum, quod omnibus tum patris, tum sui ipsius cognitionem elargitur, quiq; eis, à quibus non cognoscuntur, irascitur & indignatur?

[Margin notes: Ioan. 14. — Ioan. 1. — 1. Cor. 8. — Matth. 3. — 1. Cor. 1. — Matth. 11. — Luc. 10. — Ioan. 10.]

Eiusdem ex quinto libro contra Arianos.

EX Deo Deus est Verbum. Et Deus enim erat verbū. Et rursum: Quorum patres, ex quibus & Christus, qui est omnium Deus benedictus in secula. Amen. Rom. 9.
Et quoniam ex Deo Deus est, & Dei Verbum sapientia, et filius, & virtus est Christus, iccircò vnus Deus in diuinis scripturis enuntiatur. Vnius enim Dei filius cùm sit Verbum, ad ipsum, cuius etiam est, refertur, vt duo quidem sint pater, & filius, sed vna vtriusq; diuinitas, quæ diuidi secariq; non potest. Dicemus etiam hoc modo. Diuinitatis vnum est principium, non aūt duo principia. Quare propriè principatus est. Ex ipso autem principio natura filius est Verbum non vt principium alterum quod per se subsistat, aut extra ipsum sit factum, ne duplex, aut multiplex imperium existat, sed vnius principii proprius filius, propria sapientia, proprium Verbum ex ipso consistens principio. Nam, vt Ioannes scribit, in hoc principio erat Verbū, & Verbum erat apud Deum. Deus enim principium est. Et quoniam ex ipso Verbum est, iccircò etiam Deus est. Ac quemadmodum filius non est alterum principium, ne duo principia sint, sic Verbum, quod ex vno est principio non dissoluitur, neq; est vox simpliciter significans, sed est per essentiam Verbum, & per essentiam sapientia, quæ verè est filius. Nā si per essentiam nō esset, Deus esset in aëra loquens, & corpus, quod nihil hominibus amplius contineret. Verùm quoniam non est homo, nec Verbum eius est, vt exigit hominū imbecillitas. Sicut enim vna essentia principium est, sic vnum per essentiam subsistens Verbum & sapientia. Nam vt ex Deo Deus est, & ex sapiente sapientia, & ex rationem habente ratio, seu Verbum, & ex patre filius, sic ex eo, qui in propria existit persona, in p̄sona propria existens, & ex essentia habens essentiam, in essentiaq; cōstans, & ex eo, qui est, is qui est. Et enim nisi esset sapientia per essentiam, & Verbum in essentia constans, & filius existens, sed simpliciter esset sapientia, & Verbum, & filius in patre, ipse pater esset ex sapientia, Verboq; compositus. Ex quo sequerent̄ ea, quæ prædiximus, incōmoda, essetq; ipsemet sui ipsius pater, & filius, & se ipsum generans, & à se genitus, vt paulo post ostendemus. Aut nomine tantùm est Verbum, & sapientia, & filius, non autem subsistit is, de quo hæc dicuntur, vel potius qui hæc ipsa est. Si non subsistit, inania hæc sunt nōia, & superuacanea, nisi quis dicat Deū esse ipsam sapientiam, & ipsum Verbum. At hoc pacto ipse sui ipsius esset pater, & filius. Pater quidem quādo sapiens; filius autem, quando sapientia. Verùm hæc non sunt in Deo, vt qualitas quædam. Absit. Absurdum enim hoc est. Nam Deus hoc modo esset compositus ex essentia, & qualitate. Siquidem omnis qualitas est in essentia. Et hoc pacto dininam vnitatem, quæ diuidi non potest, compositam esse constaret, quippe quæ in essentiā, & accidens secaretur.

Ex eodem libro.

QVemadmodum verè pater est, sic & sapientia verè est. Hac igitur ratione duo sunt, quoniam non, vt Sabellius opinatur, idem est pater, & filius. Sed pater est pater, & filius est filius. Vnum autem sunt, Quia filius per naturam est essentiæ patris proprium ipsius Verbũ existens. Hoc Dominus docebat, Ego, inquiens, & pater
Ioan. 10. vnum sumus. Neq; enim Verbum à patre separatum est, neque pater sine Verbo vnq̃ fuit, aut est. Quare & Verbũ est Deus, & pater non sine Verbo.

Ex eodem libro.

CHristus est Verbum Dei. Vtrum igitur sic à se extitit, vt per sese subsistens ad glutinatus sit patri: An Deus ipsum fecit, & Verbum suum appellauit? Si primum detur, vt per se extiterit, Deusq; sit, duo erunt principia, neque erit verè proprius patris filius, quippe qui nõ ipsius sit patris, sed sui ipsius. Sin concedatur secundum, vt extrinsecus factus fuerit, erit res procreata. Reliquum igitur est, vt illum ex Deo dicamus esse. Vt aliud sit id, quod ex aliquo est, & aliud id, ex quo illud est. Atque ita erunt duo. Quòd si duo non sint, sed de eodem dicatur pater & filius, idem erit & causa, & quod à causa proficiscitur, idem gignens & genitum. Quod quidem absurdum in Sabellio deprehensum est. At si ex ipso sit, sed non aliud, erit & gignens, & nõ gignens. Gignens quidem, quoniam à se profert, non gignẽs autem quia nihil aliud, quàm se profert. Ex quo sequetur, vt opinione tantùm idem dicatur pater, & filius. Quæ si absurda sunt, duo sint pater & filius. Vnum autem, quia filius non extrinsecus factus est, sed ex Deo genitus. Quòd siquis genitum recusat dicere, & tantummodo dicit, Verbum esse cum Deo, caueat is, ne dum fugit id, quod à scriptura dicitur, in absurdam aliquam opinionem incurrat, & natura duplici Deum introducat. Qui enim non ex vnitate Verbum esse concedit, sed simpliciter patri Verbum vult esse coniunctum, & ad glutinatum, duplicem inducit essentiam, quarum neutra sit alterius pater. Idemq; contingit de potestate.

Ex eodem libro.

DEus aut sapiens est, nec ratione, seu oratione, aut Verbo caret. aut contra insipiens, & verbo carens. Hoc si admiserint, statim per se vt absurdissimum corruet. Sin illud concesserint, interrogandi sunt, quomodo sapiens sit, ne Verbo careat. Vtrum extrinsecus, an ex se Verbum, & sapientiam habuerit. Nam si extrinsecus, Verbum illi vt additum, & ad glutinatum adhærebit, & ipse prius, quàm illud assequeretur, insipiens erat, & sine Verbo. Sin ex se perspicuum est, illud non ex nihilo constitisse, neq; fuisse vnquàm, cùm non esset, semper enim fuit quoniam & is, cuius imago est, semper est. Quòd si dixerint, Deum quidem esse sapientem, nec Verbo vacare, sed propriam in seipso sapiẽtiam, & proprium Verbum obtinere, quod tamen non sit Christus, cùm in eo Christum etiam fecerit: respondendum erit, si Christus in illo factus est, & omnia nimirum in illo fuisse facta, & esse Verbum illud, de quo & Ioannes, omnia, inquit, per ipsum facta sunt: & Da-
Ioan. 1. uid, omnia inquit, in sapientia fecisti. Quòd si aliud verbũ
Psal. 103 in patre sit, Christus mendax deprehendetur, cùm dicit:
Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me est. Illud item falsum esse con-
Ioan. 1. stabit: Verbum caro factum est. Nam si Verbum, in quo facta sunt omnia, factum est caro, Christus autem non est Verbum illud à patre, per quod omnia facta sunt, Verbum vtique caro factum non est, sed fortè Christus nominatus est Verbum. Ex quo primùm sequitur, vt aliud sit, q̃ nomen indicat, deinde, vt non per ipsum facta sint omnia sed in illo, in quo & Christus. Quòd si sapiẽtiam, aut ipsam sapientiam qualitatem esse dixerint in Deo patre, eadem, quæ supra dicta sunt, incommoda consequẽtur, vt & compositus sit, & ipse sui ipsius tum filius, tum pater. Attamen eos inde redargui, & conuinci oportet. Quoniam si Verbum in Deo est, creatum non est, neque factum ex nihilo. Quòd si in Deo semel conceditur esse Verbum, non alius illud erit, nisi Christus, Qui, Ego, inquit, in patre, & pater in me est. Qui & ideò est vnigenitus, quia nullus alius ex ipso genitus est, nisi vnus hic filius, qui est Verbum, & sapientia, & virtus, Ex quibus tamen non componitur Deus, sed genitor esse constituitur. Quemadmodum enim Verbo res creat, sic essentiæ propriæ filium per naturam gignit ipsum Verbum, per quod & facit, & creat, & regit omnia. Verbo enim & sapientia facta sunt vniuersa, & eiusdẽ præscripto ordine conseruantur.

Eodem loco hæc sequuntur ex Deuteronomio.

VOs autem adhærentes Domino Deo vestro viuitis, vsq; in præsentem diẽ. quibus ex verbis intelligi potest, quæ sit inter res procreatas & Dei filium, qui procreatus non est, differentia. Filius enim dicit: ego & pater vnum sumus. Et, ego in patre, & pater in me est. Quæ autẽ procreata sunt, quando proficiunt, adhærent Domino. Verbum vti proprium in patre est. Quæ facta sunt, cùm sint extrinsecus, adhærẽt, quippe quæ natura sint aliena, volũtate autem affinia. Etenim qui natura filius est, est vnum cum illo, à quo genitus est. Qui autem adoptatur, generi inhæret. Iccirco statim subiicit: Quænam est alia natio tam grãdis, cui Deus eius appropinquet? Et alibi, Deus, inquit, appropinquans ego sum. Rebus enim à se factis vti peregrinis appropinquat, sed in filio est, & filius non adhæret patri, sed est eadem natura cum patre. Quamobrem Moses rursus in eodem Deuteronomio, Vocem, inquit, eius audietis, & ipsi adiungemini. Quod autem adiungitur extrinsecus additur. Ad infirmam autem, & humanã Arianorum opinionem, qui Dominum inopem suspicantur, cũ dicit, Datum est mihi, & accepi. Et cum Paulus, propter quod, inquit, exaltauit illum, & sedere fecit ad dexteram suam, & alia eiusmodi respondendum est, Dominum nostrum, cùm Verbum sit, & filius Dei, corpus gestasse, & filium etiam hominis esse factum, vt medius inter Deum atque homines intercederet, & quæ Dei sunt, nobis, quæ autem nostra sunt, Deo conciliaret. Itaque cùm esurire dicitur, & lachrymare, & fessus esse, & cũ voces illas edit, Eloi, Eloi, nostras suscipit affectiones, & eas ad Deum refert, vt pro nobis intercedens illas aboleat. Cùm autem, Data est mihi, inquit, potestas: &, accepi: &, propter q́ exaltauit illũ Deus. Munera per ipsum ad nos translata declarantur. Neque enim Verbum eget aut factum est vnq̃. Neq; rursum idonei sunt homines, qui hæc sibi ipsi comparẽt, sed nobis per Verbum data sunt. Nam ea sibi tradita nobis communicat. Ideò enim factus est homo, vt illa nobis imperti-ret. Simplex enim, ac nudus homo non fuisset huiusmodi muneribus dignus. Verbum rursus solum illis non indiguisset. Nobiscum igitur coniunctum est Verbum, & tunc nobis potestatem dedit, & nos exaltauit. Nam Verbum in homine existens hominem exaltauit. Et cùm esset in homine Verbum, accepit homo. Quocirca cùm Verbũ in carne esset, exaltatus est homo, & potestatem accepit.

Ex quo

Ex quo fit, vt ad Verbum hæc referantur, quoniam per ipſum data ſunt. Per verbum enim in homine exiſtens hæc munera ſunt tributa. Et quemadmodum Verbum caro factum eſt, ſic & homo quæ Dei ſunt per Verbum accepit. Omnia enim, quæ homo accepit, Verbum dicitur accepiſſe. Vt quanuis indignus ſit homo, quantum ad naturã eius pertinet, qui illa acciperet, tamen propter Verbum carnẽ factum accepiſſe demonſtretur. Quapropter cùm aliquid Domino datum dicitur, aut alia eiuſmodi de illo narrãtur, ea ſic intelligenda ſunt, vt non illi tanquàm indigenti, ſed homini per illud tributa cognoſcamus. Etenim quicunq; pro alio intercedit, ipſe gratiam accipit, non quòd illa ipſe egeat, ſed propter illum, pro quo intercedit. Sicut etiam infirmitates noſtras ſumit, non vt infirmetur, & eſurit, non vt eſuriat, ſed vt quæ noſtra ſunt incommoda deleat, ſic infirmitatum loco munera accipit à Deo, vt eorum poſsit homo ſibi coniunctus particeps fieri. Quamobrem omnia,
n.17. inquit, quæ dediſti mihi, dedi eis. Et rurſum pro ipſis, inqt, rogo. Rogat enim pro nobis, qui ſuſcipit quæ noſtra ſunt. Et quæ accepit, ea nobis eſt elargitus. Quoniam igitur cũ homine coniunctum eſt Verbum, Pater Verbum ipſum aſpiciens munera ſua donauit homini, vt exaltaretur, vt poteſtatem acciperet, & alia eiuſmodi. & ipſi quodammodo data ſunt, quæ nos per ipſum accipimus. Vt enim propter nos hominem induit, ita nos propter illum ſumus exaltati. Proinde non eſt abſurdum, vt qui pro nobis ſe ipſum humilem abiectumq; fecit idem pro nobis dicatur exaltatus. Donauit igitur ipſi, hoc eſt, nobis propter ipſum. Et exaltauit ipſum, ideſt nos in ipſo. Ac nobis quidem exaltatis, & accipientibus, & adiutis, Verbum tanquam exaltatum ſit ipſum, aut acceperit, adiutumq; fuerit, gratias agit patri, & quæ noſtra ſunt, in ſe trãsferens, omnia, inquit, quæcun
n.17. que dediſti mihi, dedi illis.

Ex eodem libro. Oſtendit homines Arii morbo & inſania laborantes inter ſe diſſentire. Quæ enim falſa ſunt, ne ſibi quidem ipſa congruere.

QVi Ariano furore cũ Euſebio correpti ſunt, exiſtendi principium filio tribuentes, fingunt, nolle ſe concedere, vt regni principium habeat. Quodquidem ridiculum eſt. Nam qui filio exiſtendi principium tribuit, is vtique regnandi quoque principium aſsignat. Quare dũ id, quod negant, confitentur, ſe cæcos eſſe declarant. Et rurſum qui filii nomen duntaxat concedunt, ipſum autem Dei filium eſſentia præditum eſſe nolunt, aut ſubſiſtere, ſe illis indignari ſimulant, qui aliquando fuiſſe aſſerunt, cũ ipſe non eſſet, in quo tamen ridiculi deprehenduntur. Nã qui illum penitus eſſe negant, eis indignantur, qui tempore ipſum eſſe concedunt. Atque ita dum aliis ſuccenſent, ſe idem nunc abnuere, nunc affirmare confitentur. Item qui cum Euſebio conſentiunt, filium confitentes, negant, ipſum eſſe natura Verbum, & opinione tantum dici filium volunt. Alii contra Verbum confitentes, negant eſſe filium, & Verbum ipſum opinione ſola dici filium conan-
n.10. tur approbare. Ego & pater vnum ſumus, aut duo vnum eſſe dicite, aut vnum duplici nomine præditum, aut vnum in duo diuiſum. Si vnum in duo diuiſum eſſe dixeritis, neceſſe erit, vt id, quod diuiſum eſt, ſit corpus, atque ita neutrum perfectum exiſtat, cùm vtrunque ſit pars, non autem totum. Sin duplici nomine præditum dixeritis, in Sabellii ſententiam incidetis eundem dicentis eſſe patrem & filium, & vtrunque tollentis. Nam dum filium dicit, patrem tollit, dum patrem aſſerit, aufert filium. Reſtat igitur, vt duo ſint vnum. Vnum propter Diuinitatem, & quia vnius & eiuſdem eſt eſſentiæ filius cum patre, & quia ex ipſo patre Verbum eſt. Duo, quia pater eſt, & filius eſt, qui & Verbum Vnum quoniam vnus Deus. Nam niſi ita eſſet, ſic oportuiſſet dicere: Ego ſum, qui & pater. Aut, ego & pater vnum ſum. Nunc autem dicit: ego & pater vnum ſumus, vt per illud, ego, filium: per illud, Pater, genitorem: per illud, vnum, diuinitatem vnam, & eandem eſſentiam intelligas.

Ex eodem libro. Patrem & filium non eſſe duos Deos, licet ſint duæ perſonæ.

AC ne quis audiens, nos dicere patrem & filium eſſe duo, calumnietur, quaſi duos eſſe Deos ſtatuamus, vt quidam ſibi ipſi confingentes nos protinus derident, & dicunt, à nobis duos Deos cõſtitui, reſpondemus, ſi is qui patrem & filium agnoſcit, duos aſſerit Deos, caueant, ne is qui vnum dicit, filium auferat, Sabellioq; aſſentiatur. Nam ſi is, qui duo dicit, Grecis fauet, & is, qui vnum affirmat, Sabellio ſuffragatur. Res autem nõ ſic habet. Abſit. Sed quemadmodum cùm patrem, & filium duo dicimus, vnum Deum intelligimus: Ita cùm Deum vnum aſſerimus, duo, patrem, & filium agnoſcimus, qui diuinitate ſunt vnum, & quia ſecari, & diuidi nequeunt, & Verbum à patre ſeiungi non poteſt. Quæ quidem res vt exemplo aliquo clarior fiat, videmus ignem, & ſplendorem eius ſic & eſſe, & videri duo, vt vnũ tamen ſint, cùm ab igne ſplendor proueniat, & ab eo ſeiungi non queat.

Quæ obiiciant Ariani. Ex primo eiuſdem in eos libro.

SI nunquàm, inquiunt, fuit, cùm non eſſet filius, ſed æternus eſt, & ſimul cum patre eſt, non filium, ſed fratrem patris conſtituitis. ſtulti homines, & litigioſi. Si æternum duntaxat, non autem filium eſſe diceremus, aliquid fortaſſe non inconſideratè videri poſſent obieciſſe, nunc autem, cùm æternum dicentes, fateamur, ipſum eſſe à patre filium, quomodo genitus gignentis frater poteſt exiſtimari? Et ſi nos in patrem, & filium credimus, quid in his fraternum ſit? aut quomodo poteſt Verbum dici frater illius, cuius eſt Verbum? Neque enim ab aliquo alio principio pater & filius geniti ſunt, vt fratres putentur eſſe, ſed pater filii principium, & genitor eſt. Et pater eſt pater, non autem filius. Et filius eſt filius, non autem frater.

Quid obiiciant Ariani. Ex eodem libro.

SI filius patris eſt germen, & imago, & in omnibus ſimilis patri, deberet, inquiunt, omnino ſicut genitus eſt, ſic etiam gignere, & fieri ipſe quoque pater filii, & hic rurſus ab ipſo genitus, etiam ipſe gignere, atq; ita deinceps in infinitum. Sic enim conſtaret, eum, qui genitus eſt, illius, qui genuit, eſſe ſimilem. Reſpondemus. ſi filius eſt eo mõ, quo homines filii ſunt, fiat etiam genitor, vt filius ſit alter pater, atq; ita deinceps alius ex alio gignatur, vt eorũ ſucceſsio augeatur, & Deorum conſtituat multitudinem. Quòd ſi non ea ratione, qua homines, filius eſt, non ſunt ei, quæ hominum ſunt, attribuenda. Nã reliqua quidẽ animalia, atq; etiam homines iam inde ab ipſo procreationis initio mutuo quodam ſucceſsionis ordine generantur, & generant, vt qui generat, cum ex generato patre gene-

ratus sit, meritò ipse quoque fiat alterius pater, cùm à suo patre in se id ipsum habeat, ex quo & ipse fuit generatus. Ex quo fit, vt nullus inter eos propriè sit pater, aut propriè filius, cum idem & pater existat, & filius. Pater quidem illius, à quo generatus est, filius autem eius, qué ipse generauit. In ipsa verò diuinitate non ita est. Neque enim Deus est, vt homines sunt. Etenim pater non est ab alio patre. Quare nec gignit geniturum futurumq; patrẽ. Nec filius ex patris est semine, neque ex genito patre genitus est. Quamobrem nec ad gignendum est genitus. Proinde in sola diuinitate pater propriè pater est, & filius, ꝓpriè filius est. Et in his solis illud firmum & cõstans est, vt pater semper sit pater, & filius semper filius. Quocirca qui dicit, cur filius non est eiusmodi, vt filium generet? idem quærat, cur pater non habuit patrem. Sed vtraque quæstio est impietatis plenißima. Quemadmodum enim pater ita semper est pater, vt nunquam fieri filius valeat: Sic filius ita filius est, vt nunquam pater fieri queat. In quo magis ostẽditur esse forma & imago patris, dum manet id, quod est, & nunquã immutatur, cùm eandem à patre essentiam habeat. Quare si mutatur pater, mutetur & imago. Sin pater est immutabilis, & sicut est, sic etiam manet, imago quoque necessario sicut est, sic etiam manet, & non immutabitur.

Ex eodem libro.

SI Verbum non est ab omni æternitate cum patre, Trinitas non est æterna. Sed cùm esset primùm vnitas, ex accessione facta trinitas est, & progrediente, vt ipsi volunt, tempore aucta constitit. Præterea si filius non est proprium patris essentiæ germen, sed ex nihilo factus est, ex nihilo Trinitas est constituta. Et fuit aliquando, cùm non esset Trinitas, sed vnitas. Et imperfecta fuit primò, deinde absoluta. Et quod deinde genitum est, cum iis, quæ creata sunt, numeratur. Et id, quod aliquando nõ fuit, simul cum eo, quod semper est, diuinum existimatur, & colitur. Et, quod maius est, ipsa Trinitas sibi ipsa dißimilis esse reperitur, quippe quæ cum peregrinis, & alienis naturis, & essentiis coniuncta sit. Hoc autem quid aliud est, nisi Trinitatẽ esse genitam affirmare? Quæ autem Trinitatis diuinitas sit, quæ sibi ipsa dißimilis existat, & ex accessione fuerit tempore completa, & nunc hoc, nunc illo modo se habeat? Nónne verisimile est, eam accessionem rursus aliam, atq; aliam perpetuò accepturam, vtpote quæ initiò semel ex accessione constitutionem suam obtinuerit? Quid porrò dubium, fieri posse, vt imminuatur? Quæ enim adiuncta sunt, & adimi posse perspicuum est.

Quid obiiciant Ariani. Ex eodem libro.

SEd ecce, inquiunt, semper Deus fuit procreator, & est, neque illi procreandi facultas accessit. Num igitur quoniam æternus est procreator, æternæ sunt etiã res procreatæ, vt in illis item nefas sit dicere, eas fuisse antequàm fierent? stulti, ac dementes Ariani. Quid simile cum rebus procreatis filius habet? vt quæ de illo dicuntur, eadem, & his conuenire dicant? Cur autem, cùm ante demonstratum sit, quantum inter filium intersit & opus, perstant in sua dementia? Opus enim, vt diximus, extra opificem est. filius autem est proprium essentiæ germen. Quamobrem opus vt semper sit, non est necessarium. Nam opifex agit, quando vult, Germen autem non est volũtati subiectum, sed est essentiæ proprietas. Et opifex quidem erit, & appellabitur, etiam si nondum sint opera. Non erit autem, nec vocabitur pater, nisi filius sit. Quod si curiosius pergant inquirere, cur, cùm Deus semper posset facere, quæ facta sunt, non semper fecerit, Quæstio ipsorum erit hominum furentium & audacium. Quis enim nouit mentem Domini? aut quis eius fuit consiliarius? aut quomodo dicet figmentum ei, qui se finxit, cur me fecisti sic? Verùm vt aliquam licet tenuem, & adumbratam rationem afferamus, nec omnino taceamus, sic habeant, etsi Deus poterat semper facere, res tamen non poterant æternæ esse. Ex nihilo enim sunt, nec esse possunt prius, quàm fiant. Quæ autem prius, quàm fiant non sunt, quomodo simul esse posint cũ Deo, qui semper est? Quamobrem Deus rebus ipsis consulens, quando vidit, eas factas posse permanere, tunc omnes fecit. Et quemadmodum, cùm posset, quo tẽpore vel Adam, vel Noë, vel Moses fuit, mittere Verbum suum, nõ tamen misit, nisi seculis iam absolutis, sic enim humano generi conducere cognoscebat, eodem modo, & res vniuersas fecit, quando voluit, & nouit, eis sic expedire. At filius, qui non est opus aliquod procreatum, sed proprietas essentiæ patris, semper est. Etenim cùm semper sit pater, semper etiam eius esse oportet essentiæ proprietatem. Hæc autem est Verbum, & sapientia ipsius. Iam vt res procreatæ non sint, nihil adimitur procreatori. Nam procreare potest, quando vult. Filius autem nisi sit semper cum patre, essentiæ ipsius perfectio diminuitur. Itaq; res omnes per Verbum factæ sunt, quando ipsi libuit opifici Deo. Filius autẽ, cùm sit proprium patris essentiæ germen, semper est.

Ex eodem libro.

AIunt ab Apostolo scriptum esse: Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et à Dauide: Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Deinde quasi sapienter aliquid dicant, ita colligunt: si propterea fuit exaltatus, & gratiam accepit, & iccircò vnctus est, propositi præmium obtinuit. Ex quo patet, eum, cùm proposito agat, & agendo deliberet, mutabili esse natura præditũ. Hæc non solùm dicere, sed scribere ausi sunt Eusebius, & Arius. Hæc qui ab illis acceperunt, ausi sunt in medio foro prædicare. Ex virtute enim, inquiunt, qua melior effectus est, obtinuit, vt diceretur filius & Deus, cùm verus Deus non sit. Nam ex aliquo naturaliter nasci, id demum est, verum esse filium, qualis fuit Isaac ex Abraham, & Ioseph ex Iacob, & splendor ex sole. Qui autem ex virtute & gratia filii dicuntur Dei, naturæ loco gratiam habent, quam acceperunt. Sunt etiam alii filii, qui illo nomine ab vtuntur, de quibus dictum est: Filios genui, & educaui, ipsi autem spreuerunt me. Nil mirum, cùm filii natura non essent, Quamobrẽ & cùm sese mutassent, spiritu priuati sunt, & abdicati: & rursum si resipiscant, illos suscipiet Deus, & lumen infundet, & filios appellabit, qui & initio gratiam ipsis est elargitus. Quid igitur fuit antea, si nunc exaltatus est? si nunc adorari cœpit? si filius dictus est, posteaquàm factus est homo? Apparet enim, eum carni nihil boni attulisse, sed contra potius ab ea multum accepisse, siquidem prius, quàm homo fieret, nec Dominus, nec Deus, nec Verbum erat, aut aliud quicquã præter hæc, sed postea virtutis ergo donatus est his. Et, quod illis male vertet, cogentur dicere, ipsum ne fuisse quidem ante hac, sed esse totum natura hominẽ, & præterea nihil. Hoc aũt ab Ecclesia alienißimum est, & Samosatensis, eorumq; Iudeorum, qui nunc sunt, sententiæ congruit. Nam si aut non erat, aut erat quidem, sed melior postea factus est, quomõ per ipsum facta sunt omnia? Aut quomodo pater hoc imperfecto filio lætabat?

Aut

Aut quomodo ipse in conspectu patris antea gaudebat? Præterea quomodo, si post mortem adeptus est, vt adoraretur, ipsum adorauit Abraham, & Moses in rubo. Et (id
n. 7. quod Daniel vidit) quónam pacto innumerabilia millium millia ministrabant ei? Quónam pacto si nunc, vt isti volunt, assecutus est, vt melior, & præstantior fieret, gloriã, quæ ante mundum est, & mundo præcellit, ipse de se loquens commemorat, clarifica me, inquiens, pater, ea glo-
15. ria, quam habui priusquam mundus fieret, apud te? Quæ cùm ita sint, non descēdens ipse melior factus est, sed quæ ea re egebant, meliora fecit. Et homo factus homines Dei filios, ac Deos reddidit. Non ergo cùm homo esset prius, deinde factus est Deus, sed cùm Deus esset, deinde factus est homo, vt nos diuinitate decoraret. Ad hæc qui posset appellari primogenitus rerum omnium procreatarum, si ante se haberet, qui filij, & Dei vocarētur? Aut cur primi illi non sunt eiusmodi, vt de illis dicatur, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & propter nos postea verbum hoc factum est caro? Quare illud, superexaltauit, non significat verbi essentiam exaltatam. Fuit.n.semper, & est æqualis Deo sed exaltatio illa pertinet ad humanitatem. Et ideo nō prius hæc dicta sunt, q̃ verbum caro factum est, vt perspicuum esset, voces illas, humiliauit, & exaltauit, ad hominem referri. cuius.n.humilitas est, eiusdem est, & exaltatio. Et si propter carnis assumptionem scriptum est, etiam, Exaltauit. Exaltatione.n.egebat homo propter carnis & mortis humilitatem. Qm̃ igitur verbum cùm esset imago patris, & immortale serui formam accepit, & propter nos in carne sua mortem pertulit, vt ita se pro nobis per mortem offerret patri, iccirco etiam vt homo propter nos & pro nobis dicitur exaltatus, vt sicut nos morte ipsius omnes mortui sumus in Christo, sic etiam in Christo, à mortuis excitati, & in cœlum profecti, quo ipse præcursor noster peruenit, exaltemur. Quòd si nunc pro nobis ita se demisit, quãuis & nunc, et ante, & semper esset Dominus, pro nobis vtiq; exaltatus scribitur. Et quemadmodum ipse quãuis omnes sanctos efficiat, dicit tñ vt se sanctificet, non quo verbum sanctum fiat, sed vt nos omnes in seipso sanctos reddat: sic & illud, quod dictum est, Exaltauit illum, non eo pertinet, vt ipse exaltetur, est enim altissimus, sed vt ipse quidem pro nobis iustitia fiat, nos autem in ipso exaltemur, & in cœlorum fores ingrediamur, quas pro nobis ipse patefecit. Cũ
l. 23. præcurrentes dicant: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Neque enim ipsi Domino & rerum omnium effectori conclusæ erant, sed propter nos, quibus cœli fores erant clausæ sic scriptum est. Itaq; propter carnem, quam gestabat, humano more dictum est: Tollite portas: Et, introibit, tanq̃ homo ingrediatur. At de ipso rursum, vt qui Deus sit, dicitur: Et introibit Rex gloriæ. Ac eiusmodi quidem de nobis exaltationem Spiritus sanctus prænũtiauit in octogesimo Psalmo, Et in iustitia tua, inquiens, exaltabuntur. Qđ si ipse filius iustitia est, non vtiq; tanq̃ inops est exaltatus, sed nos per iustitiam, quæ ipse est, exaltati sumus. Nam & illud: Et donauit illi, non propter verbum scriptum est, Iam enim & ante, q̃ fieret homo, & ab Angelis, & ab omnibus rebus procreatis ob paternam proprietatem, vt diximus, adorabatur. Sed propter nos, & pro nobis, hoc item dictum de ipso est. Etenim Christus quemadmodum vt homo & mortuus, & exaltatus est, sic etiam vt homo dr̃ accipere id, quod semper habebat vt Deus, vt gratia data in nos perueniret. Non.n.imminutum est verbum corpus assumens, vt sibi gratiam acquireret, sed potius, vt quod induerat corpus, diuinum redderet. Illud autem humano generi donauit, vt quemadmodum verbum & in forma Dei existens adorabatur, sic etiam factum homo, vocatumq; Iesus. nihilominus res omnes procreatas sub pedibus positas, & eo nomine genua sibi flectentes, seq; collaudantes haberet. Ex eo enim, q̧ verbum caro factum est, & mortem in carne pertulit, nullum ad Diuinitatem dedecus peruenit. Sed gloria potius ad patrem. Siquidem gloria patris est, vt homo, qui perierat, inuentus sit, & qui mortuus erat, sit in vitam reuocatus, & Dei templum euaserit. Qđ autem Dominus, quem virtutes illæ cœlestes semper adorabant, nunc etiam adorent in nomine Iesu, nostra hęc est gloria, atque exaltatio. Et quod Dei filius etiam homo factus colitur & adoratur ab ipsis virtutibus cœlestibus, quæ nos consortes eius, & vnum cum ipso corpus effectos & in loca sua introductos non alienos aut peregrinos existimabunt.

Ex eodem libro.

SI, qm̃ in Psalmo scriptũ est, Propterea vnxit te Deus, Psal. 44.
Deus tuus, occasionem ad ea, quæ volunt confirmanda, ex his verbis arripiunt, animaduertant homines scripturarum imperiti, & impietatis inuētores, hic rursum non verbi præmium virtutis, actionisúe, sed descensus illius ad nos, & vnctionis spiritus in ipso pro nobis factæ causam significari. Non.n.dixit: Propterea vnxit te, vt Deus, aut Rex, aut filius, aut verbum fias. erat enim ante, & semper est, vt declarauimus, sed potius quia Deus es, & Rex, iccirco & vnctus es. Qm̃ non ad alium spectabat, Spiritu sancto hominem inungere, nisi ad te, qui patris imago es, ad quam quidem imaginem, & initio facti sumus. Tuus.n. & spiritus est. Ex rebus enim procreatis nulla erat digna, cui hoc munus cōmitteretur, Cùm & Angeli deliquissent, & homines non obtemperassent. Quapropter Deum ea prouincia postulabat, Deus autem erat verbum, vt hoĩes execrationi obnoxios liberaret. Iã per quē, & à quo oportebat nisi per filium, & à filio spiritum dari, cùm illius spiritus sit. Ecquando autem nos spiritum ipsum accipere potuimus, nisi cùm verbum homo factum est? Nam, vt Apostoli verba significant, non fuissemus redempti, nisi qui in forma Dei est, serui formam accepisset. Et Dauid indicat, nos nũquam fuisse spiritus participes, aut sanctos futuros, nisi verbum, quod spiritum elargitur, dixisset, seipsum spiritu pro nobis inungi. Quo quidem in carne inuncto & nos illum planè accepimus. Carne enim in ipso primùm effecta sancta, cùm per illam ipse, vt homo, dicatur accepisse, nos ex eius plenitudine accipientes consequentem spiritus gratiam obtinemus.

Ex eodem libro.

ILlud: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, non Psal. 44.
quemadmodum vos intelligitis, naturã verbi mutabilem indicat, sed contra potius, immutabilem. Nam, quia rerum procreatarum natura mutabilis est, ideoq; & Angeli deliquerunt, vt dictum est, & homines non obtemperarunt. Et horum actio non est firma & stabilis, sed sæpe contingit, vt qui modo erat bonus, paulo post inuertatur, & alius euadat, & qui paulo ante iustus erat, mox iniustus esse deprehendatur, iccirco vno, qui esset immutabilis, opus erat, cuius immutabilem iustitiam hoĩes tanq̃ virtutis formam & exemplum propositum haberent. Neq; verò vti legibus obnoxius, & in vtraq; partem habens propensionem hoc quidem diligit, illud autem odit, vt amittendi metu alterum complectatur, cùm alioqui mutabilis

sit, sed vt qui Deus est, & verbum Patris, iudex existit iustus, & virtutis amans, vel potius elargitor. Itaq; q̃m natura iustus, ac pius est, iccirco diligere iustitiam dicitur, & iniquitatem odisse. Quod perinde est, ac si diceretur, bonos, ac iustos amare, complectiq;, malos autem & iniustos odio prosequi, & insectari. Idem enim & de patre dicunt
Psal. 10. scripturæ. Iustus Dominus, & iustitiam dilexit. Et, odisti
Psal. 5. omnes, qui operantur iniquitatem. Et Iacob quidem dile
Rom. 9. xit, Esau autem odio habuit.

Arianorum, & Valentini, & Carpocratis confutatio, Valentini quidem Christum, & Angelos eiusdem generis esse dicentis: Carpocratis autem mūdum per Angelos fuisse factum affirmantis: Arianorum verò filium cum Angelis comparantium.

Ex eodem libro.

DE ministerio veteris, & noui testamenti iudicium ferens Apostolus audacter, ad Iudæos scribens, tanto, inquit, melior Angelis factus, &c. Iccircò vti noluit absoluta comparatione, ac dicere, maior aut honoratior, ne quis de Christo & de Angelis id, tanq̃ de iis qui eiusdem essent generis dictū existimaret. Sed dixit, melior, vt naturæ differentiam inter filium, & res procreatas ostenderet. Id quod ex aliis diuinę scripturæ locis intelligi potest.
Heb. 1.
Psal. 83. Nam & Dauid ita canit: Melior est dies vna in atriis tuis su
Pro. 8. per millia. Et Solomon, Accipite, inquit, disciplinā, & non argentum, & cognitionem super aurū probatam. melior enim est sapientia lapidibus pretiosis; & quicquid pretiosum est, non est illa dignū. Quis enim non videt diuersam, atque aliam esse naturam sapientiæ, atque lapidū, qui sunt è terra. Quę verò cognitio cœlestibus atriis cū terrestribus domiciliis. aut quę rebus æternis & spiritalibus cū caducis & mortalibus similitudo? Et Esais ita loquitur: Hec dicit Dominus, Eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & ele-
Esa. 55. gerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meū, Dabo illis in domo mea, & in muris meis locum celebrem, Nomen filiis & filiabus melius, & sempiternum dabo eis, quod nō peribit. Sic nulla prorsus generis coniunctio est filio cum Angelis. Quamobrem ea vox, Melior, non comparationē significat, sed differentiam, qua illius natura distat ab Angelorum natura. Ac ipse quidem Apostolus vocem illam, Melior, interpretans nihil aliud notat, nisi differentiam, quæ est inter filiū & res procreatas. Dicit enim illum esse filiū, hos autem seruos. Illum vti filium sedere ad dexteram patris, hos vti seruos astare, & mitti, & ministrare. Quare si eorum, qui creati sunt, filij, diuersi sunt ab eo, qui ex patris essentia solus est proprius filius, stultum est id, quod Ariani colligunt ex ea voce, Factus. Nam & in his turpiter conuicti coguntur rursum dicere, ea verba fuisse per comparationem prolata, & quæ comparata sunt, eodem genere cōprehendi, & filij eius esse naturæ, cuius & Angeli sunt, vt primùm illis erubescendum sit, quod Valentini, & Carpocratis, & aliorum Hæreticorum sententias æmulentur, & probent. Cùm Valētinus quidem Christū, & Angelos eiusdem esse generis dicat, Carpocrates aut mundum ab Angelis conditū affirmet. A quibus & ipsi fortasse edocti Dei Verbum cum Angelis comparant. Verum hæc opinantes
Psal. 88. refellentur a Dauide ita concinente: Quis similis erit Do-
Psal. 85. mino in filiis Dei? Et quis similis tibi in Diis Dñe? Audiant tamen & isti, si forte queant intelligere, quomodo ea, quæ genere coniuncta, non autem quæ genere diuersa sunt, soleant inter se comparari. Nullus enim Deum cum homine comparat, nec hominem cum animalibus, quæ ratione carent, nec cum lapidibus ligna propter naturæ dissimilitudinem. Sed cū Deo quidem nihil comparari potest. Homo autem cum homine comparatur, & lignum cum ligno, & lapis cū lapide. Ac de his quidem nemo dicet, Melius, sed, magis, &, plus. Vt Ioseph magis formosus est, q̃ fratres eius. Et Rachel magis pulchra, quam Lia. Et stella non est melior, quā alia stella sed potius differt in claritate. At de illis, quæ genere diuersa sunt, cum loquimur, tum voce hac, Melius, recte vtimur. Quemadmodum de sapientia, & lapidibus dictum est. Quare si dixisset Apostolus: Tantum Angelis filius præstat, aut tanto maior est, possetis dicere, filium cū Angelis cōferri. Nunc aūt cùm dicat, illum tanto Angelis meliorem, tantumq; ab illis distare, quantum à seruis filius distat, eum ab Angelis natura diuersum esse demonstrat. Cumq; rursus dicat, eum omnia fundasse, declarat, ipsum ab omnibus rebus procreatis diuersam naturam habere. Iccircò enim & filius non dixit: Pater melior me est, Io
ne quis se à patris natura alienum diceret, sed dixit, maior me est, non vlla tñ magnitudine, nec tempore, sed ob id, q̃ ex patre genitus est. Quinetiam Apostolus ipse non præcipuè dixit, Tanto melior Angelis factus, vt verbi naturā à rerum procreatarum natura per comparationem distingueret, cùm nihil ei comparari valeat, quæ prorsus alia, diuersaq; sit, sed potius, vt verbi peregrinationem in carne, & consilij eius in genere humano seruādo dispositionem, respiciens ostenderet, hoc non esse simile eorum, qui præcessissent, vt quātum ab illis differret, qui ab ipso prius fuerant missi, tanto etiam gratiā ab ipso & per ipsum allatam Angelorum ministerio meliorem esse cōstaret. Seruorum enim illud tantum erat, vt fructus repeterent, filij verò, vt quæ debebantur, condonaret, vineamq; transferret. Tanto melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Et rursum. Heb
Nunc autem præstantius ministerium assecutus, quanto Heb
melioris etiam testamenti mediator est, quod quidem melioribus promissis sancitum est. Nihil. n. ad perfectionem adduxit lex. sed introductio fuit melioris spei. Et rursum, necesse, inquit, erat, exemplaria quidem cœlestium his mū Heb
dari, ipsa verò cœlestia melioribus hostiis, q̃ istis. Melius & hic, & vbiq; ad Dominum refert, qui & melior, & alius est, q̃ res ipsæ procreatæ. Melior. n. est. ipsius hostia, melior in ipsum spes, & meliora promissa ab ipso allata, non tanq̃ magna cum paruis comparata, sed vt alius omnino naturæ, quādoquidem & is, qui illa ministrauit, melior est rebus ipsis procreatis. Et illud: sponsor factus est, indicat sponsionem ab illo pro nobis factam. Sicut. n. verbum existens factus est caro, Quod tñ ad carnem referimus, quæ quidem facta, & creata est, sic & hoc loco illud, Factus, ad testamenti ministeriū refertur ab Apostolo. Illud, Psal
fias mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias, & illud, Dominus factus est refugium Psal
pauperi, & quæcūque his similia in diuinis scripturis inueniuntur, si ad filium, quod quidem fortasse verius est, referri dicunt, animaduertant, homines sanctos non optare, vt sibi sit adiutor, & domus refugij, quatenus creatus est. Quamobrem & verba illa, factus, & fecit, & creauit, sic accipiant, vt ad eius in carne præsentiam referantur. Tunc Pro
enim factus est adiutor, & domus refugij, q̃n corpore suo Psal
peccata nostra in lignum sustulit, & dixit: Venite ad me Mat
omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Sin ad patrem ea referenda dixerint, cùm & hic scriptum sit: fias, &, factus est, tanta videntur esse confidentia, & arrogantia, vt Deum etiam factum dicant, & quæ de verbo

ipsius asserunt, eadem ad illum referant, Id enim ex verbis ipsis consequitur, vt eadem de patre cogitent, quæ de verbo comminiscuntur.

Multis argumentis ostendit, filium, esse eiusdem essentiæ cum patre. Ex secundo libro cōtra Arianos.

SI filius non est, qũo Deum creatorem esse dicitis? Nam si per verbum, & in sapientia fiunt omnia, & sine hoc fieri nihil potest, non habet per vos, in quo, & per qd' omnia facit. Quod si diuina ipsius essentia per vos fœcunda non est, sed sterilis, instar hominis non illustrantis, & fontis aridi, cur non erubescitis, cùm illum vim procreandi habere dicitis? Nónne vos pudet, cùm id auferatis ei, quod ad naturam pertinet, illud, quod ad voluntatem spectat, concedere? Quòd si ea, quæ sunt extrinsecus, & quæ non erant prius, cùm vult illa esse, facit, & est eorum procreator, multo magis est filij ex propria essentia pater. Nam si Deo voluntatẽ in rebus procreandis conceditis, Cur in eo illud, quod hac voluntate superius est, non agnoscitis? Præstat enim ipsum natura esse, & esse proprij Verbi patrem, quam voluntate mundum constituere. Quòd si illi stultitia vestra adimitur id, quod naturale est, quomodo suppetet illud, quod est voluntariũ? Prius enim est Verbum, deinde res procreatę. Quòd si rerum procreator est, & Verbum habet nimirum non extrinsecus, sed proprium ex se. Hoc enim rursum est repetẽdum, si voluntatẽ habet eam, quę rerum effectrix est, & quę ad res condendas satis est, Verbum autem ipsius est efficiens, & creans, non est dubium, quin Verbum ipsum sit viua voluntas Patris, & actio per essentiam existens, & Verbum illud verum, quo præclarè cuncta constituit, & moderatur. Nullus autem ambiget, quin is, qui concinnè res disponit, cōcentu ipso, & rebus ordine constitutis prior sit, posteriusq́;, vt antę diximus, sit apud Deum mundum procreare, q̃ filium gignere. Quamobrem cùm de re, quæ facta, creatáue est, verba fiunt, tunc illis vocibus, fecit, & facta est, & creauit, aut creata est, rectè vtimur, vt opus ipsum demonstretur. At cùm res, de qua loquimur, & filius est, tunc ille voces non adhibentur, aut certè adhibentur improprie. Vt cùm patres à se genitos filios appellant seruos, nō tamen veros esse filios negãt. Aut cùm Domini humanitate, & beneuolentia quadam adducti seruos vocant filios, non tamen se eorũ esse Dominos abnuunt. Illic enim patres authoritatę vtuntur sua, hic autem Domini benignitate. Sara quidem Abraham Dominum suum appellabat, quanuis non esset serua, sed coniux. Et Apostolus Philemoni Domino seruum Onesimum vt fratrem reconciliauit. Bersabee vero, licet mater esset, filium vocauit seruum. sic enim Dauidem allocuta est, Solomonem, inquiens, seruum tuum, &c. Deinde & Natã Propheta ingressus, eadem, quæ illa, locutus est, Quoniam Solomonem, inquiens, seruum tuum. Non veriti sunt filium nominare seruum. Attamen & Dauid audiens, filium proprium intellexit: & illi, qui loquebantur eũ esse legitimum filium nō ignorabant, cùm vellent illum, quem seruũ appellabant, patris hęredẽ fieri. Erat. n. naturalis filius Dauidis. Eodẽ mō cùm de seruatore nostro, quẽ verè filium cōfitentur, hoĩes sancti dicunt, eũ fidelem esse
[...]b. 8. illi, qui ipsum fecit. Aut cũ ipse de se, Dominus, inquit, creauit me. Et, ego seruus sum, inquit, tuus, & filius ancillę tuę,
[...]l. 115. Hæc, & alia eiusmodis cùm quidẽ audiunt, ne filij negent proprietatẽ ex patre. Alioquin cùm audientes Solomonẽ seruum dici, filium tamen confitentur, nónne digni sunt, qui millies pereant, nisi eandẽ de Domino cogitationem suscipiant? præsertim si, cùm audiunt germen, & Verbũ, & sapientiam, has voces ita conantur detorquere, vt naturam, & filium verè genitum ex patre negent. Audientes autem verba, quæ rei factæ congruunt, de illo dici, statim eo ferantur, vt filium natura factum opinentur, & Verbũ negent, cùm tamen possint, omnia illa verba, quoniam factus est homo, ad humanitatem eius referre. Quãquam Ezechias, vt apud Esaiam scriptum est, optans dicebat, Ex hac die filios faciã, hoc est, gignã. Et Eua, cùm peperisset Cain, Possedi, inquit, hominem per Deum, cùm dicere debuisset, peperi, quippe quæ de partu mentionẽ fecerat. Gen. 4.
Neq; tamen propterea ꝙ dixit, possedi, putaret aliquis, eã emisse Cain, non autem peperisse. Et Patriarcha Iacob sic allocutus est Ioseph, Nunc igitur, inquiens, duo filij, qui facti sunt tibi in Aegypto prius, q̃ ego in Aegyptum venirẽ ad te, mei sunt, Ephraim, & Manasses. Et de Iacob ita scriptum est, facti sunt ei septem filij, & filiæ tres. Quemadmodum Moses dixit in lege: si fient cuipiam filij. Et si filium fecerit. Ecce qũo filios, qui geniti sunt, factos dicant, cùm probè sciant, fore, vt intelligantur esse filij, nec quicquam referre, vtrum facere, an gignere, an possidere dicas, Qñ natura, & veritas cogitationem hominis ad se trahit. Quãobrem quærentibus, vtrum Dñs factus, creatusq́; sit, ita respondendum est, vt ipsi prius vicissim interrogentur, an filium, & verbum, & sapientiam esse fateantur. Hoc. n. cōcesso statim omnis dubitatio, & controuersia tollitur. Neque enim res facta filius, aut verbum esse potest, neq; rursum filius res facta. Animaduerte aũt quantus error consequatur, si filium dicamus esse factum. Cuncta quæ fiunt, vt inquit Solomon in Ecclesiaste, Deus in iudicium adducet. Eccl. 12.
Quare si verbum est res facta, nobiscum in iudicium adducetur. Ecquod autem iudicium erit, si iudex ipse iudicabit? Quòd si perturbantur, qñ scriptum est, eum esse fidelem Heb. 3.
ei, qui fecit ipsum, ꝙ existiment hanc vocem, fidelem, ita de illo, vt de omnibus accipi, cùm is qui fidelis est, hoc est, qui credit, mercedem accipiat, videant, ne hoc nomine Mosem etiam in crimen vocent, qui, Deus, inquit, fidelis Deut. 7.
est, & Apostolum ipsum ita scribentem, Fidelis Deus, qui 1. Cor. 10.
non permittet vos tentari supra id, quod potestis. Sciendũ est igitur viros sanctos non ea, quę hominibus conueniũt, in Deum conferre, sed vocem hanc, fidelem in scriptura dupliciter accipi. Nam fidelis dicitur & is, qui credit, & is, qui dignus est, vt ei credatur. Illud hominibus congruit, hoc Deo. Proinde fidelis Habraham, qui Deo loquenti credidit. Fidelis est Deus, qñ, vt Dauid cecinit, Fidelis est Psal. 144
Dominus in omnibus verbis suis, & dignus, cui fides habeatur, & mentiri non potest. Et locus igitur ille, vbi scriptum est, fidelem esse ei, qui fecit ipsum, non ita est intelligendus, vt ad similitudinem hominum credens placuerit, sed quod cùm sit veri Dei filius, fidelis est etiam ipse, hoc est dignus, cui fides habeatur in omnibus, quæ vel facit, vel dicit. stabilis. n. & ipse est, & non mutatur, quantum ad humanam dispositionem, & ad eius in carne aduentum pertinet. Non. n. ab Apostolo id dictum est de illo antequã creatus est, sed posteaquã verbum caro factum est. Qñ. n. missus est? nónne qñ carnem nostram induit? Qñ princeps confessionis nostræ factus est? Nónne qñ corpus suum, cũ se pro nobis obtulisset, à mortuis excitauit? Et nunc accedentes ad fidem suam adducit, & offert patri, cùm omnes redemerit, & omnibus Deum placuerit. Absit igitur, vt credamus, Apostolum dixisse, fidelem eum esse illi, qui fecit ipsum, vt verbi essentiam, & ortum ex patre significaret. verbum. n. facit, non autem fit, sed vt eius ad homines descensum, & pontificatum ostenderet, quem facilè ex lege & historia Aaron poteris intelligere.

Ex Aaron historia mysterium Christi constituens arguit illos, qui de ipso minus recte sentiunt.

Ex eodem libro.

Hic Aaron non pontifex, sed homo natus est. Post autem, qñ placuit Deo, factus est Pontifex, neq; simpliciter factus est, sed ita, vt non ex solitis vestimentis agnosceretur, sed superhumerale, & rationale & tunicam indueret, quæ quidem ornamenta mandato Dei mu-
Exo. 28. lieres confecerant. His indutus in sancta ingrediebatur, & pro populo sacrificiũ faciebat. Sic & Dominus initio quidem verbum erat, sed quando voluit pater, illius sacrificio pro omnibus oblato placari, tunc, vt Aaron tunicam, sic verbum carnem humanam sumpsit è terra. Mariam enim virginem, vt terram intactam, sibi matrem elegit. Vt habens iam, quod immolari posset, tanq̃ sacerdos se ipsum offerret patri, & proprio sanguine nos omnes expiaret à peccatis, & à mortuis excitaret. Et quẽadmodum Aaron, non mutabatur, licet veste sacra esset indutus, ita verbum, manens id, quod erat, tantũmodo tegebatur. Et qui Aarõ sacrificantem conspicatus dicebat, ecce habemus hodie Pontificem Aaron, non significabat, eum tunc esse factũ hominem. Erat.n.homo prius, q̃ sacerdos fieret. Sed ministerio factum esse Pontificem, amictumq; vestimentis ad eum qui munere pontificio fungeretur exornãdum factis & comparatis. Eodem modo possumus de Dño rectè cogitare, eum assumpta carne non alium esse factum, sed ea se contexisse. Et illud, factus est, nefas est, sic interpretari, vt eum, quatenus verbum est, factum intelligamus. Sed ita accipiendum est, vt cùm esset verbum, & procreator, deinde assumpto corpore facto, & procreato, quod pro nobis offerre posset, Pontificem esse factum cognoscamus. Qñ.n.factus, aut missus est, nisi cùm nostræ similem carnem & sanguinem sumpsit? Et quando factus est misericors, & fidelis Pontifex, nónne tunc, cùm per oĩa fratribus similis euasit? Tunc autem fuit eiusmodi, cùm homo factus est. Et misericors effectus est, cùm se pro nobis offerens misertus est nostri. Iam fidelis est factus, non fidem accipiens, aut in aliquem credens, quemadmodum nos, sed dignus existens, cui fides in omnibus, quæ dixerit, aut fecerit, habeatur. Et quòd fidelem hostiam illam permanentem, & nunquam deficientem offert. Nam quæ legis præscripto immolabanť hostiæ, fideles, ac firmæ non erãt. Seruatoris autem hostia semel oblata perfecit omnia, & fidelis est, æternumq; permanet. Fidelis est igitur, vt qui nõ mutatur, sed idem manet, promissaq; perficit, Videte, in-
Luc. 24. quiens, quia ego sum, & non mutor. Itaq; verba illa factus est, formatus est, & creatus est, hominem illum significant
Act. 2. esse factum. Quamobrem & Petrus cùm dixisset; Dñm, & Christum fecit ipsum, statim subiecit; hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Neq; enim, vt ante monuimus, dixit, Fecit ipsum verbum, sed Dominum. Nec simpliciter, sed in vos, & in medio vestrum fecit. Quod perinde est, ac si diceret: declarauit. Id quod ipse Petrus hanc doctrinam exordiens cum obseruatione significabat, cùm Iudæos sic alloqueretur: Viri Israëlitæ audite verba hæc. Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus, & prodigiis, & signis quæ fecit Deus ꝑ illum in medio vestri, sicut vos scitis. Quod.n.in orationis fine dictum est, fecit, hic dicit approbauit, seu declarauit. Ex signis enim, & rebus admirandis, quas Dominus fecit, non simpliciter declaratus est homo, sed in corpore humano Deus, & Dñs,
Io. 5. & Christus. Hoc & in Euangeliis à Ioanne indicatur, qui, Propterea, inquit, magis prosequebantur ipsum Iudæi, quod non modo soluebat sabbatum, verumetiam patrem proprium dicebat Deum, seipsum faciens æqualem Deo. Apo. 1
Non.n.fingebat seipsum Dominus Deum, neq; est omnino factus Deus, sed ipsis factis ostendebat, Et si mihi, inquiens, non creditis, operibus meis credite, vt cognoscatis, me esse in patre, & patrem in me. Perspicuum igitur est, qui nunc Dominus, & Christus, seu Rex declaratur, eum non habere principium, vt nunc Dominus fiat, & Rex, Iud. 13
sed potius vt dominatum & regnum ostendat suum, cuius vis ad contumaces & incredulos vsque protenditur. Et ille quidem initium non habuit, vt esset Dñs noster, sed nos Psal. 96
ipsum habere Dominum nostrum incepimus. Neq; verò simpliciter ipsum fecit, sed fecit, vt omnibus imperaret, & omnes vnctione sanctos efficeret. Non.n.decebat, vt per alium nisi per naturalem Dominum genus humanum redimeretur, ne, qui per filium creati sumus, alium Dñm ap- Io. 13.
pellaremus, incideremusq; in Arianorum Græcorumq; Io. 20.
stultitiam, qui præter Deum rerum omnium procreatorẽ rei procreatæ deseruiunt. Psal. 23

Ex eodem loco in Arianos, qui dicunt, filium instrumenti partes egisse, & propter nos esse factum.

Pater meus vsq; nunc operatur, & ego operor, Illud, Nunc, significat ipsum, vt Verbũ, in patre esse ab omni æternitate. Nam Verbi proprium est, opera patris operari, & extra patrẽ non esse. Quòd si ea, quæ pater agit, agit & filius, & quæ creantur à filio, patris sunt opera. Filius autem, vt isti volunt, est opus patris, & creatus à patre, aut ipse se facit, & creat, quando quidẽ ea, quæ pater agit, sunt etiam opera filij, Quod quidem absurdum est, & fieri nõ potest. Aut faciens & creans ea, quę patris sunt, ipse nec factus, nec creatus ẽ, ne, qui causa efficiẽs ẽ, in rebus factis reperiatur. Iam qũo pater per filium creat, nisi verbum ipsius est & sapientia? Qũo autem verbum & sapientia illius sit, nisi proprium sit eius essentiæ germen, sed ex nihilo etiã ipse procreatus? Qũo autem, cùm omnia ex nihilo facta, creataq; sint, filius, si vnus eorum est, solus ex omnibus illis quondam non existentibus, patrem declarat, & nemo alius, nisi ipse solus patrem cognoscit? Nam si fieri potest, vt hic sit opus, & cognoscat patrem, ab omnibus etiã pro cuiusq; modulo cognoscatur, quando sunt opera, quemadmodum & ille. At si quæ facta sunt ipsum nec videre, Mat. 10.
nec cognoscere possunt, quòd omnium vires superet aspe- Matth. 6
ctus eius & cognitio, cùm Deus ipse dicat, Nemo videbit faciem meam, & viuet, Et filius, Nemo nouit patrem nisi filius, Verbum vtique aliud est, quam ea, quæ facta sunt, cùm ab eo solo cognocatur, & videatur pater. Qũo igitur Verbum solum nouit patrem nisi proprium illius est Verbum? Qũo autem proprium ipsius sit, si creatum est? si verus eius filius, & ex ipso non est? Quòd autem filius sit, & solus proprius, non autem opus factum creatumúe, pater ipsius ostendit, Filius, inquiens, meus es tu. Et, hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quamobrem & Angeli ministrabant ei, vt qui ab illis natura diuersus esset, & ab ipsis adoratur, non vt qui gloria præstet, sed qui planè alius sit, q̃ reliquæ res procreatæ, & ipsi etiã Angeli, vtpote solus patris proprium per essentiam filius. Etenim si, vt gloria excellens adoraretur, quicunque præstarent, & excellerent, ab inferioribus essent adorandi. Hoc autem non fit, Nec res vlla creata rem creatam adorat, sed seruus Dominum, & quę creata sunt, adorant Deum. Petrus quidem Apostolus cornelium volentem se adorare prohibet, Act.

& ego,

& ego, inquiens, homo sum. Et Angelus in Apocalypsi ad
Apo. 19. Ioannem, qui volebat ipsum adorare, Vide, inquit, ne feceris. Conseruus tuus ego sum, & fratrem tuorum Prophetarum, & eorum, qui obseruant verba libri huius. Deum adora. Quare Deus solus est adorandus, id quod norunt etiam ipsi Angeli. Quãuis enim inter illos alius alij gloria antecellat, omnes tamen creati sunt, ideoq; non adorari, sed adorare Dominum debent. Patrem quidem Sampsonis Ma-
Iud. 13. noen, qui volebat Angelo sacrificium offerre cohibuit. Angelus, Ne mihi, inquiens, sed Deo sacrifica. At Dominus ab Angelis adoratur. Scriptum enim est: Et adorent eũ
Psal. 96. omnes Angeli Dei. Et ab omnibus gentibus. Et adorabũt te, inquit, Esaias, & vouebunt tibi. Q̃m in te Deus est, & nõ est alius Deus præter te. Discipulos quidem adorantes non solum admittit, verumetiam certiores facit, quis ipse sit, Nónne vos, inquiens, vocatis me magistrum, & Dominũ?
Io. 13. & bene facitis. Sum enim. Et Thomam dicentem, Domi-
Io. 20. nus meus, & Deus meus, permittit dicere. atque adeo non prohibens probat. Est enim, quemadmodum & alij Pro-
Psal. 23. phetæ dicunt, & Dauid ipse canit, Dominus virtutum, & Dominus Sabaoth, & Deus verus, & omnipotens. Cur autem non eodem mandato, quo facta sunt omnia, factus sit filius à Deo, Aut cur per hunc, qui factus est etiam ipse, omnia facta sint, dicant ipsi. Quãuis enim omnia, quæ dicunt, sint absurda, & à ratione aliena, audent tamen ita loqui. Deus, inquiunt, cùm vellet rerum omnium vniuersitatem procreare, videret autem eam esse naturam ipsarum, vt non posset à se, qui immensus est, procreationem capere, solus solum vnum fecit, & creauit, & hũc filium, & Verbum appellauit, vt eius opera & reliqua omnia deinceps fieri possent. Quis non ex verbis istis absolutam eorum impietatem agnoscat, quam sibi ipsi multa cum imperitia miscentes non erubescunt tanq̃ ebrij à veritate deficere? Nã si dixerint, Deum, ne in reliquis rebus procreandis defatigaretur, solum ipsum filium fecisse, Cùm ipsa rerum procreatarum vniuersitas reclamabit, & voce quodammodo clarißima dicet, eos quę Deo indigna sunt, loqui, Tum scriptis suis illos compescet Esaias, Deus, inquiens, æternus, q. fecit summitates terræ, non esuriet, neq; defatigabitur, neque est inuentio prudentiæ eius. Sin affirmauerint, Deum fecisse filium solum, eiq; rerum vniuersitatem, quam ipse creare dedignaretur, commisisse, & hoc Deo indignũ esse constabit, cùm in eo nulla sit superbia. Et Dñs sententiam
Mat. 10. eorũ euertet, Nónne duo, inquiens, passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro,
Matth. 6. qui in cœlis est? Et rursum, Nolite, inquit, solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neq; corpori vestro, quid induamini. Nónne anima plus est, q̃ esca? & corpus plus, q̃ vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neq; nent, neq; congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa. Nónne vos illis antecellitis? Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? considerate lilia agri, quõ crescunt, non laborant, neq; nent. Dico autem vobis, neq; Solomon in omni gloria sua vestiebat, sicut vnum ex his. Si autem, fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? quare si Deo non est indignum, vt tam parua, nempe capillum, caput, & passeres, & fœnum agri curet, nec eadem vt faciat indignum est Deo. Quibus.n. consulit, & prospicit, eorum etiam per Verbum proprium effector est. Quid? quòd maius etiam incommodum ita loquentes consequitur? Diuidunt enim res procreatas ab ipsa procreatione, & hanc Dei opus esse volunt, illas autẽ opera filij esse contendunt. Perspicuum autem est, aut omnia simul cum filio à Deo patre fieri, aut si per filium omnia fiunt, ipsum filium eorum, quæ fiunt, non esse vnum. In hoc præterea stultitia istorum coarguitur. Nam si Verbum ex eorum est numero, quę procreata sunt, quomodo quam ipsa nequeunt, solum Verbum sustinere ipsius Dei procreationem poßit, vt ab immensa ingeniti Dei natura fiat? Necesse enim est vt si Verbum potest, & omnia possint, aut si hæc non possunt, ne Verbum quidem poßit, si quidem Verbum, vt ipsi sentiunt, est vnum ex iis, quę facta sunt, Ad hæc si propterea quòd natura, quæ creatur, & fit, ipsius Dei procreationem capere non valet, necesse fuit, vt medium aliquod fieret, si & Verbum procreatum est, medio fuit aliquo opus ad eius procreationem. Quòd si ita sit, & medium hoc rursum alio medio, & aliud alio deinceps indigebit, atque ita erit necessaria infinita mediorum multitudo, nec res nouo semper egentes medio vnquam consistent. At enim Deus per Mosem eduxit populum ex Aegypto, & per eundem, quanuis esset homo, legem dedit. Ex quo, inquiunt, constat similia per aliud simile fieri posse. Quæ isti cùm dicunt, miror, cur non se in latebris condant, ne præ pudore confundantur. Moses non ad creandum missus est, neque ad vocandum ea, quę non sunt, vt essent, neque ad sui similes homines conflandos, & effingendos, sed ad munus hoc obseruandum, vt Dei verba populo, & Pharaoni Regi nuntiaret. Quis autem infinitam in his differentiam non videt, cùm legationis munere fungi, & ministrare, sit eorum, quæ creata, & serua sunt, proprium, facere autem & procreare solius Dei, & Verbi ipsius, & sapientiæ? Quapropter nullus inueniet, quenquam procreare, nisi solum Dei Verbum. Omnia enim in sapientia facta sunt, & sine Verbo ne vnũ quidem factum est. Ad alia autem munera obeunda non vnus ex omnibus deligitur, sed multi, quos vult ipse Deus. Multi enim adsunt Archangeli, multi Throni, multæ Potestates, multæ Dominationes, innumerabilia deniq; præsto sunt millia ministrorum, qui prompti expectant mittẽtis imperium. Prophetæ præterea multi, & Apostoli duodecim, & Paulus, & Moses ipse nec solus tamen, sed & Aaron cum ipso, & alij item septuaginta duo discipuli repleti Spiritu sancto, & Mosi successit Iosue filius Nauæ. & huic ipsi Iudices, & his non vnus, sed multi Reges. Quòd si creatus, & vnus ex iis, qui facti sunt, erat filius, esse multos eiusmodi filios oportebat, vt multos eiusmodi ministros haberet Deus, Quemadmodum & in aliis ordinibus multi sunt. Quòd si non licet hoc intueri, sed cùm multæ res creatæ sint, vnum duntaxat Verbum est, quis non animaduertit, filium à rebus omnibus procreatis ita differre, vt nihil æquale cum illis habeat, sed omnia cum patre propria, & paria? Quamobrem non multa sunt Verba, sed vnum patris Verbum, & vna imago Dei. At sol etiam, inquiunt, solus est, & terra vna. Eadem ratione dicant etiam aquam esse vnam, & ignem esse vnum, homines imperiti, qui nesciunt, vnumquodque eorum, quæ facta sunt, sic vnum esse natura sua, vt non ob id tamen ad eiusmodi munus exequendum sit idoneum. Sic enim singula vnum sunt, vt mutua quasi membra quædam inter se sint, & vnum quodammodo corpus mundum conficiant. Quòd si filium etiam talem existimant, repellantur ab omnibus, vt qui partem vniuersitatis Verbum asserant, & partem eiusmodi, quæ sine aliis partibus commissum sibi munus obire non poßit. Istuc autem plane constat esse impium, agnoscant Verbum non procreatum, sed omnium procreatorem. At enim ita factum, & creatum affirmant, vt

ab effectore suo tanq̃ à magistro didicerit procreare, atq; ita præceptori Deo inseruire. Hæc.n.& Asterius sophista, vt qui didicit negare Deum, ausus est literarum monumentis mandare, nec animaduertit, q̃ absurda sint, quæ ex his consequuntur. Nã si creandi ratio doceri potest, caueant, ne Deum etiam ipsum non natura, sed doctrina procreatorem esse dicant, vt possit etiam artem obliuisci. Præterea si sapientia Dei discendo assecuta est, vt procrearet, qũo sapientia est, cum indigeat disciplina. Quid porrò erat antè, q̃ disceret? Sapientia enim dici non poterat, cùm scientia & peritia vacaret. Inanis ergo res erat, nec verè sapiẽtia, sed progressu ipso sapientiæ nomen obtinebat. Et tandiu erit sapientia, quandiu id, quod didicit, conseruabit. Quod enim non natura insitum est, sed doctrina partum, dediscí aliquando potest. Hæc autem de verbo Dei dicere non Christianorum hominum est, sed Græcorum, & infideliũ. Etenim si docendo procreandi ratio cuipiam traditur, Deus ab istis dementibus & inuidus & imbecillus inducitur. Inuidus, quòd eam rationem non plures edocuit, vt quemadmodum multi sunt, circa ipsum Angeli. sic etiam multi essent procreatores. Imbecillus, quòd non potuit ipse solus facere, sed ministri opera indiguit. Præsertim cũ demonstratum sit, rerum vniuersitatem potuisse à Deo solo fieri, siquidem ex eorum sententia filius etiam factus, potuit à solo Deo fieri. Verùm nulla re eget Deus. Absit. Ipse enim, plenus sum, inquit. Neq; doctrina Verbum factum est procreator, sed cùm sit imago, & sapientia patris, ea, quæ patris sunt, facit. Neque rerum procreandarum gratia Deus filium fecit. Nam adhuc agit pater, licet filius adsit. Pater enim, inquit ipse Dominus, vsque nunc operatur

Io. 5. & ego operor. Quòd si, vt isti sentiunt, propterea factus est filius, vt ipse ageret, pater autem etiam post filium agit, ex istorum sententia frustra videtur filium effecisse. Quãquam cùm vellet res procreare, cur medij cuiusquam operam exquisiuit, cùm eius voluntas, ad ea, quæ illi placent, conficienda satis sit. Sic enim scripturæ testantur his verbis: omnia, quæcunque voluit, fecit. Et, voluntati eius quis restitit? Quòd si voluntas eius satis est ad rerum omnium procreationem, ex sententia ipsorum alterius opera medij superuacanea est. Nam Mosis, & solis, & lunæ exemplum, quod afferunt, nullius esse momenti declaratum est. Iam, vt hoc etiam argumento confutentur, si Deus volens rerum vniuersitatem procreare, deq; ea re consulens excogitat, & creat filium, vt ipsi dicunt, videant, quãtam impietatem audeant pronuntiare. Primùm videtur ipse filius propter nos factus esse, non autem nos propter illũ. Non enim nos propter ipsum creati sumus, sed ipse propter nos factus est, vt nobis potius ille gratiam debeat, quàm nos illi. Quemadmodum & mulier viro. Non enim,

1. Co. 11. inquit, vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Quarè, sicut vir est imago, & gloria Dei, Mulier autem est gloria viri, ita nos imago Dei, & gloria ipsius facti sumus, filius autem imago nostra, & ad gloriam nostram factus est. Et nos quidem facti sumus, vt essemus, Dei autẽ Verbum propter nos, non vt esset, sed ut nobis vsui esset, tanquam instrumentum factum est, vt non ex ipso nos, sed ipsum ex vsu nostro consisteret. Qui hæc vel tantummodo cogitant, nónne omnem stultitiam superant? Etenim si propter nos factum est Verbum, ne prius quidem, quàm nos, est apud Deum. Neque enim Deus habens illud in se de nobis consuluit, sed nos habens in se consuluit, vt isti dicunt, de ipso Verbo. Hoc aũt si ita est, fortasse ne voluit quidem filium pater. Non enim volens ipsum creauit, sed volens nos, propter nos illum fecit. Post nos enim ipsum excogitauit. Quamobrem ex impiorum sententia sequitur, vt superuacaneum sit rerum instrumentum, quarum causa factus est. Iam si filius, vt qui solus posset à Deo solo fieri, ab eo factus est, Nos autem, vt qui nõ possemus à Deo fieri, per Verbum facti sumus, cur non prius etiam de ipso, vt quod fieri posset, consuluit Deus, sed de nobis? Aut cur non illud, cùm sit eiusmodi, nobis imbecillis prætulit, Aut cur prius ipsum faciens, non prius etiam de ipso deliberat? Aut cur prius de nobis consulens, non priores etiam nos facit, cùm eius voluntas satis sit ad res constituendas? sed prius illud creat, de nobis autem prius consulit, & illo priores nos vult? Quid? quòd volens nos creare, & de nobis consulẽs res creatas appellat: Verbum autem, quod propter nos facit, filium, & hæredem proprium vocat? Aequius aũt erat, vt nos, quorum gratia & Verbũ facit, filios appellaret. An perspicuum est, Deum prius cogitare, & velle hunc, qui filius est, & propter quem, & omnes nos facit? Quando enim Deus, aut Mosem alloquitur, aut Abraham promittit, Tunc audientes illi respondent, hic quidem, quomodo, inquiens, id sciam? Ille autem, Mitte, inquiens, alium. Et rursum, si me, inquiens, interrogauerint, quod illi est nomen, Quid illis respondebo? Horum enim vterque Verbum habet medium, & sapientiam Dei, patris propositum cognoscentem. At quando Verbum agit, & creat, non est illic interrogatio, & responsio. In ipso enim pater est, & Verbum in patre. Sed satis est velle, & protinus opus perfectum est. Vt propositi quidem, ac voluntatis indicium sit illa vox, Dixit. Verbis autem illis, & factum est ita, opus per Verbum & sapientiam, in qua & patris voluntas est, factum ostendatur. Heb. 4

Ex eodem libro. In Arianos, inter quos & Samosatensis cõprehenditur, quoniam & ipse censuit, filium Dei nihil aliud esse nisi Verbum enuntiatum, & mandatum diuinum, quo pater tanquam artifex vt instrumento mechanico, vsus sit ad rerum vniuersitatem constituendam.

QVomodo inquiunt, filius ab omni æternitate potest simul esse cum patre? Qñ filij post tempus homines ex hominibus fiũt. filius autem principium habet, cũ genitus est, Et nullus oĩno hominis filius erat ante, q̃ gigneretur? Rursumq; garriunt ad hunc modũ, Qũo potest filius Verbum esse? aut Verbum imago Dei? Quando Verbum hominis ex syllabis constans solum loquentis cogitationem indicat, & simul ac prolatum est, dissipatur, & euanescit? Isti quidem earum rationem, quibus ante cõfutati sunt, obliti, hæc iterum afferunt, sed veritatis Verbum eos refellit hoc modo, si de homine quopiam disserunt, humano more de verbo, deq; filio ipsius loquantur. Sin de Deo, qui homines procreauit, non humana, sed excellentiore quadam ratione de illo cogitent. Qualis.n.genitor est, talis est etiam, qui gignitur, necessario. Et qualis est pater, tale nimirum & Verbũ eius. Quapropter homo in tempore genitus, in tempore & ipse filium gignit. Et qm̃ ex nihilo factus est homo, iccirco verbum etiam illius in nihilum redigitur & aboletur. Deus aũt, vt scriptum testatur, non est, sicut homines sunt, sed est ille, q est, & qui semper est, Itaq; & Verbũ eius verè est, & ab omni æternitate cum patre est, tanq̃ splendor lucis. Atque hominũ quidem verbum ex syllabis cõstat. neq; viuit, neq; quicquam agit, Sed tantum loquentis sententiam explicat. & solum exit, & preterit, nec amplius apparet; quippe quod nec erat ante, q̃

te, q̃ enũtiaretur. Quare nec viuit, nec agit quicquam, nec omnino verbum hominis homo est. Hoc autem accidit, vt ante dixi, quoniam & homo, qui verbum hoc parit, ex nihilo naturam habet. At Dei Verbum, non, vt aliquis dicat, ore pronuntiatur, nec edit vocis sonum, neque quod mandat ac præcipit Deus, id filius est, sed vti lux, & splendor sic est germen perfectum ex perfecto. Quamobrem & Deus est, & imago Dei. Et Deus enim, inquit, erat Verbum. Ac hominum quidem verba re nihil sunt. Quocirca non verbis, sed manibus agunt homines. Quia manus existunt, verba autem nihil habent firmamenti. At Dei Verbum, vt Apostolus ait, viuit, & efficax est, & penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingit vsque ad diuisionem animi & spiritus. Decebat enim, vt cùm vnus esset Deus, vna item esset imago ipsius, & Verbum vnum, & vna sapiẽtia. Quamobrem miror, cur isti, cùm vnus sit Deus, opinionis errore multas sibi imagines, & sapientias, & verba confinxerint. Atque aliud quidẽ proprium, & natura Verbum patris, quo filius etiam fecit, esse dicunt. Nam verè filium opinione dici Verbum, sicut etiam vitis, & via dicitur, & ostium, & lignum vitæ, & sapientia nomine duntaxat. Aliam enim esse veram illam patris sapientiam, quæ non genita cum ipso consistit, qua filium fecit eum, quæ quòd illius esset sapientiæ particeps, sapiẽtiam nominauit. Hæc illi dum obloquuntur, nónne omni odio sunt digni? si enim, vt ipsi putant, non quia genitus, est à patre, nec propter essentiæ æternitatem filius est, sed propter illa, quæ loquendi facultate prædita sunt, verbum est, & propter illa, quæ sapientia sunt ornata, sapientia dicitur, & Virtus ob illa, quæ virtutem habent, filius itẽ vocatus est propter nos, qui à se filij facti sunt, & propter illa fortasse, quæ sunt, habet, vt sit. Quid igitur erit ipse neque enim est horum quicquam, si hæc sunt duntaxat ipsius nomina, quibus propter nos decoratus est, cùm existendi speciem tantum habeãt. Verùm ista diabolica est, vel deterior etiam cogitatio. Siquidem Verbum Dei nomine tantùm opinantur esse, cùm se ipsi verè putent existere. Quę porrò verborum portenta sunt ista, vt sapientiam dicant simul esse cum patre, hanc autem Christum esse negent, sed cùm multæ sint virtutes, & sapientiæ creatæ, Christum earum vnam asserant esse, eumq́; cum bruchis & locustis comparent? Quid? nonne planè vafri, veteratores, malitiosiq́; sunt, qui audientes nos dicere, Verbum simul esse cùm patre, calumniantur, &, duo ergo, inquiunt, non genita constituitis. At ipsi dicentes ipsius sapientiam non esse genitam non animaduertunt. idem reprehensionis telum contra se posse retorqueri. Etenim isthęc ipsa eorum opinio nónne planè stulta est, dum dicunt non genitam sapientiam simul existentem cum Deo esse Deum? Aliquid enim simul esse dicitur, non quia secum, sed quia cum aliquo sit. Quẽadmodum Euangelistæ de Domino dicunt simul erat cum discipulis, non quia secum ipse sed quia cum illis erat. Nisi verò compositum esse Deum affirmauerint, habereq́; sapientiam, quæ nec ipsa genita sit, connexam, & complentem ipsius essentiam, quam quidem sapientiam mundi effectricem inducunt, vt eius procreationem adimant filio, & Verbi, ac sapientiæ abutuntur nomine, aliudq́; sibi Verbum, & sapientiam confingentes verum Dei Verbum, & veram, ac solam Dei sapientiam negant, atque ita homines impij Manichæos imitantur.

Heb. 4.

Ex eodem libro.

Qvemadmodum cùm audimus Ioannem dicentem: Verbum caro factum est, non Verbum ipsum totũ carnem intelligimus, sed carnem induisse, atque hominem factum esse, Et cùm audimus, Christus factus est maledictum pro nobis, &, Qui peccatum non nouit, pro nobis peccatum fecit, nõ totum esse factum maledictionem, aut peccatum intelligimus, sed maledictionem nostram, vt ait Apostolus, suscepisse, vt nos à maledictione liberaret, peccata verò nostra, vt inquit Esaias, ipsum tulisse, eaq́; vt Petrus ait, in corpore suo sustulisse super lignũ, sic cùm audiuerimus illud ex prouerbiis, creauit, nõ totum natura creatum Verbum debemus intelligere, sed corpus creatũ suscepisse. Pro nobis enim creauit ipsum Deus, creatũ ipsi, vt scriptum est, corpus accommodans, vt in eo possemus nos renouari, filiiq́; fieri. Quid ergo decepit nos, ò stulti, vt creatorem creatum esse diceretis? Aut vnde vobis inane istud figmentum comparastis, in quo vobis tantopere placetis, & plauditis? In libro enim Prouerbiorum legimus quidem, creauit, non tamen inuenimus filium creatum dici, sed esse genitum, & illud, creauit non refertur ad eius essentiam, sed eo, vt multarum viarum initium esse factum ostendatur.

Ioan. 1. Gal. 3. 2. Cor 5. Esa. 53. 1. Pet. 2. Pro. 8. Heb. 10.

Ex eodem libro.

DEi Verbum non est creatum, sed creator: tunc aũt in Prouerbiis se creatum dicit, cùm carnem creatam induit. Quod quidem ex eodem loco potest intelligi. Etenim cùm filius sit, & Deum habeat patrem, est enim proprium germen ipsius, tamen eum Dominum vocat, non quod seruus sit, sed quia serui formam accepit. Decebat enim, vt ex patre Verbum existẽs patrem Deum appellaret. Veniens autem ad nostræ salutis opus exequendum, & serui formam sumens patrem vocaret Dominum. Atq; hanc quidem differentiam præclara distinctione docuit ipse Dominus, Confiteor, inquiens in Euangeliis, tibi pater, deinde subiiciens, Domine cœli, & terræ. Ac quemadmodum nos patris nomine Dominum appellantes naturalem non negamus seruitutem, sumus enim ipsius opera, & ipse fecit nos, non autem ipsi nos, sic quando filius serui formam suscipiens dicit: Dominus creauit me initiũ viarum suarum, nullus ausit Diuinitatis eius æternitatem negare, neq; in principio Verbum esse, & omnia per ipsum fuisse facta. Nam dictum illud in libro Prouerbiorum, vt monui, non essentiam Verbi, sed humanitatem eius significat. Cùm enim se ad agendum creatum commemoret, perspicuum est, ipsum non essentiam suam, sed curandæ salutis humanæ consilium indicare: Quod quidem essentia posterius est. Quæ enim creantur & fiunt, ob id primum creantur, & fiunt vt sint. Deinde vim habent agendi, ea quæ fuerint imperata. Hoc autem in omnibus licet perspicere. Adam enim creatus est, non vt ageret, sed primum vt esset homo. Tum agendi mandatum accepit. Noë autem creatus est, non propter arcam, sed vt primum existeret, atque homo esset. Post enim iussus est arcam ex ædificare. Et magnus ille Moses primum homo factus est, deinde populi dux constitutus. Atque ita sigillatim potes omnia persequi. Quamobrem idem & hic licet cogitare. Hoc & spiritus ante significans in Psalmis locutus est ad hunc modum, Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Quod & de seipso Dominus indicans, Ego, inquit, constitutus sum Rex ab eo super Sion mõtem sanctum eius. Quemadmodum. n. cùm monti Sion illuxit forma corporea, non tunc initium sumpsit, sed cùm esset Verbum Dei, & Rex sempiternus, dignatus est in hominis forma regnum suum, & montem Sion illustrare, vt & eos, qui tunc erant, & nos à peccati dominatu liberaret,

Luc. 10. Psal. 8. Psal. 2.

Ita ſuper opera conſtitutus, non iis, quæ nondum eſſent, ſed iã exiſtentibus, & regentis, ac moderantis opera indigentibus præfectus eſt. Decebat enim, vt aliud, q̃ ipſa opera exiſtens, immò verò ipſorum operum aut hoc exiſtens, & procreator, eaq; in ſe propter nos creatos renouanda ſuſcipiens, omnia in ſe recrearet. Nã cùm dixiſſet, creauit, ſtatim cauſam adiecit, opera cõmemorans, vt ſe creatum ad agendum dicens, ſe ideo factum hominem oſtenderet, vt ea renouaret. Hic autẽ eſt diuinæ ſcripturæ mos, vt cùm de carne per Verbum aſſumpta mentionẽ facit, cauſam, cur eam aſſumpſerit, adiungat. At cùm aut de ſua Diuinitate Verbum loquitur, aut miniſtri eius illam nuntiant, ſimplici, & ſoluta oratione, & nullam cauſam afferente declarant. Patris enim eſt ſplendor. Et quemadmodum pater propter nullam cauſam eſt, ſic nulla ſplendoris eius cauſa eſt requirenda. Quamobrem cùm ſcriptum ſit: in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, nõ eſt additum, propter quid. At cùm legis: Verbũ caro factum eſt, tunc & cauſam audis propter quã, nempe & habitauit in nobis. Rurſum Apoſtolus dicens; Qui cũ in forma Dei eſſet, non addit cauſam, at cùm dicit
Philip. 2. ſerui formã accepit, tunc eã ſubiicit, humiliauit, inquiens, ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autẽ crucis. Iccircò enim & factum eſt caro, & ſerui formam aſſumpſit. Et ipſe Dominus multa parabolarum inuolucris tegit, de ſe
Io. 4. autem loquens apertè dicit, Ego in patre & pater in me:
Io. 10. Et, ego & pater vnum ſumus: Et qui vidit me, vidit patrẽ:
Io. 14. Et, ego ſum lux mundi: Et: ego ſum veritas. Nec ſingulis di
Io. 8. ctis cauſam adiungit, ne poſterior illis quorum cauſa ſit,
Io. 14. eſſe videatur. Neceſſe enim eſt, vt præcedat id, quod, niſi
Rom. 1. propter ipſam, non fuiſſet factum. Paulus quidem ſegregatus in Euangelium, quod ante promiſerat Dominus per Prophetas, habebat Euangelium ante ſe, cuius Euangelij miniſter eſt factus. Et Ioannes delectus, vt præiret ante Dominum, ante ſe Dñm habuit. Dñs verò, qui nullam habet ante ſe cauſam, vt verbum ſit, niſi quòd patris eſt filius, & vnigenita ſapientia, qñ fit homo, tunc affert cauſam, propter quam eſt carnem geſtaturus. Antequam enim homo fiat, præcedit hominem vtilitas, ſine qua carne non induiſſet. Quæ autem fuerit cauſa, propter quam factus eſt homo, declarat ipſe, deſcendi, inquiens, de cœlo, non vt
Io. 6. facerẽ voluntatem meã ſed voluntatem eius, qui miſit me, vt omne quod dedit mihi pater, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud in nouiſſimo die. Hæc eſt enim voluntas patris mei, vt omnis, qui videt filium, & credit in eũ, habeat vitam æternam, & ego ſuſcitem eum in nouiſſimo die. Et
Io. 12. rurſum, Ego, inquit, veni lux in mundum, vt omnis, qui credit in me non maneat in tenebris. Et rurſum in Euangelio
Io. 18. Ioãnis, Ego inquit ad hoc natus ſum, & ad hoc veni, vt teſtimonium perhibeã veritati. Ioannes autem ſcripſit; Propterea apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli. Vt
1. Io. 3. teſtimonium igitur perhiberet, & mortem pro nobis ſubiret, & ſolueret opera Diaboli, venit Seruator. Hæc eſt cauſa aduentus eius in carne. Reſurrectio enim non fuiſſet, niſi fuiſſet mors, nec mors, niſi corpus mortale ſuſcepiſſet. Id ab ipſo didicerat Apoſtolus, propterea dixit:
Heb. 2. Quoniam pueri participes erãt carnis & ſanguinis, & ipſe ſimiliter carnis & ſanguinis particeps factus eſt, vt ꝑ mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum. Quòd ſi propter nos, non autem propter ſe creatur, ipſe creatus non eſt, ſed carnem noſtram creatam indutus hæc dicit. Quemadmodum enim infirmitates noſtras ſuſcipiens, dicitur ipſe infirmus, cùm tamen infirmus & imbecillus non ſit, quippe qui virtus eſt Dei, & peccatum pro nobis factus eſt, & maledictum, cùm tamen ipſe non peccauerit, ſed peccata, & maledictiones noſtras ipſe tulerit, ſic nos in ſeipſo creans dicit; Dominus
creauit me, cùm tamen ipſe creatus non ſit. Ioan. 1.

Ex eodem libro. Col. 1.

SI natura atque eſſentia Verbum eſſet res procreata, & inter rem procreatam & filium nihil intereſſet, non addidiſſet illud: Gignit me. Sed ei fuiſſet ſatis, dixiſſe, Pr
creauit me, Siquidem hæc vox etiam gignendi ſignificationem contineret. Nunc autem cùm dixerit, creauit me Pſal. 1
initium viarum ſuarum ad opera ſua, addit, gignit me, Neque id ſimpliciter, ſed ad muniendam vocem illam, creauit, hoc veluti vinculum ſubnectit, Ante omnes colles gignit me. Hoc enim, gignit me, cum illo, creauit me coniunctè prolatum hanc habet ſignificationem, vt &, creauit, propter aliquid dictum ſit, & gignit, antecedat Gen. 2
illud, creauit. Quemadmodum enim ſi dixiſſet, gignit me, Ad Eph
Deinde ſubieciſſet, Ante omnes colles creauit me, intelli- 2.B
geremus omnino, hoc, creauit, illi, gignit, antecedere, ſic cùm dixerit prius, creauit, Deinde adiunxerit, Ante omnes colles gignit me, hoc gignit, illi creauit præcedere neceſſario demonſtratur. Nam cùm dicat, ante omnes gignit me, ſignificat, ſe aliud eſſe, quam omnes ſint. At cùm dicit creauit me, ſubiicit, initium viarum ſuarum. Quod illi, Gignit me, non eſt adiunctum, ſed potius additum eſt, ante omnes. Quod autem ante omnes eſt, non
eſt initium omnium ita vt vnum ex illis ſit, ſed ab omni- Ioan. 1
bus diuerſum. Quòd ſi ab omnibus diuerſum eſt, in quibus & initium omnium intelligitur, perſpi uum eſt, ab
omnibus rebus procreatis, diuerſum eſſe. Sicut enim ho- Ioan. 5
mines Dei ſpiritum accipientes, per ipſum ſpiritum fiunt filij Dei, ſic Dei Verbum carnem hominum induens & creari & fieri dicitur. In quo tamen primo genitus è nobis vocatur, & eſt. Quandoquidem omnibus hominibus, propter Adami peccatum damnatis, & pereuntibus, caro illius, vtpote Verbi corpus effecta, prima ex omnibus ſeruata, & liberata eſt. Nos autem deinceps vti corporis eius conſortes ſeruamur. Cum illo nãq; corpore & dux noſter
Dominus in regnum cœlorum ingreſſus eſt, & ad patrem Ephe. 5
ſuum accedit, Ego ſum, inquiens, via, & oſtium, & per me oportet, omnes introire.

In eandem ſententiam.

QVoniam prima illa per Adam via periit. Quapropter ad mortem è Paradiſo deflexi mus, audiui-
muſq; verba illa. Terra es, & in terram reuerte- Ge
ris, Iccirco Dei Verbum pro ſua in homines benignitate ex voluntate patris carnem mortalem induit, vt cui primus homo peccando mortem intulerat, huic proprij corporis ſanguine vitam elargiretur, & nouam, viuentemq;
viam nobis demonſtraret per velamen, vt inquit Apo- Michæ.
ſtolus, id eſt, per carnem ſuam. Quod & alibi ſignificans, Gen. 3
Quare, inquit, ſi qua in Chriſto noua creatura. Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua. Quòd ſi noua
creatura facta eſt, oportebat huius creaturæ primum ali- Ioan. 8
quem eſſe. Nudus autem, & tantum terrenus homo, quales nos ex peccato facti ſumus, eſſe non poterat. Quando in prima quoque creatura infideles fuerũt homines, & per ipſos prior via periit. Alio igitur opus erat, qui priorem illã viam renouaret, & renouatam tueretur, & cuſtodiret. Itaque non alius, niſi Dominus initiũ creaturæ nouę creatur, & via.

& via. Et meritò dicit, Dominus creauit me initium viarũ suarum, Vt homo non prioris illius more se gerat, cùm nouæ creaturæ initium adsit, Sed cùm habeat Christum viarum initium, dicentemq́; ego sum via, illum iam sequatur.
Ioan. 14. Quod quidem docens & Beatus Apostolus in epistola ad
Col. 1. Colossenses scripta, ipse est, inquit caput corporis ecclesię, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus primas tenens. Cùm enim seruator sit ita per carnẽ creatus, & eorum qui recreantur, principium constitutus, & primitias nostras habeat, quam induit carnem humanam, sequitː, vt futurus deinceps post ipsum populus creetur, dicente Dauide: scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur laudabit Dominum. Et in Psalmo vigesimo primo, Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. Neq; enim amplius edictum illud, Qua die comedetis ex eo, morte moriemini, sed potius illa verba, Vbi ego sum, & vos eritis. Vt dicamus, ipsius enim opus sumus creati ab eo ad opera bona. Præterea, Quoniam opus Dei, nempe homo, qui perfectus erat creatus, peccando defecerat, & propter peccatum in mortis supplicium incurrerat, Non decebat autem, vt opus Dei maneret imp̃fectũ, & ob id supplicabãt oẽs sancti dicẽtes in Psalmo centesimo trigesimo septimo, opera manuum tuarum ne despexeris, Iccircò perfectum Dei Verbũ corpus imperfectum assumit, & ad opera creari dicitur, vt æs à nobis contractum dissoluat, & quod homini deest, ipse perficiat, Deerat autem immortalitas, & in Paradisum ducens via. Hoc illud est, quod Dñs dicebat, ego, inquiens, opus perfeci, quod dederas mihi vt facerem. Et rursum, opera, quæ dedit mihi pater, vt faciam, hęc opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Quæ autem dicit hic sibi à patre data opera ad perficiendum, ea sunt, ad quæ creatus est, vt ipsemet in Prouerbiis dicit, Dominus, inquiens, creauit me initium viarum suarum ad opera sua. Quod perinde est, ac si diceret, dedit mihi pater op̃a, quæ perficiam. Nam quia tunc propter peccatum imperfecta & manca facta sunt opera, ideò, quantum ad corpus pertinet, creari dicitur. vt ea perfecta, atque integra reddens in conspectu patris ecclesiam statuat, nullam, vt inquit Paulus, habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed sanctam, & irreprehensibilem. Perfectum igitur est, ac restitutum in ipso quale fuit initiò genus humanum, & perfectius etiam ipsa gratia. A mortuis enim excitati non timemus amplius mortẽ, sed in cœlis semper regnamus. Quod quidem factum est, posteaq̃ ipsum Dei Verbum propriũ ex patre existẽs carnem induit, & factum est homo. Nam si creatum existẽs, homo factum esset, homo nihilo minus à Deo, sicut erat, disiunctus permãsisset. Quomodo enim, si Verbum esset opus, homo per opus fuisset cũ creatore, & effectore Deo coniunctus? aut quod auxilium à simili ad similia potuisset accedere? Aut quomodo, si Verbum creatum est, potuisset Dei sententiam soluere, & peccata dimittere, quod, vt Prophetæ scripserunt, Dei propriũ est?
Michæ. 7. Quis enim, inquit, Deus, vt tu, tollens peccata, & delẽs ini-
Gen. 3. quitates? Deus enim dixit, terra es, & in terram reuerteris. Quæ quidem sententia à mortalibus solui non poterat. At illam Dominus soluit, qui si vos, inquit, filius liberauerit, li-
Ioan. 8. beri eritis. Et filius verè liberans, se nõ esse creatum, declarauit, sed proprium Verbum, & imaginem essentiæ patris, qui & initio sententiam tulit, & peccata dimittit. Quoniã enim in Verbo dictum est, terra es, & in terram reuerteris, per ipsum etiam Verbum, & in ipso damnationis sententia soluta est, & salus acquisita. At poterat, inquiunt, Deus etiã si seruator creatus esset, dicto solo damnationis sentẽtiam dissoluere. At istis rursum, Deus poterat, inquiet alius, licet non venisset seruator, vnico verbo illam delere, sed considerandum est, quid hominibus expediret, & nõ omnibus in rebus ita ratiocinari, vt ad eius potentiam cuncta referantur. Nam & antequã arca fieret, poterat homines, qui deliquerant, perdere, quod tamen non nisi ea perfecta facere voluit. Poterat & sine vlla Mosis opera, vnico tantum verbo ex Aegypto populum educere. Sed ita res poscebat vt per Mosem educeretur. Poterat & sine iudicibus seruare populum Deus, sed aliis cõducebat, vt ad tempus iudex ipsis constitueretur. Poterat & ab initio Dominus venire, aut veniens Pilato non tradi, sed & perfectis seculis venit, & quæsitus dixit, ego sum. Quod enim facit, id hominibus Ioan. 18.
expedit, & aliter nõ decet fieri. Et quod expedit, & decet, id facit. Venit igitur, non vt sibi ministraretur, sed vt ministraret, & nobis salutem daret. Poterat vtique legem sanciens è cœlo proloqui, sed sciebat hominibus expedire, è monte sinai loqui, vt Moses posset ascendere, & è propinquo populus audire, & credere. Quàm rectè autem id factum fuerit, hinc perspici licet, si Deus pro potestate sua dicto & iussu tantùm damnationis sentẽtiam soluisset, iubentis quidem potestas esset declarata, homo tamen talis extitisset, qualis erat Adam antequàm peccaret, cùm gratiam extrinsecus, non autem corpori adiunctam haberet. Talis enim erat, quando fuit in Paradiso collocatus. Atq; eo fortasse deterior etiã fieret, quod peccare iam didicisset. Quare si eiusmodi existens à serpente deciperetur, iterum necesse foret, vt Deus illum & condemnaret, & condemnatum absolueret. Atque ita res abiret in infinitum, & homines tamen peccato seruientes rei permanerent, & semper peccantes venia semper indigerent, & nunq̃ liberarentur, cùm per se caro essent, & semper ob carnis imbecillitatem vincerentur. Ad hæc si filius esset creatus, mansisset homo mortalis, non cõiunctus cum Deo. Neq; enim creatus potuisset creatos cùm Deo coniungere, cùm ipse ad id egeret alterius op̃a. Nec hominibus creatis, qui simplex vnus ex illis esset potuisset salutem afferre, cùm ipse quoq; salute indigeret. Proinde ne hoc accideret, misit filium suum, qui factus est & hominis filius, creatam carnem assumens, vt quoniam morti omnes erant obnoxii, ipse diuersus ab omnibus, morti proprium corpus pro omnibus offerret, atq; ita tanquam omnibus per ipsum mortuis sententia damnationis impleretur, omnes enim in Christo mortui sunt. & omnes per ipsum gignuntur liberi à peccato, & à damnatione per peccatum allata. Et surgentis à mortuis, & immortalitatem induti verè in perpetuum permanebunt. Nã posteaq̃ Verbum carnem induit, vt sæpe demonstratum est, omnis morsus serpentis ab ipsa penitus extinctus est. Et si quod ex carnis motionibus malum pullulauerat, excisum est, & cum illis mors ipsa, quæ peccatum consequitur, sublata. Veniet enim, inquit Dominus, princeps mundi huius & in me non inueniet quicquam. Et ideò, vt Ioannes Ioan. 14.
scripsit, apparuit, vt dissolueret opera Diaboli. Quibus ab 1. Ioã. 3.
eius carne solutis omnes propter carnis cognationem liberati sumus, & coniuncti cùm Verbo. Coniuncti autem cũ Deo nõ amplius in terra procul ab eo permanebimus, sed, vt ipse Dominus dixit, vbi ipse est, nos item erimus. Ioan. 14.

In eundem locum.

SI sapiẽtia igitur terra fundata est, quomodo is, qui fundat fundatur? Atqui in Prouerbiis hoc item dictũ est. Pro. 3.
Et huius dicti sensus est inuestigandus, vt cognosca-

mus, Deum sapientia quidem creare, & fundare terram, vt stabilis sit, atq; ipsa permaneat, sapientiam verò fundari propter nos, vt principium sit, & fundamētum nouæ creaturæ, & nostræ renouationis. Ne hoc quidem loco dixit, Ante secula Verbum, seu filium me facit, ne principium habeat, quo fiat, Verum illud in primis quærendum est, an filius sit, & propter hoc præcipuè sunt scrutandæ scripturæ. De hoc enim cùm & Apostoli essent interrogati. Petrus re-
Matt. 16. spondit, tu es, inquiens, Christus filius Dei viuentis. Hoc & hæreseos Arianæ pater in primis exqsiuit, si filius, inquiēs,
Matth. 4. Dei es. Nouerat enim in hoc verum, & firmū, & propriū, fidei nostræ fundamentum, & robur consistere, & tyrannidem diabolicam, si filius Dei esset, finem habiturā: sin creatus esset, vnum & ipsum eē ex filiis Adam à se decepti, quare nullam sibi de illo fore sollicitudinem. Et propterea, qui tunc erant Iudæi, indignabantur, quòd Dominus se Dei filium diceret, & Deum esse proprium patrem suum affirmaret. Etenim si ex rebus procreatis, aut factis vnam se esse dixisset, nihil noui audire se, quod eēt detestabile, & execrandum existimassent, cùm ad patres etiam Angelos venisse nō ignorarent. Verū quia se Dei filiū dicebat esse, animaduertebant eiusmodi verbis non rem procreatam, sed diuinitatem, & paternam naturam indicari. Oportebat igitur Arianos, etsi patrem suum Diabolum vellent æmulari, diligenter attēdere, vt si Verbum dixisset, filium me fundauit, id sentirent, quod sentiunt. si autem non ita dixisset, non ea sibi confingerent, quæ non sunt. Non enim dixit, Ante secula me Verbum aut filium fundauit, sed simpliciter fundauit me, vt quemadmodum dixi, non propter se, sed ꝓpter illos, qui super se fundati essent, ea Prouerbiorū verba prolata declararet. Quòd minimè ignorans Apostolus, Funda-
1. Cor. 3. mentum, inquit, aliud nemo potest ponere preter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet. Necesse autem est, vt fundamentum tale sit, qualia sunt ea, quæ superædificantur, vt coniungi inter se, & construi posint. Quòd si Verbum existat, quatenus Verbum est, non habebit sibi congruentes & similes, quibus cum copuletur, & construatur, est enim vnigenitum. At factum homo habet eos similes, quorum induit carnem. Ergo, quantum pertinet ad humanitatem, fundatur, vt & nos super ipsum tanquàm lapides prætiosi construi posimus, & efficiamur templum Spiritus sancti habitantis in nobis. Ac quemadmodum Dominus est fundamentum, nos autem lapides super ipsum ædificati, sic ipse vitis est, nos palmites cum ipsa vite coniuncti, non per Diuinitatis essentiam, quod fieri nequit, sed per eius humanitatem. Necessariū enim est, vt palmites sint viti similes. Et nos illi carne similes sumus. Cæterum hæreticos humi repentes, & humano sensu tantùm vtentes humanis exemplis opus est confutare. Hæc autem ex ipsis verbis colligimus. Non dixit, fundamentum me fecit, ne, tanquā res facta, principium, vt fieret, habuisse videretur, licet hinc impudenter ipsi occasionem arripiant impietatis, sed fundauit me. Fundamentum autem iacitur quidem & collocatur, habita ratione lapidum, qui superstruuntur, Non autem simpliciter fit, Verùm ex monte translatus lapis in terræ profunditate ponitur. Qui sanè lapis quandiu in monte manet, non dicitur fundamentum: At vbi sic exigente vsu translatus è terræ profunditate comprehenditur, tunc si lapis ipse loquendi vim habeat, nunc, inquit, fundauit me, qui huc è monte me transportauit. Eodem pacto Dominus non propterea quòd fundatur, principium accipit existendi, erat enim Verbum etiam prius. Sed quando nostrū corpus induit, quod ex Maria excisum est, tunc ita loquitur, fundauit me. Quod idem valet, ac si diceret. Me Verbum existens terreno corpore contexit. sic enim propter nos fundatur, dum quæ nostra sunt, suscipit, vt nos eiusdē corporis effecti cum ipso per carnis similitudinem copulemur, & coniungamur, & in virum perfectum euadentes maneamus incorrupti, & immortales. Neque verò quenq̃ perturbent ea verba, Ante secula, &, Antequàm terra fieret, & antequàm montes consisterent. Hæc enim omnia præclarè congruunt cum illis verbis, Fundauit, & creauit. Et assumptæ carnis dispositionem & consilium attingunt. Nam gratia nobis per seruatorem parta, nunc quidem, vt inquit Apostolus, apparuit, donataq; est, ipso adueniente, sed parata fuit ante, quàm nos facti essemus, immò verò ante mundi constitutionem. Causa verò præclara est, & admiranda. Non decebat, Deum postea de nobis consulere, ne rerum, quæ ad nos spectant, ignarus videretur. Cùm igitur omnium Deus, qui nos per Verbum proprium procreauit, facta nostra sciret etiam ante, quàm nos essemus, prospiceretq; fore, vt boni à se facti à mandato suo recederemus, & propterea eiiceremus, è Paradiso, vti benignus, & bonus in Verbo ꝓprio, per quod nos creauit, salutis nostræ consilium iniit, vt etiam si à serpente decepti excidissemus, non tamen perpetuò mortui maneremus, sed præparatam nobis per Verbum redemptionem habētes, rursum exurgentes efficeremur immortales, cùm esset creatus is, qui initium viarum est, & qui est primogenitus creaturæ, fieret fratrum primogenitus, & ipse primitiæ mortuorum exurgeret. Hæc Beatus Paulus docet, declarans enim hæc verba Prouerbiorum, Ante secula, &, ante quàm terra fieret, sic ad Timothæum scribit. collabora Euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Manifestata est autem nunc per illuminationem saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam. Ad Ephesios autem scribens, Benedictus, inquit, pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christū in ipsum. Quomodo igitur elegisset nos ante, quàm essemus, nisi, vt ipse dicit, essemus in eo prius formati? Aut quónam pacto ante quàm essemus creati, nos adoptasset, nisi filius ipse ante secula vt fundamentum positus esset, qui salutis nostrę curandæ prouinciam caperet. Aut quomodo, vt addit Apostolus, prędestinati in sortem asciti essemus, nisi ipse Dominus ante secula fundatus esset, vt pro nobis propositum haberet, quo omnem iudicii sententiam contra nos latam ipse per carnem subiret, nosq; deinceps in se ipso vita afficeret. Quomodo autem & ante tempora secularia gratiam accepissemus, qui nondum eramus, nisi gratia fuisset in Christo reposita, quæ ad nos erat peruentura? Quamobrem & in iudicio cùm vnusquisque, eorum, quæ gesit, mercedem accipiet, Venite, inquiet, benedicti patris mei, accipite paratum vobis regnum à constitutione mundi: Quomodo igitur, aut in quo prius, q̃ essemus, paratum est regnum, nisi in Domino, qui ante secula fundatus est, vt nos tanquàm super ipsum fundati lapides, ipsi cōuenientes vitam, & gratiam acciperemus? Meritò igitur ad carnem nostram Verbum accedens, & in ipsa creatum initium viarum ad opera eius fundatur, sicut erat in ipso consilium patris ante secula, quemadmodum dictū est, & antequàm terra fieret,

Ioan. 1.
Act. 17.
Ioan. 1.

& montes ipsi consisterent, & anteq̃ fontes erumperent, vt licet terra, & montes, & eorum, quæ cernuntur, figuræ in consumatione seculi præterirent, nos tamen non vnà cũ ipsis deficeremus, sed possemus etiam post illa viuere, habentes vitam, & spiritalem benedictionem in ipso Verbo per electionem nobis paratam prius, quàm illa forent. Sic enim poterimus habere vitam non temporis spatio præfinitam, & in Christo post hæc viuentes permanere, quãdoquidem & ante hæc vita nostra parata, & fundata erat in Christo. Neque enim in alio fundari vitam nostram decebat nisi in Domino, qui est ante secula, per quem & secula facta sunt, vt cùm in ipso sit æterna vita, posimus & nos illam obtinere.

Eiusdem ex libro tertio in Arianos, in ea verba, Ego & pater vnum sumus.

Ioan. 14. ILlam deinde sententiam Domini carpere cœperunt: Ego in patre, & pater in me. Quomò potest, inquiunt, hic in illo esse, aut ille ab hoc comprehendi? Quomodo potest pater, qui maior est, in filio, qui minor est, inesse? Scilicet mirum est, filium in patre esse, cùm de nobis etiam scriptum sit, In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Meritò tamen hoc illis accidit, pro praua ipsorum mẽte, quippe qui Deum esse corpus existiment, nec qui sit verus pater, aut verus filius, aut lux inuisibilis, aut splendor æternus ipsius inuisibilis, aut essentia incorporea, & forma incorporea; & imago ipsius, animaduertant. Non enim, vt illi opinantur quia dictum est, ego in patre, & pater in me, ita commeãt inter se, vt videmus contingere, cùm vasa inania vicissim, vnum ex alio, replentur. Vt filius id, quod in patre vacuum est, & pater id, quod in filio vicissim est vacuum, impleat, & neuter eorum plenus, atq; perfectus sit. Hoc enim est corporum proprium. Quapropter hęc vel dicere scelus est impietatis plenum. Plenus enim atque perfectus est pater. Et filius Diuinitatis est plenitudo. Neque Deus, vt vasa, si in illis esset, confirmaret, eodem modò confirmat filium. Filius enim est patris virtus, & sapientia. Ac res quidẽ procreatæ, quatenus participes illius sunt, spiritu sanctæ fiunt, ipse autem filius nõ particeps, sed proprium est patris germen. Quamobrem cùm dixisset: ego & pater vnũ sumus, Ioan. 10. meritò subiecit: Ego in patre, & pater in me. Vt illis verbis eandem Diuinitatis rationem, his coniunctionem essentię declararet. Vnum enim dixit, non vt vnum in duas partes secetur, quæ non nisi vnum sint, Neque vt vnum bis nominetur, Neq; vt idem modò pater sit, modò filius eius fiat. Sic enim Sabellius sentiens iudicatus est hæreticus. Sed ita duo sunt, vt pater quidem sit pater, non autem idem filius. Et filius sit filius, non autem idem pater. Natura verò vna est. Quia genitus non est genitori dissimilis. Est enim imago eius. Et omnia, quæ patris sunt, sunt etiam filii. Quapropter filius non est alius Deus. Neque enim extrinsecus fuit excogitatus, qua quidem externa, & peregrina, & à patre aliena diuinitate multi omnino sunt. Quanuis enim aliud sit, quatenus genitus est, filius, idem tamen est, quatenus Deus. Et vnum sunt filius & pater, quoniam vt diximus, vna propria eademq; natura, & diuinitas est. Siquidem & splendor lux est non sole posterior, neque luce diuersus à sole, neque particeps illius sed proprium germen. Quod quidem germen omnino lux est, neque lucem duplicem sed cùm duo sint, sol, & splendor, vnam tamen è sole lucem dixeris, splendore illustrantem omnia. Sic & filii Diuinitas patris est, ideoq; diuidi non potest. Sic vnus est Deus, & non est alius præter hunc. Itaque cùm vnum sint, & vna sit eorum Diuinitas, quæ dicuntur de filio, eadem dicuntur de patre, excepto, quòd pater hic, filius ille duntaxat dicitur. Omnia enim, inquit ipse filius, quæ pater habet, mea sunt. Iam qui audit ea, quæ patris sunt, de filio dici, videbit & ipse patrem in filio. Et cùm intelliget, ea, quæ de filio dicuntur, de patre etiam dici, filium in patre spectabit. In filio.n. cernitur Diuinitas patris. Hoc autem regiæ imaginis exemplo facilius intelligi poterit. In imagine enim est species, et forma Regis. Et in ipso Rege species imaginis est. Cõstans enim est in imagine Regis similitudo. Vt qui cõtemplatur imaginem, in ipsa Regem agnoscat, & videat. Et rursum qui Regem aspicit, eum esse, agnoscat, qui in imagine cernebatur. Quamobrem ob certam, & nihil differentem similitudinem ei, qui perspecta imagine voluerit Regem intueri, imago poterit ita dicere, Ego, & Rex vnum sumus. Ego enim in illo sum, & ille in me. Et quod cernis in me, idem in eo conspicies. Et quod in illo conspicis, idem cernes in me. Qui ergo adorat imaginem, in ipsa Regem adorat. Nam eius effigies & forma imago est. Quoniam igitur filius est imago patris, intelligimus necessariò Diuinitatẽ, & proprietatem patris esse essentiam filii. Atque hoc illud est, quod ea verba significãt, Qui cùm in forma Dei esset. Philip. 2. Porrò Diuinitatis forma non ex parte est, sed Diuinitatis patris plenitudo est essentia filii, & Verbum Deus est filius. Quamobrem æqualis existens nõ rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Et quia filii Diuinitas & species non alius, nisi patris est, ideo dixit, ego in patre sum. Sic Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Proprium enim 2. Cor. 5. patris essentiæ filius est, in quo mundus Deo recõciliatur. Sic quæ filius agit, patris sunt opera. Sic qui filium videt patrem videt. In paterna enim Diuinitate filius est, & spectatur. Et paterna, quæ in ipso species est, in eo patrem ostendit, & sic est pater in filio. Et proprietas atque Diuinitas ex patre in filio sic ostendit filium in patre, vt ab eo separari non posit. Qui verò audit, & videt, ea, quæ dicuntur de patre, de filio item dici, non q̃ per gratiam sit eorum particeps, atque ita habeat illa insita in essentia sua, sed quòd ipsius filii essentia sit proprium essentiæ paternæ germen, is, quemadmodum ante dixi, præclarè intelligit dictum illud: Ego in patre, & pater in me. & illud: Ego & pater vnum sumus. Est enim filius, qualis pater, quoniam omnia, que patris sunt, habet. Quare simul etiam cum patre significatur. Nullus enim, nisi filius existat, patrem appellarit. Nam qui Deum effectorem dicit, non ea continuo quę facta sunt, ostendit. Est enim effector, & opifex etiam ante, quàm illa sint. At qui patrem dicit, statim significat & essentiam filii. Quare qui credit in filium, etiam in patrem credit. Credit enim in patris essentiæ proprietatem. Atque ita vna est fides in vnum Deum. Et qui adorat, & colit filium, in filio patrem etiam adorat, & colit. Vna enim est Diuinitas, & iccircò vnus est honor, & vna adoratio in filio, & per filiũ exhibetur patri. Et qui sic adorat, vnum adorat Deũ. Vnus enim Deus est, & non est alius præter ipsum. Et verba illa, Ego sum, & præter me non est alius Deus, Et, ego primus. Esa. 44. Et, ego post hæc, rectè dicuntur. Deus enim vnus, & solus, & primus est. Nec tollunt filiũ hæc verba. Absit. Est enim & ipse filius in vno, & solo, & primo. Vt qui vnius, & solius, & primi solus est Verbum, & sapientia, & splendor. Non igitur vt tollatur filius, hęc dicta sunt, sed vt ostendatur, nõ esse alium, qualis est pater, & quale est Verbum. Etenim, quoniam qui falsos adorant Deos, à verò Deo desciscunt, Deus qui benignus est, & homines curat, reuocãs, & auertens eos ab errore, ego, inquit, Deus solus, &, ego sum: &, præter me nõ est Deus, & alia eiusmodi. Quæ quidẽ om-

nia loquitur, vt ea, quæ non sunt, expellat, & omnes homines ad se conuertat. Ac quemadmodum siquis cum dies esset, & sol illucesceret, lignum simpliciter pingeret, nec vlla lucis habita ratione diceret, picturam illã eẽ lucis causam, sol autẽ re perspecta clamaret, ego, inquiens, sum lux diei, nec aliud vllum est diei lumen preter meum, si sol ita loqueretur, non eo spectaret, vt splendorem suum, sed vt errorẽ, & stultitiam illius, qui ligni speciem depinxisset, excluderet, sic Deus, ego, inquit, sum, Et, ego, Deus solus, & nõ est alius præter me, vt homines à falsis Deis colẽdis auerteret, & auocaret, & ad se verum Deum cognoscendum & adorandum adduceret. Verùm hęc isti rursum nugis quibusdã suis controuersiam vocant. Et patrem, atque filium, non quemadmodum ecclesia prædicat, sed vt ipsi volunt, vnum esse contendunt. Quoniam enim, quæ pater vult, ea vult etiam filius, nec cõsiliis, & iudiciis eius aduersatur, sed in omnibus cum ipso conuenit, eademq́; decreta, & cõsentaneam, atque congruentem doctrinæ patris rationem docet, inde fit, inquiunt, vt pater, & filius vnum sint. Hæc nõ solùm dicere, sed scribere quidam ausi sunt, quibus nihil magis absurdum, aut à ratione alienum dici potest. Nam si propter hanc causam pater, & filius vnum sunt, & si filius hoc mõ patri similis est, vide, ne qui nobis superiores sunt, Angeli, & Principatus, & Potestates, & Throni & Dominationes sint, vt ille, filii, & de his item dici posit, ipsi & pater vnum sunt, & vnusquisq; eorum imago & Verbum est patris. Nam quæ vult Deus, & ipsi volunt, nec sententiis, nec iudiciis differunt, sed omnibus in rebus suo obtemperant effectori. Non enim in gloria mansissent sua, nisi ea, quæ pater vult, & ipsi vellent. Non enim in eos, qui paruerunt, sed in eum, qui contumax fuit, dictum est: Quomodo cecidit è cœlo lucifer, qui mane oriebatur? si hæc ita habent, cur solus filius vnigenitus, & Verbũ, & sapientia est? Aut cur, cum tam multi sint patri similes, solus hic imago est? Quinetiam ex hominibus multi patri similes inuenientur, vt Martyres, vt Prophetæ, vt Apostoli, vt Patriarchæ. Multi hoc etiam tempore seruatoris mandatum obseruantes misericordes extiterũt, vt pater, qui est in cœlis. Obseruantes & illud, Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. Et Pauli fuerũt imitatores multi, sicut & ille Christi. Attamen eorum nullus neque Verbum, nec sapiẽtia, nec vnigenitus filius, nec imago est. Neque illorum vllus ausus est dicere, Ego & pater vnũ sumus, Aut, ego in patre, & pater in me. Sed de his omnibus dictum est, Quis similis tibi in Diis Domine? Aut quis comparabitur tibi in filiis Dei? De ipso autem, solus imago vera, & naturalis est patris. Licet enim ad imaginem facti simus, & imago, & gloria Dei vocemur, non tamen propter nos, sed propter inhabitantem in nobis imaginem, & veram gloriam Dei, quæ Dei Verbũ est, quod propter nos factum est caro, huius nominis gratiam accepimus. Necesse autem est, vt similitudo, & vnitas ad ipsam filii essentiam ducat. Quod nisi fiat, nihil amplius, q̃ res procreatæ, vt dictum est, habere videbitur, neque patri erit similis, sed similis erit decretorum patris, à patre autem differt, quia pater quidem est pater, decreta autem & doctrina sunt patris. Quare si quantum ad instituta doctrinamq́; pertinet similis est patri filius, sequitur, vt nomine tantùm pater sit, filius autem non modò vera, & certa patris imago non sit, sed ne proprietatem quidem aut similitudinem patris vllã habere videatur. Quæ enim illi, si commutabilis est, cum patre similitudo. Et Paulus docebat eorũ similia, quæ docuerat seruator, nec tamen ei similis erat essentia. Eiusmodi sunt istorum nugæ. At filius & pater sic

Esa. 14

Ephe. 5.

Psal. 88.

vnum sunt, vt filium cum patre, & splendorem cum sole vnum esse cognoscimus. Ex quo fit, vt agente filio pater agat, & veniente filio ad sanctos, pater in filio veniat. Imagine enim cernitur pater, & in splendore lux est. Quapropter, vt paulo ante diximus, patre gratiam & pacem largiente, eam largitur filius, vt Paulus in omnibus epistolis suis significat, Gratia vobis, inquiens, & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo. Vna enim & eadẽ est gratia à patre in filio, vt vna lux est solis & splendoris. Rursum ad Thessalonicenses scribens, precatur, ipse, inquiens, Deus noster, & Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos. In quo quidem loco animaduertendum est, ipsum non dicere, Dirigant, sed dirigat, vt non tanquàm à duobus duplicem gratiam, sed vt ab vno gratiam vnam dari demonstret. Quoniam pater illam per filium dat. Quæ planè res patris & filii indicat vnitatem.

Ex eodem libro.

Beatus Ioannes breuius, & perfectius, quàm nos, horum Verborũ sensum explanabit, & cohibebit Arianos, ne amplius se tales, qualis est filius, opinentur. Alioquin ipsi quoq; illud audient, tu es homo, & nõ Deus. Et noli, cùm pauper sis, te cum diuite vti æqualem comparare. Sic igitur Ioannes scribit, in hoc cognoscimus, quòd in ipso manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo nobis dedit. Quare propter gratiam spiritus nobis impertitam & nos in ipso manemus, & ipse in nobis. Et quoniam spiritus Dei est, eo in nobis existente, nos item qui illum habemus, in Deo esse existimamur. Et sic est Deus in nobis, non vt est filius in patre. Non enim filius particeps spiritus, vt per illum in patre sit, neq; ipse spiritum accipit, sed illum potius omnibus dilargitur. Nec spiritus coniungit Verbũ cum patre, sed ipse potius à Verbo id accipit. Et filius quidem in patre est, vt Verbum proprium, & splendor ipsius. Nos autem sine spiritu, vt peregrini, & alieni, longè absumus à Deo. Spiritus autem communione cum Diuinitate copulamur. Vt quòd simus in patre, id non ipsi nobis, sed spiritui in nobis existenti & in nobis manenti acceptum referamus. Ac cùm Ioannes idem dicat, Qui confitetur, Iesum esse filium Dei, Deus in ipso manet, & ipse in Deo, Quænam similitudo, aut æqualitas nobis cum filio? Nonne Ariani vndique, & à Ioanne potissimum confutati tandem animaduertunt, aliter esse filium in patre, & aliter nos in ipso? & neq; nos vnquam vt Verbum fore, neq; Verbum vt nos? Nisi, vt eorum mos est, nunc etiam audeant dicere, communione spiritus, & virtutis progressu filium etiam ipsum in patre esse. Quod quidem in primis impiũ est, vel cogitare. siquidem ipse, vt dictum est, spiritum tribuit, & quod habet spiritus, id ab eo habet. Quamobrem cùm seruator de nobis dicit: sicut tu pater in me, & ego in te, sic & ipsi in nobis sint, non ostendit eãdem nos cum ipsis essentiam habere. Sed patrem orat quemadmodum Ioannes scribit, vt credentibus spiritum per se largiatur, per quem in Deo esse, & iccircò cum ipso coniungi videamur. Etenim quia Verbũ est in patre, & spiritus ex Verbo datur, vult, vt spiritũ accipiamus, vt posteaq; acceperimus, habentes spiritum Verbi in patre existentis, videamur & nos per spiritum esse vnũ in Verbo, & per Verbũ in patre. Illud aũt, sicut nos, nihil aliud significat, nisi vt ea gratia spiritus in discipulos distributa nũq̃ excidat, nunq̃ adimatur. Id quod Apostolus nouit, cum diceret, Quis nos separabit à charitate Dei? Nunq̃ enim pœnitet Deũ munera sua largitum esse, & vocationis gratiã tribuisse. Spiritus. n. est, qui in Deo existit, non autem nos per nos. Et quemadmodũ filii,

Matt. 28. Ioan. 5. Ioan. 3. Luc. 10. Ioan. 12 Matt. 26. Luc. 2. Matt. 16. Ioan. 11. Mar. 6. Matt. 27. Ioan. 17. Matt. 26. Matt. 34. Mar. 13 Io. 10. Ro.

in nobis est, sic per spiritum in nobis existentem, qui est in Verbo, quod est in patre, vnũ in filio, & patre erimus, & esse existimabimur. Quando igitur aliquis per peccatũ aliquod excidit à spiritu, is non est amplius in Deo, quandoquidem ab eo recessit spiritus sanctus, & cõsolator, sed erit in illo cui seipsum peccando subiecit. Quemadmodum Sauli contigit, à quo recessit spiritus Dei, & vexabat eum spiritus malus.

Ex eodem libro.

QVomodo potest ex patre per naturam esse, & ei p̄
att.28. essentiã similis, qui dicit: Data est mihi omnis po-
an.5. testas, &, Pater neminem iudicat, sed omne iudi-
an.3. cium filio dedit, & Pater diligit filium, & omnia tradidit in
ic.10. manu eius, &, omnia tradita sunt mihi à patre meo, &, om-
ne, qđ dedit mihi pater, ad me veniet? Si filius est inquiũt,
vt dicitis per naturam, quid ei opus est accipere? Aut quo-
modo potest per naturam esse vera patris potẽtia, qui cru-
an.12. ciatuũ mortisq; tempore, Nunc, inquit, anima mea turba
ta est, & quid dicam, Pater, salua me ex ac hora, sed ideò ve
nim horam hanc, pater clarifica filium tuum? Venit igitur
vox de cœlo dicentis, & clarificaui, & iterum clarificabo.
att.26. Et illud item simile, Pater, si fieri potest, transeat à me calix
iste: Et cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & testa-
tus est, & dixit, Amen, Amẽ dico vobis, vnus ex vobis pro
det me. Hic rursum male sentiẽtes isti, si potentia, inquiũt,
esset, nõ timuisset, sed alios potius confirmasset. Tum si ve
ra & propria patris sapientia, inquiunt, esset per naturam,
quomodo de illo scriptum esset, Iesus autem proficiebat
c.2. sapientia, & ætate, & gratia apud Deũ & homines? Et pro
fectus in partes Cæsareæ Philippi, interrogauit discipulos,
att.16. Quem dicunt esse homines filium hominis? Quid? ꝙ cùm
an.11. venisset in Bethaniam quæsiuit, vbi Lazarus iaceret? Et ad
r.6. discipulos suos, quot inquit, panes habetis? Quomodo igi-
tur, inquiunt isti, sapientia est hic, qui crescit sapientia, &
ignorat, quæ ab aliis exquirit? Præterea quomodo, in-
quiunt, potest esse, proprium Verbum patris, sine quo nun
quàm pater fuit, & p̄ quod omnia fecit, vt vos sentitis, qui
att.27. cruci affixus dixit, Deus meus, Deus meus, vt quid dereli-
quisti me? Quiq; antea precans dixerant, clarifica filium
an.17. tuum, & clarifica me tu pater ea claritate, quã habebam,
antequàm mundus esset, apud te? Et precatus est in solitu-
dine, & discipulis, vt precarentur, mandauit, ne in tentatio
att.26. nem inciderent. Et spiritus quidem promptus est, inquit,
att.34. caro autem in firma. Et de hora illa nullus, inquit, nouit, ne
r.13 g que Angeli, neque filius. si quemadmodum vos, inquiunt
amentes isti, sentitis, ab omni æternitate apud Deum esset,
diem illam non ignorasset, neque ea peritia caruisset, cùm
simul existeret, neq; gloriam vt acciperet, flagitasset, cùm
illam haberet in patre. Neq; optasset quicq̃ omnino, cùm
nullius rei vtpote Verbum indigeret. Verùm, quoniam, in
quiunt, vnus ex illis est, qui creati, factiq; sunt, iccircò talia
dixit, & his eguit, & quæ non habebat, optauit. Eò progre-
diuntur homines impii, vt hæc audeant loqui. Mirum, cur
non confidentius etiam dicãt, cur omnino factus sit caro.
Aut quomodo potuerit, cùm Deus esset, homo fieri, & cũ
expers sit corporis, corpus gestare. Aut magis adhuc ad iu
.10. F daicam perfidiã accedentes vna cũ Caipha cur, inquiunt,
homo, cũ sit, facit seipsum Deũ? Hæc & his similia qui tũc
cernebant Iudæi, murmurabant. Et qui nunc audiũt Aria-
norum studio insanientes non credunt, & iccircò in verba
execranda præcipites ruunt. Quamobrem siquis ea quæ
tunc à Iudæis, & quæ nunc ab istis dicuntur, in vnum con-
ferat, deprehendet vtrosq; simili audacia æqualem in perfidiam, & impietatem incurrere, & communi bello nos oppugnare. Iudæi enim dicebant: quomodo potest, cùm homo sit, Deus esse? Ariani verò, si Deus, inquiunt, est verus ex Deo, quomodo potuit homo fieri? Ac Iudæi quidem offendebantur, & irridebant dicentes, si filius Dei esset, nunquam crucem pertulisset. Ariani verò ex altera parte nos oppugnantes, Quõ, inquiunt, audetis dicere, Verbum esse propriũ patris essentiæ, cùm habeat corpus? Præterea quærentibus Iudæis Dominũ interficere, quoniam patrẽ suum esse dicebat Deũ: Ariani negare didicerunt, illum æqualẽ esse Deo, & Deum Verbi propriũ esse, & natura patrem, & eos, qui aliter sentiunt, quærunt interficere. Ad hæc Iudæis dicẽtibus, Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos patrem matremq; nouimus? Quomõ igitur dicit, priusquã Abraham fieret, ego sum? Et de cœlo descẽdi? Subsequuntur & ipsi Ariani pariter dicentes, Quomodo potest Verbum, aut Deus esse, qui dormit vt hõ, q luget, qui interrogat? Atq; ita vtriq; ex humanis affectionibus, quas carne, quã induerat, sustinuit ęternitatẽ Verbi negãt, & diuinitatẽ.

Ex eodem libro. *Sanctæ, & diuinæ scripturę propositum esse, ut dupliciter de seruatore loquatur, tum vt de sempiterno filio & Deo, tum vt de illo, qui postea verè perfectæq; factus sit homo.*

ILlud, vt sæpe diximus, est scripturæ propositum, & ea dicendi ratione vtitur, quæ duplicem de seruatore notionem indicet. Nempe filium, qui verbum est, & splẽdor, & sapientia patris, & fuisse semper, & esse Deum, & carnẽ deinde ex virgine Dei genitrice sumpsisse, atq; hominem esse factum. Hęc duo per omnem à diuino spiritu dictatam scripturam, vt ipse Dominus ait, significãtur. Scrutamini, inquit, scripturas, quoniam ipsæ testimonium perhibẽt de me. Ac ne cunctis eius sententiis colligendis longior sim, satis erit, ex omnibus illam attulisse, quam Ioannes protulit, In principio, inquiens, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso ne vnum quidem factum est. Deinde & verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis. Et illam, quam Paulus scripsit, Qui cùm in forma, inquiens, Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & in similitudine hominum factus, & habitu inuẽtus, vt homo, humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Ab his enim eadem cogitatione percurrens totam scripturam videbis, quomodo in principio quidem dixit hoc pater, Fiat lux, & fiat firmamentum, & faciamus hominem, in consũmatione verò seculorum misit ipsum in mũdum, non vt iudicaret mundum, sed vt seruaretur mũdus per ipsum. Quisquis ergo diuinam versat scripturam, ex veteri testamento verba discat, ex Euangeliis autem Dominum eẽ factum hominem intelligat. Verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis. Homo autem factus est, non autem in hominem introiuit. Hoc enim scire necesse est, ne quando in hanc sententiam incidentes impii aliquos decipiant, vt existiment, Verbum, quemadmodum superioribus tẽporibus ad singulos sanctos fiebat, sic etiam nunc in hominem ingressum esse, vt illum sanctum efficeret, seq; in illo patefaceret. Nã si res sic haberet, Quid causæ foret, cur ipsum spectantes, vt rem insuetam, & nouam admirarentur, & dicerent, Quis nam est hic? Iam enim audire verba illa consueuerant, & factum est Verbum Domini

ad hunc, aut ad illum Prophetam. At posteaq̃ Verbũ Dei, per quod facta sunt omnia voluit etiam homo fieri, & demisit semetipsum, formam serui accipiens, Iudæis quidem Christi crux affert offendiculũ, nobis aũt Christus est Dei virtus & sapientia. Verbum enim, vt Ioannes inquit, caro factum est. Est autem scripturæ mos, vt pro homine carnẽ accipiat. Vt per Ioëlem Prophetam, Effundam, inquit, de
Ioe. 2. spiritu meo super omnem carnem. Et Daniel sic Astyagi locutus est, Non colo simulachra manu facta, sed viuentẽ Deum, qui creauit cœlum, & terrã, & omnis carnis habet potestatem. Et hic enim, & Ioël omne genus hominũ carnem appellant. Cæterùm cùm ad veteres illos Prophetas fieret, sanctos quidem reddebat eos, à quibus animo syncero suscipiebatur, non tamen cùm homines illi gignerentur, dicebatur, Verbum esse factum hominem. Neq; cùm illi paterentur, dicebatur ipsum esse passum. At cùm ex Maria semel perfectis seculis venit ad abolendum peccatum, sic enim Deo placuit, mittere filium suum factum ex muliere, factum sub lege, tunc dictum est, Verbum carnem sumpsisse, atque hominem factum esse, & in carne passum
1. Pet. 4. esse pro nobis. sic enim Petrus ait, Christo igitur passo in carne, vt constaret, atq; omnes crederẽt, cùm Deus esset, eosq́; ad quos fieret, sanctos redderet, & omnia ex volũtate patris moderaretur & exornaret, deinde propter nos factum esse hominem, & corporaliter, vt inquit Apostolus,
Col. 2. in carne Diuinitatem habitasse. Quod quidem idẽ est, ac si dictum ita esset, Deus existẽs propriũ habuit corpus, & hoc vtens instrumento factus est homo propter nos.

Ex eodem loco.

CVm Christi caro pateretur, Verbum non erat extra carnem, iccircò enim & passum dicitur. Et cùm patris opera diuinitus exequeretur, caro non erat sine Verbo sed ea Dominus in ipso corpore præstabat. Proinde caro
Ioan. 10. existens & homo dicebat, Nisi facio opera patris mei, noli te credere. Si autem facio, & si mihi nõ vultis credere, operibus credite, & cognoscite in me esse patrem, & me in ip
Luc. 4. so. Certè cum esset opus, Petri socrum febre laborantem atq; iacentem excitare, humano quidem more manum extendit, & diuina virtute morbum expulit. Et in hominem illum, qui cæcus natus erat, humanum ex carne sputũ emi
Ioan. 9. sit, sed luto diuinitus oculos eius aperuit. Iam, quod ad Lazarum pertinet, vocem quidem vt homo humanam eddi
Ioan. 11. dit, diuina autem vi vt Deus illum à mortuis excitauit. Hęc autem ita fiebant, & ostendebantur, quoniam corpus habebat non fictitium, sed verum. Porrò cõsentaneum erat, vt Dominus humanam inducens carnem, vnà cùm affectionibus eius illam totam indueret, vt quemadmodũ proprium illius corpus dicimus, sic etiam proprias illius esse diceremus corporis affectiones, licet Diuinitatem ipsius nõ attingerent. Si ergo corpus erat alterius, illius dicantur etiã affectiones fuisse. Sin Verbi erat caro, necesse est, vt carnis item affectiones, eius fuisse dicantur, cuius est caro. Cuius verò affectiones dicuntur esse, vt dãnari, verberari, sitire, in crucem agi, mori, & cęteræ corporis infirmitates, eius & actio ex virtute, & gratia est. Merito igitur, & cõuenienter affectiones hæ Dñi, & non alterius dicuntur esse, vt & gratia ab illo fit, & non aliũ, sed hunc verè, & piè colamus, & adoremus, qm̃ nihil ex iis, quę procreata sunt, nec cõem aliquẽ hoĩem, sed qui ex Deo natura, & verus est filius, hũc hoĩem etiam factũ, nihilominus Dñm, & Deum, & seruatorẽ appellamus. Hoc aũt quis non admiretur, aut quis nõ verè diuinum opus esse concedat? Nam si Diuinitatis Verbi opera p corpus non essent effecta, hõ nõ euasisset Deus.

Præterea, si quæ sunt carnis propriæ affectiones, non dicerentur esse Verbi, homo perfectè ab his non fuisset liberatus, sed post exiguã aliquam intermisionẽ peccatum in ipso rursum & corruptio permãsisset, quẽadmodũ iis, qui ante fuerũt, hoĩbus accidit. Multi. n. vt constat, viri sancti fuerunt & ab omni peccato integri, & puri. Siquidẽ & Hieremias in matris vtero factus est sanctus, & Ioãnes cũ adhuc in vtero gereretur, exultauit in gaudio ad vocem Dei genitricis Mariæ. Attamen regnauit mors ab Adam vsque ad Mosem etiã in illos, qui non peccauerunt, in similitudine trãsgresionis Adã, atq; ita nihilo secius hoĩes mortales, & corruptibiles, & ꝓpriis affectionibus obnoxii permãserũt. Nunc verò quoniã Verbum factum est hõ, & carnis affectiones suscepit, illæ non amplius attingunt corpus, ꝓpter Verbũ, quod in illo est, sed ab ipso quidem ita sublatæ sunt. Itaq; hoĩes ex propriis affectionibus nõ amplius peccatores mortalesq́;, sed Verbi virtute cõsurgentes perpetuò immortales, & incorrupti permanebũt. Quamobrẽ carne ex Dei genitrice Maria genita, Verbum ipsum, per quod omnia sunt facta, gigni dicitur, vt nostram in se generationẽ transferat, quo nos non amplius vt terra solùm existentes in terram reuertamur, sed vt cum Verbo à cœlis profecto coniuncti in cœlum ab ipso recipiamur. Et alias igitur corporis affectiones non absurdè in seipsum transtulit, vt nos non iam vt homines, sed vt ad Verbum ipsum pertinẽtes, æternæ vitæ participes efficiamur. Neq; enim iuxta priorem generationem in Adã morimur, sed generatione nostra, atq; omni carnis infirmitate in Verbum translatis excitamur à terra, peccati maledictione per ipsum pro nobis maledictionẽ factum dissoluta. Ac meritò quidem. Quẽadmodum enim omnes ex terra existentes in Adã morimur, sic ex aqua & spiritu sursum regenerati in Christo vitã oẽs adipiscimur. Verùm vt Verbi naturam impatibilem, & carnis infirmitates ipsius magis exploratas habeamus, nõ alienum erit, Petrum, cuius de seruatore testimonium dignũ est, cui fides habeatur, audire dicentem, Christo igitur carne passo. Quando igitur dicetur & nasci, & esurire, & siti- Ioan. 3.
re, & fessus esse, & nescire, & dormire, & lugere, & postula- Luc. 1[illegible]
re, & fugere, & calicem deprecari, & quicquid aliud ad car- Ioan. 5.
nem pertinet, meritò Petri verba sic vsurpabimus, Christo igitur esuriente, & sitiente pro nobis carne, & dicente se nescire, & alapis percusso, & fesso pro nobis carne, & exaltato rursum, & nato, & crescente, & timente, & se abscondente pro nobis carne, & dicente, si fieri potest, transeat à me calix iste, & vapulante, & mortem subeunte, & quæ his sunt similia, pro nobis carne. Nam & Apostolus propterea non dixit: Christo passo Diuinitate pro nobis, sed carne, vt affectiones has non verbi naturæ, sed ipsius carnis naturæ proprias cognosceremus. Nullus ergo ex humanis istis affectionibus offendatur, sed potius intelligat, ipsum Verbũ ab illis esse natura remotissimum, easq́; de illo dici propter carnem, quam induit, cuius quidem carnis illæ sunt ꝓpriæ. Caro aũt est propria seruatoris, qui vt natura est impatibilis, sic etiam manet, nec ab vllis affectionibus læditur, quin etiam illas delet, ac perdit. Homines verò propriis affectionibus in illum, qui impatibilis est translatis, & aboletis, earum expertes & liberi manent in perpetuum, sicut Ioãnes docet, Et scitis, inquiens, ꝙ apparuit, vt peccata nostra tolleret, & peccatum in illo non est. Quæ cùm ita sint, nemo Hæreticus quærat, cur caro, quæ natura mortalis est, exurgat, aut si exurgit, cur non rursum esuriat, & sitiat, & patiatur, mortalisq́; maneat, cũ ex terra sumpta sit, aut quomodo quod in ipsa naturale est, desinat. Potest enim ipsa caro ad hunc modũ Hæretico eiusmodi pertinaci respondere,

sum

ſum equidem ex terra, & natura mortalis, attamen Verbi ſum facta caro, quod cùm ſit ab omnibus vacuũ affectionibus, meas tulit affectiones, atq; ita ego ab illis libera permanſi, nec amplius ſub earum ſeruitute detineor, quoniã ab hac me Dominus in libertatem vindicauit. ſi enim vituperas, quòd ego à naturali corruptione liberata ſim, vide ne eodem tempore Deum Verbũ in crimen voces, quòd ſeruitutis meæ formam acceperit. Sicut enim Dominus induens corpus factus eſt homo, ſic nos homines à Verbo ꝑ carnem eius aſſumpti Dii facti ſumus, & deinceps æternæ vitæ capimus hæreditatem. Hæc neceſſariò perpendimus, vt cùm videmus ipſum per ſui corporis inſtrumentum diuinitus aliquid agere, aut loqui, intelligamus, ea fieri ab illo vt à Deo. Et cùm cernimus ipſum rurſus aliquid more humano dicere, aut pati, meminerimus ipſum carnem geſtaſſe, atque hominem factum eſſe, & propterea ſic dicere, & pati, ſi enim vtriuſque naturæ proprietates cognoſcentes vtraq; ab vno fieri cogitauerimus, rectè credemus, & nunquàm aberrabimus.

Ex eodem loco, & hæc.

SIquis autem quæ diuinitus à Verbo fiunt, aſpiciens, corpus negabit, aut affectiones corporis cernens negabit Verbi præſentiam in carne, aut ex humanis eius affectionibus de illo abiectius ſentiet, Is & tanq̃ Iudæus caupo vinũ aqua miſcens crucem offendiculum exiſtimabit, & tanquã Græcus promulgationem Euangelii ſtultam arbitrabitur. Tales ſunt Dei oppugnatores Ariani. Humanas enim ſeruatoris affectiones & actiones contuentes, eum eſſe creatum exiſtimarũt. Par autem erat, vt diuina item opera conſpicientes corporis eius ortũ negarent, atq; ita Manicheis aſſentirentur. At illi, licet ſerò, diſcant tamen aliquando, Verbum carnem factum eſſe. Nos autem, qui fidei propoſitum tenemus, ea, quę peruerſè ab iſtis intelliguntur, rectã ſententiam cõtinere perſpicimus. Illud enim, Pater diligit filium, & omnia tradidit in manu eius, & illud: omnia mihi tradita ſunt à patre meo, & illud: Non poſſum quicquàm facere, ſed ſicut audio, iudico, Hæc, & alia his ſimilia non ſignificãt, filiũ ea vnquàm habuiſſe. Qui enim fieri queat, vt quæ pater habet, ea ſemper non habuerit ſolum per eſſentiam patris Verbum & ſapientia, cùm dicat, omnia, quęcunq; habet pater, mea ſunt? ſi enim quæ pater habet, filii ſunt, ſemper autem hæc pater habet, perſpicuum eſt, ea, quæ filius habet, cùm patris ſint, eſſe ſemper in filio. Non igitur ita locutus eſt, quòd ea aliquando non habuerit, ſed quia cùm ſemper habeat, quę habet, ea habet à patre. Proinde nequis filium aſpiciens habentem omnia, quæ pater habet, ob certam eorum, quæ habet ſimilitudinem, eandemq; rationem in Sabellii impietatem incideret, & filiũ patrem exiſtimaret, dixit, data ſunt mihi, &, accepi, &, mihi, tradita ſunt, vt id ſolum oſtenderet, ſe non eſſe patrem, ſed patris Verbum, æternumq; filium, qui propter patris ſimilitudinem ſemper habuit, quæ pater habet, & quia filius eſt ex patre, habet ab ipſo, quæ ſemper habet. Neq; enim filii Diuinitas imminuitur, propterea quòd dictum ſit, Data ſunt, aut tradita ſunt, & reliqua his ſimilia, ſed potius ex his verè filius eſſe declaratur. Aliud præterea ex his verbis diſcere poſſumus. Si enim omnia illi tradita ſunt, primùm quidem ab omnibus, quæ accepit, diuerſus eſt. Deinde cũ ſit omnium hæres ipſe filius, eſt etiam proprius per eſſentiam patris. Si enim ex omnibus vnum eſſet, non hæres omnium foret. Nũc autem cùm omnia accipiat, ab omnibus diuerſus eſt, & ſolus proprius patris. Quòd autem illud, data ſunt, & illud, tradita ſunt, non ſignificent, ea ipſum aliquando non habuiſſe, ex alio ſimili dicto licet intelligi. Sic enim inq̃t ipſe ſeruator, ſicut pater vitã habet in ſemetipſo ſic & filio dedit, vitam habere in ſemetipſo. Nã ex eo, q̃d dicit, dedit, ſignificat ſe non eſſe patrem. Ex eo autẽ, quod addit, ſic, naturalem filii cum patre proprietatem, ſimilitudinemq; declarat. Si quando igitur fuit, cùm pater non haberet, fuit etiam aliquando nimirum, cùm filius non haberet. Sicut enim pater, ſic etiam filius habet. Quòd ſi illud dicere impium eſt, pium autem eſt dicere, patrẽ ſemper habere, nõnne abſurdum eſt, cùm filius dicat, ſicut pater habet, ſic & filius habet, iſtos dicere, illum non ſic, ſed aliter habere. At verbum fidele eſt, & omnia, quę ſe dicit accepiſſe, ſemper habens habet ã patre. Et pater quidem à nullo, filius autem à patre habet. Vt ſi ſplendor ita loqueretur, lux omnem mihi locum conceſsit ad illuſtrandum, & ego nõ à me illuſtro, ſed vt ipſi luci collibuit, his verbis non oſtenderet, ſe id aliquando non habuiſſe, ſed lucis ſe proprium eſſe ſplendorem, & quæ illius eſſent, omnia eſſe ſua. Sic ac multo quidem verius, & amplius licet de filio cogitare. Etenim cũ oĩa pater filio dederit, oĩa rurſus hẽt pater ĩ filio. Et cũ filius habeat, pater itidẽ habet. Nã filii Diuinitas eſt diuinitas patris. Atq; ita pater in filio prouidentia ſua cuncta moderatur. Atq; hæ quidem ſententiæ ſic intelligẽdę ſunt. Quæ verò de ſeruatore dicuntur humano more, ea quoq; piè ſunt interpretanda. Hæc. n. ideò prius exquiſiuimus, vt ſi eum interrogãtem audiuerimus, Vbi Lazarus iaceat, Et cùm in partes Cæſareæ venerit, ita percontantem, Quẽ dicunt homines eſſe filium hominis, Et, Quot panes habetis Et, Quid vultis, vt faciam vobis, rectam ex iis, quæ ante dicta ſunt, eiuſmodi verborũ intelligentiam habeamus, nec, id, quod Chriſti oppugnatoribus Arianis accidit, offendamur. Primùm igitur illis dicẽdum eſt, vnde nam exiſtimẽt, illum ignorare. Neque enim qui aliquid percontatur, id continuò ignorat. ſed poteſt ea, quæ ſcit, aliquis percontari, vt Ioannes, Chriſtum interrogaſſe, Quot panes habetis, ſcribens, nouerat ipſum non ignoraſſe, ſed planè ſciſſe. Hoc autem, inquit, dicebat tentans eos, ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Quòd ſi ſciebat; non vtique ignorans, ſed cognoſcens interrogabat. Ex quo quidem loco poſſumus cætera ſimilia loca rectè intelligère, vt ſciamus Dominum non ignoraſſe, vbi Lazarus iaceret, Nec quem ſe eſſe dicerent homines, ſed ita interrogaſſe, cùm ſciret, quid eſſet facturus. Atque ita iſtorum ſapientia celeriter exploditur. Quòd ſi pertinacius adhuc pergant inſtare, ſic habeant, in Diuinitatem non cadere ignorantiam, ſed eam humanitatis, & carnis eſſe propriam, vt dictum eſt. Quòd autem ita ſit, animaduerte, quomodo Dominus, qui rogat, vbi Lazarus iaceret, idem cùm non adeſſet, ſed longe abeſſet, dixerit, Lazarus mortuus eſt. Quid? Quòd is, quẽ iſti ignarum exiſtimant, cogitationes diſcipulorum intelligit, & nouit, quę in cuiuſq; ſint corde, & quid ſit in homine. Et, quod maius eſt, ipſe ſolus nouit patrẽ, & dicit, Ego in patre, & pater in me. cuius igitur iam patet, carnẽ eſſe, quæ ignorat. Verbum autem ipſum, quatenus Verbũ eſt, omnia prius, q̃ fiant, habere cognita. Neq; enim poſteaq̃ factum eſt homo, deſtitit eſſe Deus. Neq; propterea quòd Deus ſit, abhorret ab homine. Sed potius Deus exiſtẽs carnem aſſumpſit, & in carne exiſtens carnem diuinã reddit. Etenim quẽadmodũ in ipſa carne percontatus eſt, ſic etiã in ipſa carne mortuũ in vitã reuocauit, & oĩbus oſtendit, eum, qui mortuis vitã largitur, & aĩum in corpus reuocat, multo magis ſcire, quæ in ipſo aĩo lateãt. ſciebat quidẽ, vbi iacebat, ſed interrogauit ſanctiſsimum Dei Verbum, vt

Ioan. 3. Luc. 10. Ioan. 5. Ioan. 5. Ioan. 11. Matt. 16. Mar. 6. Ioan. 6.

hoc etiam modo nostram ferens ignorantiam, verã nobis scientiam largiretur, qua patrem ipsius, seq; pro nobis ad salutem omnium missum agnosceremus. Quo quidem munere nullum maius optari potest. Quòd si vt hominum genus redimeret, eosq; sanctos, & diuinos efficeret, hanc peregrinationem Verbum suscepit, & caro factum est, nõne omnibus palam fit ea, quæ se dicit accepisse, quando factũ est caro, nõ ad ipsum Verbum, sed ad carnem, in qua erat, dum hæc loqueretur, esse referenda? Huius enim carnis erant ea munera, quæ per ipsum à patre tribuebantur. Sed quæ petierit, videamus, & quænam illa sint omnino, quæ dicebat, se accepisse, vt his cognitis isti resipiscant. Gloriã igitur petebat, dicebatq; sibi omnia eẽ tradita. Et posteaq̃
[Matt.28.] resurrexit, data est mihi, inquit, omnis potestas. Verùm & prius quàm diceret, omnia mihi tradita sunt, erat omnium Dominus. omnia enim per ipsum facta fuerant. Et Dominus vnus erat, per quem omnia. Et gloriam habebat, cuius
[1.Cor.2.] erat, & est Dominus, vt Paulus ait. Si enim cognouissent, inquit nũquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Habebat enim gloriam, quam petebat, gloria, inquiens, quam habui apud te prius, q̃ mundus fieret. Et potestatem, quam se post resurrectionem dicebat accepisse habebat & ante quàm acciperet, & ante resurrectionem. Ipse quidem per
[Mar. 8.] se sic increpabat, Abi, inquiens, post me, satana. Et Apostolis contra ipsum potestatem dedit, & cùm reuertissent,
[Luc. 10.] videbam, inquit, satanam, tanq̃ fulgur de cœlo cadentem. Et rursum quod se accepisse dicebat, id & anteq̃ acciperet, ostenditur habuisse. Nã & Dæmones eiiciebat, & quæ ligauerat satanas, soluebat ipse. Quemadmodum fecit in il
[Luc.13.] la filia Abraham. Et peccata cõdonabat, Paralitico, & mu
[Luc.5.] lieri, quæ sibi pedes vnxerat, dicens, remittuntur tibi pec
[Luc.7.] cata. Et mortuos reuocabat in vitã. Et ei qui iam inde ab
[Ioan.9.] ipso ortu cæcus erat, donabat videndi facultatem. Et hæc præstabat, non expectans, donec acciperet, sed vti iam habens potestatem, vt facile ex his constet, quæ habebat vt Verbum, ea & hominem factum, & post resurrectionem dici humaniter accepisse, vt per ipsum homines, & in terra facti, naturæ diuinæ participes deinceps haberent in Dæmones potestatem, & in cœlis vt à corruptione liberati regnarent in sempiternum. Illud enim omnino sciẽdum est, ipsum nihil eorum quæ accepisse dicitur, sic accepisse, tãq̃ nõ haberet. Habebat enim ea Verbum vt Deus. Vt homo autem accipere dicebatur, vt ex carne, quæ in ipso accipiebat, firma deinceps in nos gratia manaret.

Ex eodem loco & hæc.

CVr autem cognoscens dixerit, ne filium quidẽ nosse, nemirem fidelium arbitror ignorare. Id enim quoque propter carnem, vt homo, dixit. ea nanq; re Verbo nihil detrahitur, cùm humanæ naturæ proprium sit, nescire. Alioqui cùm in Euangelio de se vt de homine dicat,
[Ioan.17.] Pater, venit hora, clarifica filium tuum, perspicuum est, eũ & mundi finis horam vti Verbum cognoscere, vt hominem autem ignorare. Hoc enim est hominis proprium, vt ignoret, & maximè res eiusmodi. Quo tamen loco & seruatoris benignitatem agnoscimus, qui cùm esset etiam homo non erubuit, dicere, se nescire. Vt declararet, se, quanuis vti Deus sciret, vt hominem ignorare. Nõ dixit autem ne filius quidem Dei nouit, ne Diuinitas ignara videretur. Sed simpliciter, ne filius quidẽ vt filii ex homine facti ignorantiam esse constaret. Iccircò & de Angelis affirmãs non ascendit eò, vt diceret, & spiritũ sanctũ nescire, sed tacuit, hæc duo significans, primũ si spiritus nouit, multo magis Verbum, vt Verbum nosse, à quo spiritus accipit: Deinde cùm de spiritu siluisset, verba illa, ne filius quidem, de ministerio suo humano dixisse. Nullus autem est, exceptis Arianis, qui non confiteatur, eum, qui patrem nouit, multo magis nosse rerum procreatarũ vniuersitatem, in qua & ipsius orbis finis continetur. Quòd si dies, & hora præfinita est à patre, perspicuum est, eã per filium esse præfinitam. Quod autem per se præfinitum est, id ipse nimirum nouit. Nihil enim est, quod non per filium fit factũ & præfinitum. Præterea si omnia quæ patris sunt, filii sunt, vt ipse dixit, Patris autem est, scire diem illam, perspicuum est, eam & filium nosse, cùm id etiam proprium habeat ex patre. Ad hæc si filius in patre est, & pater in filio, Nouit autem pater diem, & horam, non est dubitandum, quin filius in patre existẽs, & sciens quæ sunt in patre, nouerit etiam ipse diem & horam. Deniq; cùm vera patris imago sit filius, norit autẽ pater, patet in hoc quoq; filium patri similem esse. Ariani verò Dei filium in rerum procreatarum numero collocantes paulatim meditantur, quomodo patrem ipsum rebus procreatis minorem dicant. Si enim qui patrem nouit diem & horam illam ignorat, vereor, ne maior sit, vt insaniẽtes isti dicerent, cognitio, quæ ad res procreatas, immò verò quæ ad minorem earum partem, q̃ quæ ad patrem pertinent. Cæterùm non ignorans dixit, non nouit: Sed indicans, se carnem ignaram induisse, dixit, ne filius quidem nouit. Et hominũ, qui erãt tempore Noë ignorantiã cõmemorans statim subiecit, Vigilate igitur, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit, Et rursum, Qua hora non putatis, filius hominis veniet. Quòd si vti Deus ignorasset, dicendum erat, Vigilate igitur, quia nescio. Et qua hora non puto. Non autem ita dixit. sed, quia nescitis vos &, qua hora non putatis, vt ostẽderet, hominum esse propriũ ignorare. Quapropter eorum & ipse carnem similem habẽs, & hõ factus dicebat, ne filius quidem nouit. Nam & de Noë non dixit, non cognouit, sed, non cognouerunt, donec diluuium venit. Illi enim non cognoscebant, Ipse autem diluuium inducens cognoscebat. Quamobrẽ & Noë dixit, ingredere tu, & filii tui in arcã. Si.n. ignorasset, non prædixisset Noë, septimo ab hinc die inducam pluuiã super terram. Quemadmodũ.n. homo factus cũ hominibus esurit, & sitit, & patitur, sic cum hoĩbus vt hõ non nouit. Diuinitas aũt in patre existens & Verbũ, & sapientia nouit, & nihil ignorat. Sic & de Lazaro vt homo percontatur, qui venerat, vt eũ in vitam reuocaret, quiq; nouerat, vnde aĩam eius acciret. Maius aũt est, scire, vbi esset anima eius quàm nosse, vbi cadauer iaceret. Ita discipulos etiam interrogat, cùm venisset in partes Cæsareæ, & sciret antequã Petrus responderet. Nam si ea, de quibus Dominus percuntabatur, pater Petro reuelauit, perspicuum est id per filiũ fuisse factum. Nemo enim filium nouit nisi pater, neque patrem quisq̃ nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Quòd si patris, filiiq; cognitio per filium fit, nõ est dubium, quin ipse Dominus interrogans prius patefecerit Petro, quæ à patre acceperat, deinde aũt interrogarit humano more, vt hic etiam ostenderet se, qui vt homo interrogabat. vt Deũ scire, quæ Petrus esset respõsurus. Nouerat profectò filius, qui patrem cognoscebat, qua quidẽ cognitione nec maius, nec perfectius quicq̃ esse potest. Apostolus in secunda ad Corinthios Epistola scio, inquit, hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpe nescio, siue extra corpus nescio. Deus scit. Quid dicitis? Nouit ne Apostolus quæ in ea visione illi acciderunt, quanuis dicat nescio, an non nouit? si eum negatis nosse, videte, ne discentes labi, in Phrygum iniquitatem delabamini, qui tum Prophetas tum alios Verbi ministros negabant scire, quæ vel facerent,

facerent, vel nuntiarent. Sin nouit dicens non noui, quia
Christum in se omnia sibi patefacientem habebat, nónne
Christum impugnantium cor verè euertitur, & per se con
demnatur, qui cùm Apostolum dicentem non noui nosse
concedant, Christum dicentem non noui nosse negent?
Apostolus igitur patefaciente sibi filio nouit, quid sibi ac-
ciderit. Et ideo dicit, scio hominem in Christo. Cognoscēs
autem hominem nouit etiam, quõ raptus fuerit. Et Eliseus
suspiciens Eliam vidit, quõ raptus fuit. Attamen id sciens
cùm filiis Prophetarum, qui arbitrabantur, Eliam in ali-
quem montem à spiritu proiectum esse, persuadere non
posset, quin illum omnino vellent inquirere, tacuit, & ac-
quieuit eorum consilio. Num igitur quia tacuit, ideo non
4.Reg.2. nouit? Norat ille quidem, sed tanq̃ non nosset, concesit,
vt quærerent, ne de raptu Eliæ amplius ambigerent. Quod
quidem de Paulo, qui ipse raptus fuit, multo magis asseren
dum est. Nouit igitur, quõ raptus fuit. Nam & Elias nouit.
Si quis tamen, quõ raptus fuerit, Paulum interrogaret, dua
bus de causis, vt ego quidem existimo, Non noui, respon-
deret. Primum ne quis propter excellētiam reuelationum
duceret ipsum esse supra id, quod videret. Deinde quia ser
uatore negante, se nosse, decebat & ipsum dicere, nescio,
ne cùm esset seruus, & discipulus, Domino & præceptore
maior videretur. Quare qui Paulo dedit, vt sciret, multo
magis ipse nouit. Cur igitur tunc negauit, se nosse, qui vt
Dominus nouit? Nostræ nimirum vtilitatis causa id fecit,
si tamen licet vestigantes aliquid coniicere. Nam & euen-
tura ante mundi finem significauit, ne cùm ea continge-
rent, nos vt peregrinos & imprudentes opprimerent, sed
vt ex illis, quæ post etiam futura essent, expectaremus. Diē
autem & horam noluit vt Deus dicere, se nosse, sed vt ho-
mo se negauit scire, ne amplius interrogarent. Sic igitur
rem temperauit, ne si vel omnino taceret, tristitia discipu-
los afficeret, vel si planè patefaceret, ageret contra, q̃ & il-
lis & nobis foret vtile. Qm̃ igitur propter nos Verbum ca-
ro factum est, propter nos etiam dixit, ne filius quidem no
uit. Neq; ita dicens mentitus est. Humano.n. more, vt ho-
mo, negauit se scire, nec permisit, vt discipuli se amplius vr
gerent, negando enim, se scire, fecit interrogationem ipso
rum consistere. At in eo libro, quo res ab Apostolis gestæ
continentur, scriptum est, Discipulos iterum interrogasse,
qñ finis esset venturus, eumq; clarius illis, adhunc modum
Act. 1. respondisse, Non est vestrum, nosse tempora, vel momen-
ta, quæ pater posuit in sua potestate. Non dixit tunc, Ne
filius quidem nouit, vt antea dixerat, tanq̃ homo. Iam.n.
surrexerat caro, depositaq; mortalitate diuina erat reddi-
ta. Nec amplius decebat, vt iam in cœlum iturus responde
ret, vt hõ, sed doceret vt Deus, non est vestrum, inquiens,
nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua po-
1.Cor.1. testate. Quæ autem patris potestas, nisi Christus? Christus
enim Dei virtus, & sapientia. Sciebat vtique filius, vti Ver-
bum. Sic.n. loquens significauit, se scire, sed ad eos nõ per-
tinere cognoscere, vt etiam si speciem assumerent Ange-
lorum, & conarentur mundi finem denuntiare, quo audiē
tes deciperent, ne illis crederent cùm vocis Domini testi-
monium haberent. Quãquam ne expedit quidem homi-
nibus finem illum nosse, ne eo cognito negligētes interim
fiant. Quamobrem vtrũq; nobis finem tum orbis, tum suę
cuiusque vitæ notum esse noluit. Nam & in vniuersitatis
fine singulorum finis comprehenditur, & singulorum fine
cogitur finis vniuersitatis. Vt cùm incertus sit, quotidie
Mat. 24. magis in virtutis studio proficiamus. Et ideo Seruator ad-
iungit; Vigilate igitur, quia nescitis, qua hora Dominus ve
ster venturus sit. Propter vtilitatem ergo prouenientem ex
hac inscitia ita locutus est. Iam cùm in Paradiso Dominus
sic Adam interroget, Adam vbi es? & ex Cain quærat, vbi Gen.3.
sit frater eius, Quid hic dicetis? Eúmne ignorare, atque Gen. 4.
ideo sic percontari? At Manichæos hoc modo vos esse de
clarabitis. Eorum.n. propria hæc est audacia. Quòd si ve-
rentes, ne aperte Manichei nominemini, vobis ipsi vim af
fertis, vt dicatis, eum cognoscentem percontari, quid ab-
surdum, aut nouum conspicitis, quamobrem excidatis, si
filius, in quo tunc Deus percontabatur, ipse nunc carnem
indutus vt homo percontatur? Nisi vt cum Manichæi si-
tis, percõtationem etiam illam carpatis, & calumniemini,
vt solum in malis cogitationibus vestris vos audacter ge-
ratis. At in omnibus confutati rursum tumultuamini pro-
pter illa verba, quę a Luca scripta sunt. Et Iesus proficiebat Luc. 2.
sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Ne-
cessarium igitur est, vt nos iterum tanq̃ sadducæos, & Pha
risæos interrogem, Iesus Christus homo est, vt reliqui oēs
homines, an Deus est carnem gerens? Si homo commu-
nis est, vt cæteri homines, proficiat, vt homo, quæ quidem
est Samosatensis sententia, quam vos item re sequimini, li-
cet hominum veriti de vobis existimationem, dissimule-
tis. Sin Deus est carnem gerens, quandóquidem & hoc ve
rum est, quid proficit, cùm sit æqualis Deo, aut quõ auge-
tur filius, qui semper est in patre? Si enim semper in pa-
tre existens proficit, & crescit, aliquid nimirum est supra
patrem, ad quod ille crescens perueniat. Deinde si homo
factus proficiebat, erat ante, q̃ homo fieret, imperfectus.
Et caro potius perfectio ipsius fuit, q̃ ipse carnis. Deinde si
Verbum existens proficit, quid maius assequi potest, q̃ vt
sit id, quod est, Verbum nimirum, & sapientia, & filius, &
Deus, Cuius si quis vt radij particeps fieri potest, is inter
hominis est perfectissimus, & equalis Angelis fit? Siquidē
& Angeli & Archangeli, & Dominationes, & omnes pote
states, & Throni, Verbi participes personam eius semper
contemplantur. Quõ igitur qui aliis perfectionem præ-
bet, ipse post illos proficiat? Angeli.n. & in ortu ipsius hu-
mano ministrabant. Et quod à Luca dictum est, post
Angelorum ministerium fuit. Quõ igitur is qui ipsa sapien
tia est, sapiētia proficiebat? Aut qui gratiam aliis elargitur
(nam Paulus quidem in omnibus Epistolis suis gratiam Rom.16.
per ipsum dari facile agnoscit, gratia, inquiens Dñi nostri 2.Cor.13
Iesu Christi cum omnibus vobis) ipse gratia proficiebat?
Aut igitur Apostolum dicant, falsa scripsisse, aut sapientiā
esse filium negent. Aut si sapientia est, nullum accipiebat
incrementum. Homines enim, qui creati sunt, crescere, &
in virtutis studio progredi possunt. Enoch quidem hoc Heb..2
modo translatus est. Et Moses crescens proficiebat. Et Exo.2.
Isaac proficiens magnus effectus est. Et Apostolus ad ea Gen. 21.
quotidie, quæ ante sunt, contendebat. Horum.n. singuli Philip. 3.
habebant, quo progrederentur, superiores gratus intuen-
tes. At Dei filius solus existens in solo patre est, à quo non
vlterius extenditur, sed in ipso semper manet. Humana er
go ratione dictum est, proficiebat. Nam hominum est pꝛ-
fectio, & augmentum. Quare magna cum obseruatione
ætatem adiunxit Euangelista, proficiebat inquiens sapien
tia, & ætate. Verbum autem & Deus nullam habet ætatis
mensuram. Aetates.n. ad corpus referuntur. Itaq; corpo-
ris est hæc progressio. Corpore.n. crescente Diuinitatis de
claratio videntibus maior efficiebatur. Quanto autem ma
gis Diuinitas patefiebat, tanto magis gratia augebatur,
nempe hominis iam apud omnes homines. Puerulus enim
gestabatur. Puer verò mansit in templo, & cum sacerdo-
tibus de lege disputabat. Paulatim deinceps crescente cor
pore, & Verbum demonstrante, Petrus primùm, deinde

reliqui discipuli eum verè Dei filium confitentur. Quòd si probabile aliquid cum veritate coniunctum dicendũ est, ipse in seipso proficiebat. Sapientia.n.ædificauit sibi domum, & in seipsa fecit domum consurgere. Nam gratia,
Pro. 9. qua homines ob similitudinem & cognationem carnis verbi peccato corruptioneq́; in ipsis deleta diuini efficiuntur, à sapientia tributa, est quædam progressio, vt ante dixi. Dũ igitur corpus ętate cresceret, augebatur in ipso Diuinitatis declaratio, qua cognoscebant omnes, ipsum esse tẽplum Dei, & Deum esse in corpore. Quòd si pertinacius obstiterint, dicentes vocatum esse Iesum, cùm factus est caro, & illud proficiebat, ad illum dixerint esse referendũ, sciãt, ne id quidem paternam lucem imminuere. Est. n. filius. Eaq́; re planum fit, Verbum esse factum hominem, & veram carnem gestasse. Et quemadmodum dicimus, Dominum carne passum esse, & carne esuriisse, & carne defatigatum esse, sic etiam iure dicemus carne auctum esse, & profecisse. Non igitur Verbi incrementum, neq; caro erat. Sapientia. Quapropter, vt antediximus, nõipsa per se sapientia, quatenus sapientia est, proficiebat. Sed, quod humanũ erat, in sapientia proficiebat. Humanam.n.naturam paulatim exuperabat, diuinumq́; efficiebatur, & Diuinitatis instrumentum fiebat ad eius actiones, & splendorem omnibus in rebus efferendum. Quamobrem non dixit: Verbum proficiebat, sed Iesus proficiebat, quo quidem noĩe Dominus factus homo vocatus est. Vt progressum illum humanæ naturæ fuisse constet, quemadmodum diximus. Sicut ergo crescente carne dicitur ipse crescere propter corporis coniunctionem, sic ea, quæ tempore mortis appetente dicuntur, vt turbari, & flere, eodem sensu sunt accipienda. Si igitur ex humanis affectionibus humilia abiectaq́; cogitandi de Deo sumunt occasionem, adeo, vt hominem ipsum totum è terra, non autem è cœlo putent, cur non etiam ex diuinis operibus in Patre Verbum agnoscũt, & propriam repudiant impietatem? Possunt. n. animaduertere eũdem esse, qui diuina opera exequitur, & qui corpus affectionibus obnoxiũ ostendit, dum permittit, ipsum lugere, & esurire, & id genus alia perpeti. Ex his enim omnibus declarauit, se cùm Deus sit impatibilis, carnem patibilem suscepisse. Ex operibus autem ostendit, se Dei Verbum hominem esse factum, & si mihi, inquiens, non cre-
Io. 10. ditis, operibus credite, vt cognoscatis, me esse in patre, & patrem in me. Audientes quidem illum dicentem, Ego & pater vnum sumus, vnam ex proprietate patris per essentiam perspicere Diuinitatem oportebat. Audientes autem eum fleuisse, & reliqua eiusdem generis pertulisse, ea fateri esse corporis maxime propria. Legitimam.n.ita cogitãdi causam habent. Vt ea quidem de Deo, hęc autem propter humanum ipsius corpus scripta sint. Homo autem factus est, & hac tanq̃ ab homine dicuntur & fiunt, vt hæ quoq; carnis affectiones nobis leuiores efficiantur, & nos ab illis liberi simus. Iam Dñs, qui semper in patre est, nec anteq̃ hanc vocem emitteret, nec posteaquam illam emisit, à patre derelinqui potuit. Neq; fas est, dicere Dñm ipsum formidasse, quem Inferni custodes metuentes Infernum di-
Mat. 27. miserunt, propter quem & monumẽta aperta sunt, & multa corpora sanctorum surrexerunt. Ecce.n.dicente Dño, cur dereliquisti me, pater se & semper & tunc in ipso fuisse declarat. Nam & terra Dominum suum loquentem agnoscens statim tremuit. Et velũ scissum est, & sol radios suos contexit, & petræ confracta sunt, &, quod admirandũ est, illi ipsi, qui aderant, & eum ante negauerant, hæc conspicati verè hunc esse Dei filium confitentur. Iam quod pertinet ad illa verba, si fieri potest, transeat à me calix, animaduertant, q̃ũ is, qui hæc dixit, Petrum increpuerit, nõ capis, inquiens, quæ Dei sunt. Volebat suscipere id, quod deprecabatur, & icc irco venerat. Increpauit igitur Petrũ vt Deus, deprecatus est mortem vt homo. Habebat.n.carnem pauidam, propter quam cum humana imbecillitate voluntatem suam cõiunxit, vt hanc item affectionem aboleret, hominemq́; ad oppetendam mortem strenuum, & fortem efficeret. Attende enim rem nouam, & admirabilem. Quem timide loqui putãt isti Christi hostes, is ea ipsa affectione, quam ipsi formidinem existimant, homines audentes, & impauides constituit. Nam Beati post illum Apostoli, & alij Sancti Martyres propter has voces adeo mortem contempserunt, vt per eam se magis ad vitam trãsire, q̃ mortem subire existimarẽt. Quàm absurdum igitur est, cùm Verbi ministrorum fortitudinem admireris, Verbum ipsum timidum dicere, propter quod illi mortem non timuerunt? Ex fortissimo igitur Sanctorum Martyrum proposito, virtuteq́; cõstat Diuinitatem minimè formidasse, sed formidinem nostram seruatorem abstulisse. Quemadmodum enim morte sua mortem destruxit, & humanitate sua reliquas humanas affectiones, sic & hoc, qui metus dr̃, metum nostrum sustulit, effecitq́;, ne homines amplius mortem extimescerent. Dixit ille quidem, & fecit hæc. Nã sicut hominis fuit, dicere, Transeat calix, & cur, dereliquisti me, sic Dei fuit, efficere, vt sol ipse deficeret, & mortui redirent in vitam. Et qui dixit, vt homo, Anima mea turbata est, idem vti Deus dixit, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum assumendi eam. Turbari enim est proprium carnis. Habere autem, q̃ñ vult, ponendi, sumendiq́; animam potestatem, non est amplius hominis proprium, sed ad Verbi potentiam pertinet. Homo.n.nõ potestate sua, sed naturæ necessitate etiã nolẽs moritur. Dominus autem, qui immortalis est, & carnem mortalem induit, vt Deus potestatem habebat, vt se, cùm vellet, & à corpore separaret, & corpus iterum sumeret. Decebat enim, vt caro mortalis, & interitui obnoxia non iam ex natura sua maneret mortalis, sed propter Verbum, quod illam assumpserat, immortalis effecta nullum amplius interitum sentiret. Sicut.n.corpore nostro quę nostra sunt, imitabatur, sic nos ipsum suscipientes ab eo sumimus immortalitatem. Itaq; frustra se dicunt offendi, cùm audiunt de Verbo illa dici. Anima turbata est, fleuit. Vidẽtur enim humano sensu carere, & naturam hominum, & affectiones eorum ignorare. Magis eos admirari oportebat, Verbũ in carne, quæ talia patitur, in eẽ, nec insidias struentes cohibuisse, neq; interfectores vltum esse, cùm tamen posset, quippe quod alios à morte liberaret, & iã mortuos in vitam reduceret, sed proprium corpus pati permisisse. Ob id enim, vt ante diximus, venit, vt carne pateret, & carnem redderet immortalem, &, quod sæpe iam à nobis dictum est, vt ignominia, & reliquis humanis affectionibus in se translatis, homines ab illis per ipsum deletis non vexarentur amplius, sed Dei templum in perpetuum manerent.

Ex eadem serie. Iac. 1.

IMproba profectò scelestaq́; res vt videtur, est homo Hæreticus, & instar illius feræ, quã in fabulis suis Græci hydram appellant, quæ prioribus serpentibus excisis, serpentes alios parit, & eorũ obiectu cum illis pugnat, qui priores obtruncauerunt. Sic hostes Dei confutatis argumentis, quibus se tanquam serpentibus defendebant, iudaicas, & stultas alias quæstiones inueniunt, & esto, inquiunt, quando hæc sic interpretamini, & ratiocinationi-

bus, demonstrationibusq; superatis, dicite, vtrum consilio & voluntate genitus sit filius à patre. Hoc si quis eorum, qui de religione Christiana rectè sentiunt, quæreret, nihil esset suspicandum, recta enim mens, & sententia simplicio rem verborũ expositionem superaret. Nunc autem, cùm ab Hęreticis hæc quæstio proficiscatur. Omnia autem Hæreticorum verba suspecta sint, metuendum est, ne suam ipsorum impietatem ita disseminent. Idem enim dicit, qui quærit, consilióne genitus sit filius, ac si quæreret, vtrum fuerit aliquando, cùm nõ esset, aut vtrum ex nihilo factus, & creatus sit. Vndénam enim, quóue ex scripturæ loco hęc promunt? nisi forte omissa scriptura Valentini malitiam imitantur. Ptolomæus enim Valentinus duas, inquit, quod non est genitum, lances habet, cogitationem, & voluntatem. Et primò cogitauit, deinde voluit. Et quæ cogitauit, efficere non potuit, nisi cùm voluntatis potestas facta fuit. Ab hoc discentes Ariani voluntatem, & consilium Verbo volunt anteire. Isti igitur æmulentur doctrinam Valentini, nos autẽ sacras versantes scripturas inuenimus de illo dici, ipsum esse, & solum esse, & esse in patre, & esse patris imaginem. De solis autem rebus procreatis, quæ quondam nõ erant, sed factæ sunt, consilium, & voluntatem præcessisse legimus, cùm in centesimo tertiodecimo Psalmo Dauid ita canat, Deus noster in cœlo, & in terra, omnia, quæcũq; voluit fecit, & in Psalmo centesimo decimo, Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, & rursum in Psalmo centesimo trigesimo quarto, omnia, quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus Abyssis. Quare si Verbũ est opus, & res facta, & vnum ex omnibus, dicatur & ipsum consilio factũ. Sic enim ostẽdit scriptura, res omnes esse factas. Asterius item ad hæresim confirmandam adiutor accedit, Si indignum est, inquiens, opifice Deo, vt volens faciat, in omnibus pariter rebus voluntas tollatur, quo dignitas eius firma, & integra conseruetur. Quòd si voluntas in Deo non est indecora, in primo etiam germine adhibeatur. Neque enim fieri potest, vt in vno eodemq; Deo in rebus faciendis, & velle simul deceat, & nolle. Quam potest maximam impietatem Sophista verbis suis componit. Idemq; vult esse quod genitum est, & quod factum est, & vnam ex rebus, quæ factæ sunt, vult esse filium. Verùm ab omnibus diuersus est, quẽadmodum in superioribus demonstrauimus, & omnia per ipsum facta sunt. Quare nec dicatur consilio, ne ipse quoq; ita factus ostendatur, vt illa, quæ per ipsum facta sunt, constiterunt. Nam Paulus quidem, qui prius non erat, postea per voluntatem Dei Apostolus factus est. Et vocatio nostra, vt quæ olim & ipsa non erat, nunc autem est, Dei consilium est consecuta, &, vt ipse Apostolus rursum ait, secundum propositum volũtatis suæ. Et illud, quod à Mose scriptũ est, Fiat lux. Et Producat terra, &, Faciamus hominẽ, arbitror, vt ante dictum est, significare facientis voluntatem. Quæ enim antea non erant, sed extrinsecus facta sunt, ea vult facere procreator Deus. In Verbo autem proprio, quod ex se natura gignit, nõ pręcedit voluntas. In hoc enim Pater alia omnia, quæ vult, facit, & creat, Vt Apostolus Iacobus docet, Genuit, inquiens, vos volens Verbo veritatis suæ. Præ pudore igitur confusi, nec audentes dicere, Dei Verbum factum, & creatum esse, & aliquando non fuisse, aliam rationem inueniunt, qua creatum esse dicant. Voluntatem enim præponunt, Et nisi voluntate, inquiunt, genitus est, necessitate ergo, & inuitus habet filium Deus. Ecquis illi, homines scelestissimi, qui ad hæresim vestram omnia trahitis, necessitatem attulit? Quid enim voluntati contrarium sit, viderunt. Quid autem ea sit maius, & prius nõ animaduerterunt. Sicut enim opponitur voluntati id, quod præter sententiam volentis est. Sic id, quod natura est, voluntatem antecedit. Voluntate aliquis domum ædificat. natura filium gignit. Et quod voluntate fit, cœpit fieri, & extra facientem est. Filius autem essentiæ patris proprium est germen, & non est extra ipsum. Quamobrem de ipso non consulit, sicut nec de se quidem videtur consulere. Quãto igitur re procreata filius superior est, tanto id, quod natura est, voluntatem anteit. Isti autem obliti, se loqui de filio Dei, audent humanas illas oppositiones de Deo dicere, necessitatem, & præter sententiam, vt negent esse verum filium Dei. Nam & ipsi nobis rñdeant, vtrum Deo adsit ex voluntate vt sit bonus, & misericors, nec ne. Si ex voluntate, sequitur, eum cœpisse bonum esse, atque ita continget, ipsum esse bonum. Cõsulere enim, & eligere licet in vtranque partẽ, & naturæ cogitantis, & ratiocinantis proprium est. sin autẽ, ne absurdum hoc consequatur, non ex voluntate bonus est, audiant id, quod ipsi dixerunt, ergo necessitate, & inuitus est bonus. Ecquis autem illi necessitatem iniecit? Quòd si absurdissimum est, in Deo esse necessitatem dicere, & propterea confitendum est, esse natura bonum, multo magis & verius dicendum est, eum natura non voluntate esse filij patrem. Illud præterea nobis respondeant, volo enim eos pro audacia ipsorum interrogare, quæ quidem interrogatio licet liberior sit, ad pietatẽ tamen spectabit. Propitius esto Deus. Respondeant igit, vtrum pater ipse prius consuluerit, deinde voluerit, post autem fuerit, an priusquam consuluerit, sit. Oportet enim, vt cùm de Verbo talia audeant loqui, similia item de patre audiant, vt sciant, istam ipsorum petulantiam ad patrem quoque peruenire. Si dixerint, & ipsum patrem ex consultatione & voluntate esse, quid erat ante, q̃ consuluit, aut qd amplius habuit postea, q̃ consuluit? Quòd si eiusmodi interrogatio absurda est, & nequit cõsistere, & hæc dicere omnino nefas est, cùm satis sit, id nos audire, & scire, & intelligere de Deo, nempe ipsum esse illum, qui est, nónne absurdum est etiã de Verbo Dei sic cogitare, & consilium ei, ac voluntatem anteponere? Satis enim est item de Verbo illud scire, & intelligere, nempe ipsum non ex consultatione, & voluntatẽ Deum esse, sed natura proprium esse Verbum patris. Quod quidem Verbum cùm sit consilium, & voluntas patris ipsius, qũo potest consilio & volũtate eius gigni? nisi, vt ante dixi, Verbum gigni per seipsum aut per alterum Verbum asserant homines insani. Quòd si confinxerint, & alterum illud gigni rursum per aliquod aliud Verbum necesse erit. Atq; ita multiceps impiorum hæresis deprehendetur stulte in immensam Deorum multitudinem incidere, dum filium creatum, & ex nihilo factum esse nouis vtentes vocibus, eiq; consilium, & voluntatem præponentes conantur ostendere. Nónne impium est, ea, quæ rerum procreatarum sunt, in procreatorem transferre? Nónne detestabile, & execrandum est, dicere, consilium, & voluntatem esse ante Verbum in patre? Si.n. voluntas in patre procedit, haud vera loquitur filius, ego, inquiens, in Patre, aut etiam si ipse quoq; in patrę est, posterior tamen existimabitur, cùm volũtas in qua omnia facta sunt, antecedat, & ipse post, quẽadmodum nos etiam, existat. Licet.n. gloria præstet, tñ vnum erit ex iis, quæ voluntate facta sunt. At homines nefarij nolunt, Verbum, & consiliũ viuens esse filium, sed prudentiam, & consilium, & sapientiam, vt habitus quosdam, qui inesse, abesseq; possint humano more Deo inhærere comminiscuntur, & omnia mouent, & Valentini notionem & voluntatem ideo præponunt, vt filium à Patre diuidant, eumq; non proprium Pa-

[margin: Iac. 1.]

tris Verbum, sed creatum esse dicant, Apostolus autem non voluntatis, sed essentiæ paternæ proprium splendoré & figuram Dominum esse prædicat, Qui cùm sit, inquiés splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Quòd si paterna essentia atque substantia, vt ante diximus, non est à voluntate, constat, ne id quidem, quod est paternæ substantiæ proprium, à voluntate esse. Qualis enim est beata illa substantia, tale esse oportet & proprium ipsius germen. Quãobrem & ipse Pater non dixit: hic est voluntate genitus filius, nec quem ex beneplacito filiũ habui, sed simpliciter, filius meus, & in quo bene placui. Quibus verbis ostẽdit, eum esse natura filium, in quo voluntas eorum, quæ sibi probantur, sita sit. Num igitur quia natura filius est, non autem ex voluntate, ideo patri non est voluntarius? aut nolentis patris est filius? Minime verò, sed & volenti patri filius est, & pater, vt ipse quidem ait, diligit filium & omnia ostendit ei. Quemadmodum.n.vt bonus sit Deus non ex voluntate cœpit, nec tamen inuitus & præter voluntatem est bonus, Quod.n.illi est, voluntarium est, sicut vt filius sit, quãquam à voluntate non est, non tamen contra voluntetem & sententiam eius est. Vt enim propriam essentiam habet volens, sic & filius, qui est eius essentiæ ꝓprius, ipsi volenti non autem inuito est. Velit igitur ac diligat filium pater, ita tamen, vt piè ipsum velle, & non inuitum interpreteris. Nam qua voluntate pater filium vult, eadem voluntate filius vult, & diligit, & colit patrem. Et vna est voluntas ex patre in filio. Vt ex hac item perspicuum sit, filium in patre esse, & patrem in filio. Caue tamen, ne ex Valentini sententia voluntatem putes antecedere. Insanit enim quisquis inter patrem & filium voluntatem, & consilium, & considerationem interponit. Aliud enim est, dicere, voluntate genitus est, & aliud pater filium proprium suum natura existentem diligit, & vult. Nam illud quidem voluntate & cõsilio genitum esse primùm significat, eum aliquando non extitisse. Deinde, quemadmodum dictum est, in vtrãque partem propensionem ostendit, vt aliquis dicere queat, patrem potuisse filium etiam nolle. Quæ quidem impia audacia cùm filium potuisse non esse dicat, ad patris essentiam peruenit, & idem de patre constituit, non aliter, ac si dicat, Patrem potuisse non esse bonum. Quem admodum ergo semper & natura bonus est Pater, ita semper & natura filiũ gignit. Quòd autem Pater filium velit, & Verbum velit patrem, hoc non antecedens consilium, aut voluntatem ostendit, sed veram naturæ rationem, & essentiæ proprietatem similitudinemq; significat.

Heb. 1. Io. 3.

Ex epistola, qua res in conciliis tũ Arimini, quod est Italiæ oppidum, tum Seleuciæ, quod est oppidum Isauriæ, celebratis gestæ continentur.

POsteaquam ipsi & inter se, & cum illis, qui ante se fuerant, ita constituerunt, age deinceps, inquiunt, exploremus, & ab ipsis intelligamus, quidnám absurdi perspexerint, aut quænám verba ex iis, quæ scripta sunt, reprehendenda repererint, quamobrem à parentibus suis deficere, & consilium Oecumenicum oppugnare debuerint. Verba illa, inquiunt, οὐσία & ὁμοούσιον, hoc est, essentia, & eiusdem essentię, vel (vt communi iam Theologorum vsu receptis vocibus vtamur) substantia, & consubstantialis, nobis non probantur. Hæc.n.verba multos offenderunt, & perturbarunt. Illi quidem ita scribentes dixerunt. Quibus merito potest ad hunc modum responderi. Si verba hæc natura sua talia sunt, vt istos offendant, atque perturbent, non aliquos, aut multos, sed nos etiam simul cum illis offendi oportebat, & perturbari. Sin omnes hæc verba probant, & complectantur, & qui hec scripserunt, nõ quiuis homines fuerunt, sed ex omni Ecclesia Oecumenica conuenerunt, & qui nunc Arimini congregati sunt Episcopi numero amplius quadringenti, ea testimonio suo cõprobarunt, nónne perspicuum est, eos, qui concilio contradicunt, non horum Verborũ natura, sed praua mente, qua illa perperam interpretantur, adductos id agere, & malo consilio scripturas versantes, & in sententias contrarias torquentes accusare, & reprehendere sanctos viros? Tales & fuerunt olim Iudæi Dominum non accipientes, & in præsentia sunt Manichæi, qui legem detestantur. Nõ enim scripturę, sed mala mens eos in erroré induxit. Quare si verba hæc esse improba potestis demonstrare id agite, & ne velitis eorum, qui offendũtur, exemplum adducere. Ne idem nobis contingat, quod Pharisæis illis olim, qui se Domini doctrina simulabant offendi. Sic.n.eos Dñs alloquebatur, omnis, inquiens, plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Sic autem loquens ostendebat, eos non verbis patris per se plantatis offendi, sed ipsos sibi esse offendiculo, peruerse ea, quæ dicebantur interpretantes. Et qui Pauli Epistolas in perniciem suam conuertebát, non Paulum, sed suam ipsorum stultitiam, & mentis peruersitatem merito poterát accusare. Sed, qñ vobis ista placet defensio dicite, quæso, quínam sunt illi, quos verbis his offendi, perturbariq; dicitis? Eorum profecto qui pie credunt in Christum, neminem ostendetis. Hæc.n.à viris eiusmodi probantur, & defenduntur. Quòd si ex Arianorum numero sunt, quibus hęc verba displicent, quid mirum est, si abhorrent ab his, à quibus Hæresis ipsorum tollitur, & euertitur? Non offendiculum illis hæc verba, sed molestiá, & dolorem afferunt, quippe quæ impietatem ipsorum trãsfigunt, atque confodiunt. Desinite igitur aduersus Patres murmurare, & vos istiusmodi excusationibus tegere. Alioquin & Domini crucem insectamini, quandoquidem, vt inquit Apostolus, & Iudæis offendiculo est, & Græcis videtur esse stultitia. Verùm quemadmodum crux non est mala, nobis enim credentibus Christus Dei virtus est, & Dei sapientia, licet Iudæi insaniant, sic verba Patrum non sunt mala, sed vtilia illis, qui ea animo syncero, & candido suscipiunt. Ab his enim impietas omnis euertitur, & Ariani conuicti profligantur, & cõciduntur. Qñ igitur inane excusationis istius, quòd multi offendantur, præsidium deiecimus, dicite, cur vobis hoc essentiæ nomẽ displiceat. Hoc enim prius respondendum est. At qui vos etiam scripsistis filium è patre genitum. Si patrem, aut Deum nominantes, essentiam, & eum qui per essentiam est, non intelligitis, sed aliud quippiá circa ipsum, aut deterius aliquid, quod à me dicendum non est, his vocibus significatis, scribendũ erat à vobis, non ex patre, sed ex iis, quæ circa patrem, aut quæ in ipso sunt patre, filium genitum, vt dum verè patrem Deum non vultis dicere, & eum, qui simplex est, ratione corporea compositum esse cogitatis, magis nouæ execrationis inuentores videremini. Sic autem sentientes necessario & Verbum, & filium, non essentiam, sed nomen solum existimatis, & nominum tenus de illis opinamini, & ea quæ dicitis, non esse creditis. Hæc autem in sadduceos, & Græcorum Deos magis cadit audacia. Quare ne mundus quidem per vos erit opus Dei illius, qui est. Siquidem pater & Deus non essentiam eius, qui est, sed aliud, quos vos ipsi confingitis, significat. Hoc autem vel cogitare impiũ est. & vehementer absurdum. Nos autem cùm audimus illa verba, Ego sum, qui sum, Et, In Principio fecit Deus cœlum,

Matth. 15. Psal. 103. 1. Cor. 8. 1. Cor. 1. Exod. 3. Gen. 1.

ut. 6. cœlum, & terram, Et audi Iſrael, Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt, Et, Hæc dicit Dominus omnipotens, non aliud, niſi ſimplicem ipſam, & beatam, & incomprehenſam eius, qui eſt, eſſentiam intelligimus. Non enim poſſumus comprehendere, quid ſit, ſed audientes pater, & Deus, & omnipotens, nihil aliud, quàm eſſentiam illius, qui eſt, ſignificari cogitamus. Et vos cùm ex Deo filium dixeritis, nimirum ex patris eſſentia ipſum dixiſtis. Quando igitur, & ante vos ſcripturæ dicunt filium patris, & ante ſcripturas pater ipſe dixit, hic eſt filius meus dilectus, Filius autem nihil aliud eſt, niſi germen ex patre, cur non videantur Patres rectè dixiſſe filium ex patris eſſentia, cùm idem eſſe cenſuerint, dicere rectè ex Deo, & ex patris eſſentia? Nam omnes quidem res procreatę ſunt ex Deo, ſed non eo modo, quo filius. Non enim genitæ natura ſunt, ſed factæ. Quapropter in principio Deus non genuit, ſed fecit cœlum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, vt dictum
l. 103. eſt. Et non gignens, ſed faciens Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis dicitur Deus. Iam Apo-
Cor. 8. ſtolus, Vnus, inquiens, Deus ex quo omnia non ita locutus eſt, vt cum omnibus filium numeraret. ſed quoniam ex Græcis alij mundum fortuna, & ex indiuiduorum corpuſculorum, quas atomos dicunt, complicatione, & caſu, conſtitiſſe, & nullam habere cauſam exiſtimant, alij cauſam quidem habere concedunt, ſed non per Verbum, Hæretici autem quod cuique libet confingunt, & de mundi conſtitutione nugantur, vt volunt, Iccircò rem Apoſtolus neceſſario contraxit, inquiens ex Deo, vt & mundi effectorem Deum, & rerum omnium procreationem ab eius conſilio profectam indicaret. Statim autem ſubiecit, Et vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, vt ex omnium numero filium eximeret. Quæ enim ex Deo dicuntur omnia, hæc per filium facta ſunt. Et quæ facta ſunt, eundem cum illo, à quo facta ſunt, ortum habere non poſſunt. Verùm vt illa verba, ex Deo, aliter de filio, quàm de rebus procreatis dici conſtaret, filius enim genitus eſt, illę autem factæ ſunt, filius eſt proprium eſſentiæ germen, illæ, voluntatis ſunt opera, concilium cenſuit clarius eſſe ſcribendum, filium ex eſſentia, vt ambiguitatem ex verborum ſimilitudine proficiſcentem adimeret, ne quis poſſet ſuſpicari, filium eadem ratione dici, qua res procreatæ dicuntur, ex Deo. Hæ nanque voces, ex eſſentia, veram patris germanum & proprium filium gignentis naturam declarant: Illæ autem, ex Deo, res procreantis conſilium indicant & voluntatem. At hæ voces, inquiunt, ſcriptæ non ſunt in libris ſacris, & nos eas, vti non ſcriptas repudiamus. Hac item excuſatione ſuam impudentiam tegunt. Si enim vt adulterina cenſent eſſe repudianda, quæ in ſcriptura non reperiunt, cur verbis illis, quæ Arij fautores non ex ſcriptura, ſed aliunde tanquam fecem hauſerunt, qualia ſunt hæc, ex nihilo, Et, non erat filius ante, quàm gignere tur, Et, fuit aliquando, cùm non erat, Et mutabilis eſt, Et, filio pater eſt inuiſibilis, Et filius ne ſuam quidem nouit eſſentiam, Et quæ in ridiculo, & impio conuiuio ſuo Arius prudens euomuit, cur iſtis inquam verbis non repugnarunt, ſed contra potius illa tuentur, atque defendunt, & aduerſus patres pro illis pugnant? Aut cur Acatij, Euſebiiq; fautores in iis, quæ dicuntur Encænia, verbis quæ non inueniuntur in ſcriptura, vtentes, dicenteſq;, eſſentiæ, & virtutis, & conſilij, & gloriæ nulla re differentem imaginem primogenitam creaturæ, Patribus ſuccenſent, quòd vocibus in ſcriptura non vſitatis vtantur, & eſſentiæ mentionem faciant? Oportebat autem eos, vel ſibi ipſis indignari, vel patres non accuſare. Nam quidam alij, qui verba concilij calũniati ſunt, vel ignorantes vel cauti poſſunt exiſtimari. Ac de Georgio quidem Capadoce Alexandria expulſo, vt qui nec ante actæ vitæ teſtimonio probatus ſit, nec omnino Chriſtianus exiſtat, ſed temporis gratia ſimulet, nomenq;, & lucrum arbitretur eſſe pietatem, ne verbum quidem faciendum eſt. Quis enim merito illum in crimen vocet, quòd erret in iis, quæ ad fidẽ religionemq; pertinent, cùm nec quid loquatur, nec quid affirmet, ſciat ſed tanquam auis, vt ſcriptum eſt, paſsim huc illuc volitet? At Acacius, & Eudoxius, & Patrophilus cùm hæc dicant, nónne ſunt omni condemnatione digni, qui cùm ea ſcripſerint, quæ non ſunt in ſcriptura, & eſſentiæ nomen, vt bonum, maximè propter Euſebij epiſtolam ſæpe ſuſceperint, nunc eos, qui ante ſe fuerunt, accuſant, quòd eiuſmodi vtantur vocibus? Quinetiam cum ipſi dixerint Deum ex Deo, & Verbum viuens, & eſſentiæ patris omnino ſimilem imaginem filium, reprehendunt eos, qui Niceæ dixerunt, ex patris eſſentia genitum, & eiuſdem eſſentiæ filium eſſe cum patre. Quid mirum, quod iis, qui fuerunt ante ſe, propriiſq; patribus aduerſentur, cùm ſecum ipſi pugnent, & decreta abrogent ſua? Exponentes enim Antiochiæ in iis, quæ vocantur Encænia, filium eſſe patris eſſentiæ ſimillimam imaginem, iureiurando ſe ita ſentire dixerunt, & eos, qui aliter ſentirent, anathemate puniendos cenſuerunt. Præterea ſic in Iſauria ſcripſerunt. Authenticam fidem in Encæniis Anthiochiæ expoſitam non improbamus. in ipſa autem ſcriptum eſt eſſentiæ vocabulum. Paulo poſt in Iſauria tanquam horum obliti contraria ſcripſerunt dicentes, ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον, hoc eſt, eiuſdem, ſeu ſimilis eſſentiæ, ſiue conſubſtantialem, vt verba à ſcripturis abhorrentia repudiamus. Et eſſentiæ nomen, quòd in ſcripturis non inueniatur, abiicimus. Quis homines iſtiuſmodi Chriſtianos amplius putet? Aut quæ fides, ac religio apud iſtos ſit, qui nec ea, quæ loquuntur, nec ea, quæ ſcribunt, rata eſſe volunt, ſed omnia pro tempore immutant, atque peruertunt? Si enim (vos ò Acaci, & Eudoxi nunc appello) fidem in Encæniis expoſitam nõ improbatis, in ea autem ſcriptum eſt, filium eſſe patris eſſentiæ ſimillimam, & expreſſam imaginem, cur in Iſauria dicitis, eiuſdem eſſentiæ verba repudiamus? Si enim filius non eſt patri per eſſentiam ſimilis, quomodo eſt eſſentiæ illius imago ſimillima? Quòd ſi pœnituit vos ſcripſiſſe, filium eſſe imaginem patris eſſentiæ ſimillimam, quomodo eos, qui filium patri ſimilem negant, anathemate plectendos iudicatis? Si enim non eſt per eſſentiam ſimilis, omnino diſsimilis eſt, quod autem eſt diſsimile, imago nunquam erit. Hoc autem ſi per vos ſic habet, non is, qui filium vidit, patrem vidit, cùm inter eos, quanta maxima poſsit, differentia intercedat, atque adeo cùm ſit omnino hic illi diſsimilis, quod autem diſsimile eſt, ſimile dici non poteſt, Quónam igitur pacto, qđ diſsimile eſt, ſimile dicitis eſſe, & quod ſimile eſt fingitis eſſe diſsimile, dicentes filium eſſe patris imaginem? Si enim filius patri non eſt eſſentia ſimilis, aliquid imagini deeſt, & non eſt imago plena, nec ſplendor perfectus. Quomodo igitur intelligitis illa verba, In ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, & ex plenitudine eius Col. 2.
nos omnes accepimus? Quomodo Aëtium Arianum vt Io. 1.
Hæreticum reiicitis, cùm eadem vos quoque dicatis? Is enim, Acaci, ſocius eſt tuus, & ab Eudoxio inſtitutus in hanc incidit impietatem, propter quam & Leontius ipſum Epiſcopus Diaconum conſtituit, vt tanquam ouis veſtimento indutus, eius muneris nomine protectus impunè, verba execranda poſſet euomere. Ecquid nam fuit tanti

quo potueritis adduci,vt incontrarias sn̄ias incurrētes vo
bis ipsis aduersaremini,& tantū dedecus admitteretis?Nul
lam probabilem causam afferetis,qua persuadere valeatis,
vos non oīa propter Constantij mandatum, & lucrum ab
illo propositum,fingere, & simulare. Iccirco propēsi estis
ad accusandum. Iccirco Patrum dicta, ꝙ non reperiantur
in scriptura, calūniamini, &, quemadmodum scriptū est,
crura ad oēm viam extenditis. Vt toties parati sitis mutare
sententiam,quoties voluerint illi, qui vobis mercedem, &
præmia sumministrant. Nihil profecto refert, verba, q̄ in
scriptura non sint, vsurpare, dum rectè pieq; sentias. Nam
qui Hęreticus est,licet vtatur verbis è scriptura deprōptis,
tñ suspectus erit, & cùm mentem infectam, & corruptam
Psal. 49. habeat,audiet à spiritu. Quare tu enarras iustitias meas, &
assumis testamentum meum p os tuum? Sic & Diabolus,li
Luc. 4. cet à scripturis sumeret,quod loquebaṫ, à Seruatore tñ ius-
sus est obtumescere. At B.Paulus,quāuis externorum scri-
Tim. 1. ptorum dicta proferat,Cretenses,inquiens,semper mēda-
Act. 17. ces,&,Huius.n.& genus sumus, & corrūpunt bonos mo-
1.Cor.15 res colloquia praua, tñ cùm sanctus sit, animum pium, &
Christi mentem habet,& gentium doctor est in fide,& ve
ritate, & quicquid dicit, cum pietate loquiṫ. Quid ergo in
Arianorum voculis probabile est,quibus anteponitur ser-
uatori Bruchus,& locusta,& ipse seruator afficitur contu-
melia ab ipsis loquentibus ad hunc modum, Tu aliqñ non
eras,& creatus es, & peregrinus es, nō aūt ex Dei essentia.
Nullum deniq; genus ignominiæ ab istis prætermittitur.
Oībus ergo patefaciūt, se non alia de causa magnum illud
concilium improbare, nisi ꝙ Arianam Hæresim dānauit.
Ob id enim & vocem hanc Homousion calūniantur, qđ
& ipsi de illa prauè sentiunt.Nam si rectè crederent,& pa-
trem verè patrem esse faterentur,& filium verè filiū, & na
tura verum Verbum, & sapientiam patris esse sentirent, &
voces illas,ex Deo, non, quēadmodum de rebus procrea-
tis dicuntur, de filio dicerent, sed ipsum essentiæ patris pro
prium esse germen crederent,nullus eorum verba Patrum
carperet, & reprehenderet, sed oēs à concilio rectè fuisse
scriptum, & hanc esse rectam de Dño nostro Iesu Christo
fidem affirmarent.At obscurus est, inquiunt, nobis sensus
horum verborum. Sic.n.excusant se,& quoniam,inquiūt,
non possumus intelligere, quid sibi velint hæc verba, iccir
co illa repudiamus.Si verè loquerentur,cur illa repudiarēt,
ac non potius significationem illorum à peritis discerent?
Alioquin & ea, quæ in scripturis diuinis non intellexerint,
repudiabunt, & scriptores ipsorum reprendent. Qđ qui-
dem facinus Hæreticorum est hoīum, non Christianorū.
Nos.n.quæ in libris sacris non intelligimus, ea non abiici-
mus,sed nobis vt declarētur, petimus ab iis, quibus à Dño
patefacta sunt.Verùm qñ horum verborum pretexunt ob
scuritatem,saltem ea,quæ statim sequuntur,confiteantur,
& anathemate puniendos iudicēt eos, qui filium ex nihilo
factum esse,& non fuisse prius, q̄ fieret, existimant, & Dei
Verbum creatum,& factum,& natura mutabile,& ex alia
esse hypostasi arbitrantur,& damnandam,execrandamq;
censeant Hæresim Arianam talis impietatis inuentricem.
Deniq; ne dicant, se hæc verba abiicere & repudiare, sed
nondum intelligere, vt probabilem aliquā habeant excusa
tionem.Equidem mihi persuadeo, & ipsi non ignorant, si
hæc fateantur,& Arianam Hæresim detestētur,fore, vt ne
ab illis quidem concilij verbis abhorreāt. Et propterea pa
tres,cùm dixissent, filium ex essentia genitum, vt eiusdem
essentiæ cū patre, vel patri consubstantialem statim adiece
runt,Eos aūt,qui illa, quę ante dicta sunt ex Ariana Hæresi
deprompta probant,anathemate condemnamus.

Ex eadem epistola.

IN eos, qui cætera oīa quæ Nicææ scita decretaq; sunt,
approbant, de hac autem voce dūtaxat, ὁμοούσιον, hoc
est, eiusdem essentiæ, ceu consubstantialis ambigunt, non
vt in hostes affecti esse debemus. Quāobrem nō vt Ariana
insania laborantes,& p̄ribus aduersantes eos oppugnam⁹,
sed tanq̈ fratres,& idem sentientes & sola verbi controuer
sia discrepantes alloquimur. Confitentes.n.filium ex p̄ris
essentia,& non ex alia esse hypostasi,nec esse creatum,nec
factum,sed germanū,& naturale germen,& ab omni æter
nitate simul esse cū patre,& Verbū esse,& sapientiam,non
multum absunt, quin & vocem hanc Homousion ample-
ctantur.Nā quod essentia simile dr̄,id quod ea vox vr̄ signi
ficare, non oīno est ex essentia, qua quidem rōne, vt ipsi
etiam dixerunt,germana filij cū patre proprietas magis ex
primitur.Etenim stannum etiā argento simile est,& lupus
est similis cani,& æs inauratū auro vero est simile.Attamē
nec stannū ex argēto existit, nec lupus dicetur filius canis.
Qm̄ verò & ex essentia ipsum esse dixerunt, & ὁμοιοούσιον,
nihil aliud ex hac voce nisi ὁμοούσιον signant. Sicut.n.qui
dicit, ὁμοιοούσιον, non oīno significat ex essentia, sic qui di
cit ὁμοούσιον significat vtrūq;, nempe & ὁμοιοούσιον, & ex
essentia. Et ipsi quidem eos, qui Verbum esse creatum asse
runt, nec germanum esse filiū volunt impugnantes exem-
plo patris & filij ab hominibus sumpto sic vtuntur, vt cō-
monefaciant, hoīem non esse Deum, nec hoīum more gi-
gnere,sed rōne ipsi Deo cōuenienti.Et fontem enim sapiē
tiæ, & vitæ dixerunt esse p̄rem, & filium splendorem lucis
æternæ,& ex fonte germen, & ex p̄re filium, vel ὁμοούσιον
aliquis congruēnti ratione noīabit. Num igitur qm̄ homi-
num fœtus sunt ὁμοούσιοι verendum est, ne Dei filius, si di-
catur ὁμοούσιος, ipse item vt fœtus humanus existimetur?
minimè verò. Facile enim soluitur hæc dubitatio. Nam
Dei filius est Verbum & patris sapientia. Quare sine vlla
perturbatione aut diuisione filium ex patre gigni perspi-
cuum est. Quandoquidem ne hominis quidem Verbum
pars ipsius hominis est, neq; cū perturbatione ab ipso pro
ficiscitur. tm̄ abest, vt Dei Verbum quod filium esse suum
pater on̄dit,sit eius pars, aut à Deo cùm perturbatione p-
ueniat. Nullus tñ cùm audit solum Verbū, existimet, illud
esse, quale est hominis Verbum, sine hypostasi. Sed dū au-
dit, esse filium, Verbum viuens intelligat, & sapientiam in
essentia exn̄tem. Præterea vt germen dicentes nō humano
modo intelligimus, & patrem Deum agnoscentes nullam
circa ipsum notionem corpoream animo cōcipimus, Sed
dum exemplis his atq; vocibus vtimur, rationem tñ Deo
congruētem cogitamus. (neq;.n. Deus est, quēadmodum
homines sunt,) sic cùm dicimus ὁμοούσιον, oēm debemus
sensum transilire,&, vt diuinum prouerbium monet,rōne
menti, non corpori conueniente intelligere, q̄ nobis pro-
ponuntur, vt cognoscamus, ipsum non voluntate, sed verè
germanum esse filium patris, tanq̈ ex fonte vitam, & lucis
splendorem. Alioquin cur potius ὁμοούσιον, q̄ germen, & fi
lium, modo corporeo intelligamus, cū hæc oīa non de di-
uersis, sed de vno eodēq; dicantur? deceatq; idē ex verbis
eiusmodi de seruatore cogitare,& docere, non aūt germē
rectè interpretari, ὁμοούσιον aūt contra. Alioqui cur nō idē
agimus, cùm Verbū, & sapīam patris filium dicimus, vt di
uersam notionē ex his vocibus suscipiamus, aliudq; p Ver Rom. 8
bum,& aliud p sapīam intelligamus? At absurdū est. Quia Heb. .7
Verbum,& sapīa patris filius est,& vnum est ex patre ger- Gal. 2.
men,& propriū essentię ipsius. Absurdum itidem est, aliud
p vocem hāc germen, aliud per vocem illā, ὁμοούσιον, intel-
ligere.

ligere. Nam qui germen filiũ intelligit, ipsum rectè etiam intelligit ὁμοούσιον. atque ex his quidem satis constat, amicorum, & fratrum mentem non esse à nobis alienam, nec procul abesse, quin vocem hanc, ὁμοούσιον, suscipiant. Verum, quoniam, vt ipsi aiunt, nã ego quidem epistolam non legi, Episcopi, qui Samosatensem damnarunt, dixerunt, filium non esse ὁμοούσιον patri, sed cautè tamen, & obseruantes, ac venerantes eos, qui ὁμοούσιον affirmauerant, ęquum est, vt nos item cautè rem exploremus. Hos enim cum illis committere, vt congrediantur, & pugnent, iniquum est. Sunt enim omnes patres. Decernere itẽ & iudicare, hos rectè, illos male dixisse, aut contra, non est admodũ pium. Omnes enim in Christo dormierunt. Non oportet autem serere, dissensiones, nec conuenientium numerum comparare, ne qui plures sunt, multitudine videãtur pauciores opprimere, nec tempora dimetiri, ne qui antecesserunt, videantur tempore posteriores euertere. Omnes enim, vt ante diximus, patres sunt. Illud tamen demonstrãdum videtur, trecentos illos nihil noui scripsisse, neque nimia adductos confidentia verbis non vsitatis fuisse vsos, sed à patribus, profectos verba patrum adhibuisse. Duo multo ante fuerunt Dionysij, vnus Romæ, aliter Alexandriæ Eps. Cùm autem quidam apud Romæ Episcopum accusassent Episcopum Alexandriæ, quod filiũ creatum & patri non, ὁμοούσιον, diceret, concilium Romæ coactum indignatum est, Et Romanus Episcopus omniũ sententiam scripsit ad eũ, qui eodem, quo ipse nomine, nempe Dionysius vocabatur. At ille respondens librum inscripsit, Elenchum, siue Apologiam, idest, confutationem, seu defensionem. In eo igitur libro rescribit ad hunc modum: In alia item epistola demonstraui, quod in me conferunt, crimen esse falsum: Licet enim dicam, me nomen hoc nõ inuenisse, nec legisse in sanctis scripturis, argumenta tñ deinceps allata, quæ illi tacuerunt, ab hac sententia nõ abhorrent. Nam & humani fœtus, vt genere similis, exemplum adduxit, dicens oĩno genitores ea vna re à filiis diuersos, esse, quòd filij non sint aut neque genitores necessario, nec filios esse. Et epistolã quidem, vt ante dixi, propter calamitates proferre non possũ. Alioquin ipsa tibi verba, vel exẽplar potius mitterẽ, quod quidem, si facultas dabitur, faciam. Memini autem me plures cognatorum similitudines attulisse. Nam & plantam dixi è semine, radicéue proficiscentẽ ab eo, vnde prouenit, diuersam esse, & tamen illi esse similem, atque coniunctã. Et omnem à fonte defluere, & aliud tamen nomen, & figuram obtinere, neque enim fontem esse flumen, neque flumen esse fontem, & ambo tamen vnum esse. Ac fontem quidem esse veluti parentem, vnde flumen tanquam filius emanat. Sic Episcopus ille locutus est. Si quis igitur Patribus Nicææ congregatis vitio vertendum existimat, quòd ea dixerint, quæ ab illis qui præcesserant, nõ fuerant approbata, idem & septuaginta patribus merito succensebit, quòd instituta ab illis, qui ante se fuerant, non obseruarint. Fuerunt autem ante ipsos Dionysij, & Episcopi illi, qui Romæ coacti erant. Sed neque hos, neque illos reprehendere fas est, cùm omnes ea, quæ ad Christum pertinent, confirmarint, & omnes studiũ suum ad expugnandos Hęreticos adhibuerint. Et hi quidem Samosatensem, illi verò Arianam Hæresim condemnarint. Et rectè vtriq;, & apposite ad qõnem propositam scripserint. At quemadmodum Beatus Apost. ad Rom. scribens, Lex, inquit, spũalis est, &
om. 8. Lex sancta, & mãdatum sanctũ, & iustũ, & bonũ, Et Paulo post, Nam ꝗ impossibile erat legis, in quo infirmabat, Ad
eb. .7 Hæbreos autem scribens, Lex, inquit neminẽ ad perfectio
al. 2. nem adduxit, Et ad Galatas, in lege, inquit, nemo iustifica-tur, Ad Timotheum verò, Bona, inquit, est Lex, si quis ea 1. Tim. 1
legitime vtatur, Nec tamen quisquam virũ sanctum accusat, quod contraria, & pugnantia scripserit, sed potius eũ admiramur, quòd orationem singulis, ad quos scribebat, accommodarit. vt & Romani & alij à litera ad spiritum discerent sese cõuertere, & Hebręi, & Galatę cognoscerent, non in lege, sed in Domino, qui legem tulerat omnem esse spem collocandam, sic cùm vtriusq; concilij Patres diuersa ratione vocem hanc, ὁμοούσιον, adhibuerint, non debemus nos ab illis omnino dissidere, sed mentem, & sententiam ipsorum indagarę. Atque ita comperiemus vtrunque concilium consentire. Nã quis Samosatensem impugnabant, dixerunt, Christum non esse ὁμοούσιον, neque enim filius sic est ὁμοούσιον patri, vt Samosatensis intelligebat, Qui autem Arianam hæresim damnabant malitia Pauli Samosatensis animaduersa, non ita de rebus incorporeis, & præcipuè de Deo, vt de aliis rebus ὁμοούσιον dici, scientesq; Verbum, non esse creatum, sed ex patris essentia genitum esse, quæ quidem patris essentia sit principium, & radix, & fons filij, & habentes exempla Dionysij, fontem, & defensionẽ pro hac voce susceptam in primisq́, dictũ illud Seruatoris idẽ
significans, Ego & pater vnum sumus, Et illud, Qui vidit Io. 10.
me, vidit patrem, his de causis illi meritò filium dixerunt Io. 14.
ὁμοούσιον, Et quemadmodum, vt ante dixi, nemo reprehenderit Apostolum aliter ad Romanos, aliter ad Hebræos de lege scribentem, sic hi, qui nunc sunt, superioribus non succensebunt, eorum interpretationem perspicientes, nec ipsi superiores hos accusabunt, sententiam eorum, & necessitatem, qua adducti sunt, vt ita scriberent, animaduertentes. Rationem enim habet vtrunque concilium probabilẽ atque legitimam, quamobrem tum hoc, tum illo modo dictum sit. Etenim quia Samosatensis ante Mariã fuisse negabat filium, sed ab ipsa existendi sumpsisse principium asserebat, iccircò Patres illi congregati damnãdum vt Hęreticum censuerunt. De filij autem Diuinitate simplicius scribentes verbũ hoc, ὁμοούσιον, accuratius non expenderunt. In ęam enim curam omni studio incumbebant, vt quod Samosatensis excogitauerat, euerterent, & confutarent, ostenderentq; filiũ esse ante res omnes, vt non ex hominibus factum esse Deum, sed cùm Deus esset, formam hominis induisse, & cùm esset Verbum, vt Ioãnes inquit, factum esse carnem. Atque ita de execranda Samosatensis doctrina actum est. Verùm quoniam & illi, qui Eusebium & Arium sequebantur, filium quidem fuisse ante tempora concedebant, factum tamen esse docebãt, atque vnum ex illis esse, quæ creata sunt, atque illa verba, Ex Deo, non aliter de filio dici, quæ de rebus procreatis sentiebant, Et filiũ patri non essentia, & natura, sed institutorum doctrinæq; consensu similem affirmabant; Eius enim essentiam à patris essentia alienam, ac seiunctam esse contendentes aliud illi principium existẽdi præter patrem excogitabant, eumque in rerum procreatarum numero ponebant. Iccircò patres, qui Nicææ coacti erant, istorum sentientium malitiã considerantes, explorato sensu, & intelligentia scripturarum, clarius vocem hanc, ὁμοούσιον, pronuntiarunt, vt ex illa verus, germanusq; filius, & nihil cum rebus procreatis commune habens cognosceretur. Exquisita enim huiusce verbi vis simulationem ipsorum sub illis verbis, ex Deo, latitantem deprehedit, & fallacia argumenta, quibus simpliciores animos decipiunt, prosternit. Quanuis igitur omnia fingere simulareque valeant homines callidi, hanc tamen vocem vt hæresim ipsorum euertentem reformidant, quam patres vt propugnaculum aduersum omnem illorum impietatem construxerunt. Omnis ergo cesset contentio,

& controuersia, nec quòd concilia vocabulum hoc diuersa ratione adhibuerint, offendamur, cùm & causis legitimis, quas commemorauimus, adducta id fecerint, & hac item, quam nunc afferemus. Quāuis vocem hanc, ingenitum, è scripturis diuinis non acceperimus, nusquam.n. illæ Deum ingenitum dixerunt, tñ cùm multi eorum, qui aliquid esse existimantur, de illa sciscitantes mentionem fecerint, varias habere significationes animaduertimus, adeo, vt alij quidem id, quod ita est, vt genitum non sit, nec omnino causam habeat, ingenitum dicant. alij verò id, quod creatum non est, ingenitum appellent. Vt ergo si quis priorem spectans significationem filium esse ingenitum negaret, alius autem posteriorem significationem aspiciens, & volens eum non creatum, nec factum, sed proprium esse filium ostendere, ingenitum diceret, neuter eorum iure posset reprehendi, Vterque enim rectum animi sui propositum explicauit, sic nos quāuis patres tum hac, tum illa significatione verbum hoc, ὁμοούσιον, vsurparint, quando id rectè, & ratione ab illis factum est, ne digladiemur inter nos, sed piè sententias eorum ad pietatem tendentes complectamur. Ignatius quidem ille, qui post Apostolos Antiochiæ constitutus est, quiq; martyrij palmam obtinuit, cùm de Domino scriberet, vnus, inquit, medicus est carnis, & spiritus, genitus, & ingenitus, in homine Deus, filius verus, Verbum, & sapiētia patris. Quidam verò post Ignatium & ipsi doctores ita scripserunt. Vnus est ingenitus pater, & vnus ex ipso proprius filius, verè genitus. Si ab his Patribus dissentimus, & concilia impugnemus. Sin fidem eorum in Christum agnoscentes non dubitamus, quin & Beatus Ignatius rectè scripserit, genitum, id est, factum illum dicēs propter carnem, Christus enim caro factus est, Et rursus eundem ingenitum hoc est, non factū, inquiens, quoniam, vt Deus, non est in rerum, quæ genitæ, id est, factæ sunt, numera, sed filius ex patre, Et qui vnum ingenitum esse dixerunt patrem, non quòd Verbum creatum & factum esse sentirent, sed quòd pater non habet causam, sed ipse potius pater est sapientiæ, & omnia, quæ facta sunt, in sapientia fecit, cur non & Patres tum eos qui Samosatensem profligarunt, tum illos qui Arianam Hæresim confoderunt, piè conciliamus? cur eos disiungimus, cur non potius de vtrisque recte sentimus, quòd & illi, quemadmodum dixi, perspecta Samosatensis calliditate, & versuta illius interpretatione, dixerint filium non esse ὁμοούσιον. Et hi recte & ipsi sentientes esse ὁμοούσιον dixerint. Equidem hæc ita de piis illis viris sentiens breuiter scripsi. Quòd si epistolam, quam illos dicunt scripsisse, mihi legere contigisset, plures. vt arbitror, causas inuenissem, quibus beati illi coacti sint, ita scribere. Aequum.n. est, vt bene de Patribus illis sentiamus, a q̃bus rectè viuēdi instituta, & pietatis doctrinā accepimus, nisi volumus, nos esse filios adulterinos declarare. Talis ergo Patrum sñia dicatur, & credatur fuisse. Nos autem rursus humanè, & conscientia bona rem exploremus, & repetamus ea, quæ dicta sunt, nisi iam verè constat, Episcopos Niceæ congregatos rectè sensisse. Si Verbum est factum, & absentia patris alienum, adeo, vt à patre naturæ diuersitate separetur, dici non potest ὁμοούσιον patri, hoc est, eiusdem essentiæ, siue consubstantiale, sed potius eiusdem generis naturam habere, quam res habent, omnes, quæ factæ sunt, licet illis gratia præstet, & antecellat. Sin confitemur, ipsum non esse factum, sed proprie ex patris essentia genitum, sequitur, vt à patre nequeat separari, cùm illi natura coniunctū sit, quoniam ex illo genitum est. Quòd si tale existit, merito dicitur ὁμοούσιον. Præterea si essentia, non autem communione filius est, & Verbum, & sapientia patris, Hæc autem essentia est essentiæ paternæ germen, & similitudo ipsius, vt splendor est lucis, cùm filius dicat, Ego & pater vnum sumus, Et qui vidit me, patrem vidit, quomodo hæc verba oportet intelligere, aut quomodo ipsa suscipientes seruabimus illud, Vnum esse patrem, & filium? Nam si ea ad institutorum, & voluntatis cum patre consensum retulerimus, vt Ariani volunt, male interpretabimur. Quandoquidem & homines sancti, & multo etiam magis Angeli, & Archangeli ita cum Deo consentiunt, vt ab eo nulla re discrepent. Nam Diabolus, vt Dominus ait, visus est è cœlis excidisse, quia dissentiebat. Quare si propter consensum hunc pater & filius vnum sunt, & res procreatæ quæ cum Deo consentiunt, sic vnum erunt, & vnaquæq; illarum, Ego, inquit, & pater vnum sumus. Quòd si absurdum est, est enim verè absurdum, hæc verba ad vnam patris & filij essentiam referenda sunt. Res enim procreatæ sic in motu, & communione, & mente cum procreatore suo consensum hunc habent, vt qui illum nō seruauit, è cœlo deiectus sit. Filius autem ex essentia genitus vnum est essentia cum gignente se patre. Quapropter & similibus verbis dicitur æqualis patri. Et quæ de patre loquuntur scripturæ, eadem de filio quoque pronuntiant, præter id, quòd eum non appellant patrem. Nam ipse quidem filius, omnia, inquit, quæ pater habet, mea sunt. Et patrem alloquitur, omnia, inquiens, mea, tua sunt, & tua mea. Vt illud, Deus. siquidem & Deus erat Verbū. Et omnipotens. Hæc dicit, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens. Et lux. Ego, inquit, sum lux. Et effectrix causa omnia enim per ipsum facta sunt, & quæ video patrem facientem, hæc & ego facio. Et sempiternus & sempiterna eius virtus, & Diuinitas, & in principio erat Verbum, & erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et Dominus. Pluit enim Dominus sulphur, & ignem à Domino, Et ipse quidem pater dicit, Ego Dominus, &, hæc dicit Dominus Deus omnipotens, De filio autem Paulus, Vnus, inquit, Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia. Et patri quidem seruiunt Angeli, filius autem ab eisdem adoratur. Et adorent eum, inquit, omnes Angeli Dei. Dicitur etiam Dominus Angelorum. & Angeli enim ministrabant ei, & mittet filius hominis Angelos tuos. Et honoratur, vt pater. Vt honorificent, inquit, filium, sicut honorificant patrem. Et æqualis Deo: non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Et ex vero veritas, ex viuente vita, tanquam ex patre fonte existente. Et filius vt scriptum est in Euangelio, viuificat, & suscitat mortuos, sicut & Pater. Ac de Patre quidem scriptum legimus, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est, & Deus Deorum Dominus locutus est, & vocauit terram, De filio autem, Deus Dominus, & illuxit nobis, & Deus Deorum in Sion. Ac de filio rursum Esaias, Quis Deus, inquit, sicut tu, tollens iniustitias, & delens iniquitates? Filius autem dixit, quibus voluit, Remittūtur tibi peccata tua, cùm & Iudæis murmurantibus re ipsa admissionem ostendit, inquiens, Paralytico, surge, tolle grabatū tuum, & vade in domum tuam. Ac de Deo Paulus loquēs, Regi, inquit, seculorum: De filio autem, Dauid, Tollite, inquit, portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Et Daniel audiuit ea verba: Regnum tuū regnum sempiternū, & regnum tuum non corrumpetur. Deniq;, ne oīa persequar, quicquid de patre dictum inueneris, idem de filio dici cōperies, hoc vno excepto, quēadmodum dixi, ꝙ nō dictus est esse pater. Siquis autem propter eorum, quæ commemorauimus, ex æquationem

Ea.42

Luc. ii.

tionem alterum cogitat esse principium, insanus est. Sin qa filius ex patre est, omnia, quæ patris sunt, tanq̃ in imagine, & figura, sunt etiam in filio, beneuolè, & æquis animis perpendamus, num essentia à patris essentia aliena posſit ea suscipere, & qui talia posſidet alterius essentiæ, naturæq; sit, & disſimilis patri. Cauendum enim est, ne quæ patris sunt propria, in alium ei disſimilem transferentes, & in eo, qui disſimili genere diuersaq; sit essentia, patris diuinitatem exprimentes, essentiam peregrinam proprietatum essentiæ primæ susceptricem inducamus, ab ipsoq; Deo puniamur
Esa.42 dicente, Gloriam meam alteri non dabo, neùe alienũ adorare deprehendamur, & tales esse existimemur, quales erãt olim illi Iudæi, qui dicebant, cur tu, homo cùm sis, facis te ipsum Deum? Et qui ea quæ spiritus sunt, alio transferentes
Luc. ii. ignominia spiritum afficiebant, dicentes, In Beelzebub eiicit Dæmonia. Quæ si absurda sunt, filius vtiq; non disſimilis, sed eiusdem est essentiæ cum patre. Quamobrem si ea, quæ patris sunt, filii sunt naturaliter, & filius ipse ex patre est, & propter diuinitatis, & essentiæ vnitatem filius, & pater vnum sunt, & qui filium vidit, patrem vidit, meritò dictus est à patribus ὁμοούσιος, & eiusdem essentiæ. Nã qui diuersæ essentiæ est, hæc habere non potest. Res enim quæ factæ sunt, gratiæ participes fiunt. Ipse verò, qui ex essentia est, non gratiæ particeps fit à Deo, sed est patris sapientia, & Verbũ, quod omnibus impartitur. Ipse ex patre existens diuinos facit, & illustrat. In eo enim omnia efficiuntur diuina, & vitam accipiunt. Itaq; non alterius, sed eiusdem est essentiæ cum patre. Nos ipsum accipientes patris participes efficimur, quia proprium est patris Verbũ. Quare si communione esset, & non ex ipso patre per essentiam Deus, & imago patris, alios diuinitate donare non posset, cùm eam ipse per gratiam haberet. Quòd si causam verè perpenderimus, propter quam isti repudiant vocem hãc, ea ipsa de causa filium patri potius ὁμοούσιον inueniemus, q̃ contrà. Dicunt igitur, quemadmodum vos scripsistis, eam vocem non esse admittendam, quoniam qui dicit ὁμοούσιον tria constituit, nempe essentiam aliquam, & eos, qui propter illam dicuntur ὁμοούσιοι. Deinde sic argumentantur, si Patri filius est ὁμοούσιος, necesse est, vt essentia pręcedat, ex qua geniti sunt, & non esse vnum patrem, alterum filium, sed ambos fratres. Hæc tametsi sunt Græcorum inuenta, vt ea nobis non sint necessariò confutanda, dispiciamus tamen, quantum valeant. Qui ex proposita, inquiunt, essentia gignuntur, fratres sunt, sunt ne hi inter se ὁμοούσιοι, an essentiæ illi, ex qua geniti sunt? Si enim inter se sunt ὁμοούσιοι, hoc est, essentia similes, disſimiles erunt illi essentiæ, ex qua sunt geniti. esse enim similis essentiæ, & esse diuersæ essentiæ sunt opposita. Sin essentiæ gignentis similes sunt, cum ei, ex quo quisq; gignitur, similis sit, non est necesse, tres essentias quærere, sed illud tantùm inuestigare, vtrum hoc ex illo sit. Etenim potest contingere, vt nõ duo fratres, sed vnus tantùm ex ea sit essentia, & cùm alter non adsit, is qui genitus est, nõ alterius dicetur essentiæ, sed cùm vnus duntaxat sit, gignenti se dicetur ὁμοούσιος. Nam quid dicemus de filia Iephthæ, quę vt scriptum est, erat vnica, alii enim illi non erant liberi, Et de filio viduæ, quem Dominus defunctum in vitam reuocauit, qui & ipse fratrem non habebat, sed erat vnicus, nónne erant genitoribus ὁμοούσιοι? Quid ni? erant enim filii. Et hoc est filiorum proprium, vt sint parentibus similes. Et patres ergo, qui Dei filium ex patris essentia dixerunt, meritò illum ὁμοούσιον appellarũt. Attamen illud animaduertendum est, quemadmodum Deus nõ eodem modo facit, quo homines, nam si eodẽ modo, sequeretur, eum non ex nihilo mundum fecisse, cùm homines, vt aliquid faciant, subiecta materia indigeãt, multominus eodem modo, quo homines gignere. Illi enim cum perturbatione gignunt, Deus verò sine vlla perturbatione. Itaq; verbum hoc ὁμοούσιον, in Deo non ratione corporea rebus procreatis conuenienti accipiendum est, sed longè sublimiori, & excellentiori, vt terrenis, & humanis imaginibus, & exemplis depositis, & omnibus sensibus post habitis ad patrem illum ascendamus, ne imprudenter patri filium adimentes illum inter res procreatas collocemus. Præterea, si patrem, & filium duo quædam esse principia cõfiteremur aut duos Deos, vt Marcion, & Valentinus dicebant, aut filium habere alium quendam Diuinitatis modum, non autem patris, quòd ex eo genitus sit, imaginem & figuram esse diceremus, nihil prohiberet, quominus disſimilem esse concederemus. Omnes enim eiusmodi essentiæ inter se peregrinæ diuersęq; sunt. Nunc autem cùm vnam & solã patris Diuinitatem agnoscamus, huius autem patris Verbum & sapientiam ita credamus esse filium, vt non duos tamen Deos intelligamus, & filii cum patre coniunctionem non doctrinę similitudine, sed essentia, & veritate sic esse sentiamus, vt non duo sint, sed vnus Deus, cùm vna sit species diuinitatis, vt est lux, & splendor, quæ quidem apparuit Patriarchæ Iacob, vt scriptura testatur, ortus est, inquiens, illi sol, quando præteriit species Dei. Hanc contemplantes Gen 32.
sancti Prophetæ, & intelligentes cuius filius, & imago sit, dicebãt, factum est Verbum Domini ad me. Et agnoscentes in ipso patrem sese ipsorũ oculis patefacientẽ, & ostendentem audebant dicere, Apparuit mihi Dominus patrũ nostrorum, Deus Abraham, & Isaac, & Iacob. Hæc, inquã cùm ita se habeant, cur eum, qui cum patre est vnum, & similitudine, atq; vna Diuinitate cernitur, vt pater, vereamur, ὁμοούσιον appellare? si enim filius, vt sæpe iam dictum est, non habet cum essentia paterna proprietatem, nec similitudinẽ, id vere vereamur. sin est illustrans, & effectrix, atq; simillima patris proprietas, sine qua nec agit, nec cognoscitur pater, Omnia enim per Verbũ, & in Verbo constiterunt, cur, cùm rem ipsam intelligamus, nolumus vocẽ qua res exprimitur, admittere? Quid enim patri tam est natura coniunctum, q̃ id, quod est eiusdem essentiæ? Non. n. Deus, vt ministrum, cuius indigeret opera, filium accepit, neq; res procreatæ procreatori sunt æquales, vt, quemadmodum ille, coli debeant, aut vnum esse cum patre existimari. Ad hæc si nullus audeat dicere, duplicem esse lucem, solem, & splendorem, aut diuersam essentiã, aut splendorẽ ad solem accedere, sed potius vt simplicem, & purũ partũ sic á sole defluere, vt duo quidem sint sol, & splendor, sed vna lux, quoniam à sole splẽdor, vt filius nascitur, cur cùm talis natura sit filius cum patre, ac multo etiam magis coniunctus, cùmq; Diuinitas filio non accedat, vt peregrina, sed paterna Diuinitas in filio sit, vt qui filium videt, & patrem videat, aliquis audeat hunc non esse dicendum ὁμοούσιον affirmare? His quidem rationibus satis demonstratum arbitror, eos, qui filium patri dixerunt, ὁμοούσιον, non esse reprehendendos, attamen vocem ipsam per se lubet expendere, vt cognoscamus, vtrum illa vti oporteat, & vtrum propria sit, & aptè in filium cadat. Et vos nostis, & nullus ambigit, verbum hoc ὅμοιον, quod simile significat, nõ de essentiis, sed de figuris, & qualitatibus dici. Essentias. n. non similes, sed easdem dicimus. Homo enim homini similis dicitur, non propter essentiam, sed propter formam, & figuram. Nam propter essentiam dicitur eiusdem naturæ. Cani vero non disſimilis esse dicitur homo, sed alterius naturæ. Homo igitur eiusdem est naturæ, atque essentiæ cum homine, diuersę aũt à natura & essentia canis naturę & es-

ſentiæ, Qui igitur eſſentia ſimilem dicit, communione ſimilem aſſerit. Nam cùm ſimilitudo ſit qualitas, inhæret eſſentiæ. Eſſe autem communione ſimilem, proprium eſt rerũ, quæ ſactæ ſunt, quæ diuinæ ſimilitudinis participes fiunt. Quando, inquit, apparuerit, ſimiles illi erimus, non vtique per eſſentiam ſimiles, ſed per adoptionem, per ipſum enim erimus huius nominis participes, vt filii appellemur. Quare ſi communione filium dicitis, poteſtis eum nõ ὁμοούσιον, ſed ὁμοιούσιον vocare, quo quidem pacto, nõ verè neq; natura dicetur Deus. Quæ enim cõmunione aliquid habent, non veritate, ſed veritatis ſpecie ſimilia dicũtur, & poſſunt illam emittere. At hoc rurſum proprium eſt rerum earum, quæ creatæ factæq; ſunt, & cùm abſurdum ſit, filium mearum numero collocare, conſtat eum non communione, ſed natura & veritate filium, lucem, ſapientiam, & Deum eſſe. Itaq; cùm natura, non communione ſit, propriè dici non poteſt ὁμοιούσιος, ſed ὁμοούσιος dicendus eſt. Quòd ſi ne de aliis rebus qui dem quantum ad eſſentiam pertinet, ſimilem dici demonſtrauimus, quanto minus de filio dicetur? Non ὁμοιούσιον ergo, ſed ὁμοούσιον oportet dici filium ex patris eſſentia genitum, vt Patres Niceæ cõgregati cenſuerunt. Hæc nos cum habeamus cognita, de vmbra non digladiamur, præſertim cùm non ignoremus, eos, qui ita ſcripſerunt, non impugnantes veritatem, ſed eam, & pietatem in Chriſtum defendentes & explicantes vt execrandã Arii ſtudio inſanientium doctrinam abolerent, in hanc fidei ſententiam conueniſſe. Hoc enim diligenter conſiderandum, animaduertendumq; eſt, nos, ſi filium ità ſimilẽ dixerimus, vt alterius eſſentiæ declaremus, non verum filium ſignificare, ſed vnum eorum, qui facti ſunt, & aſciti, atq; adoptati, id, quod Hæreticis placet: At ſi omiſsis contentionibus, dicamus, ὁμοούσιον, hoc eſt, eiuſdem eſſentiæ, ſiue conſubſtantialem, verum, germanumq; filium ex patre genitum demonſtrare. Qua quidem ratione, qui Chriſtum impugnant, hæretici profligantur, & conciduntur. Hæc, quæ quidem ego noui, & viros prudentes audiui diſputantes, breuiter ſcripſi. Vos autem in Apoſtolorum fundamento permanentes, & patrum decreta comprobantes orate, vt tandem aliquando contentio, & æmulatio deponatur, & ſtultæ hæreticorum quæſtiones improbentur, & omnis verborum pugna, & flagitioſa, & infamis, ac pernicioſa Arianorum hæreſis deleatur, & in omnium animis veritas illuceſcat, vt omnes omnibus in locis idem & dicãt & ſentiant, & nullis amplius hæreticæ & execrandæ Arianorum opinionis reliquiis apparentibus, vno omniũ conſenſu per vniuerſam eccleſiam decãtetur vnus Dominus, vna fides, vnũ Baptiſma in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Eiuſdem aduerſus Arianos pro Dionyſio Epiſcopo Alexandriæ Apologia.

IVdæi olim, cùm ex tam multis rebus admirandis, quas Dominus faciebat, agnoſcerent ipſum eſſe Chriſtum filium Dei viuentis, ab eo reprehenſi, nec reprehenſionibus illius valentes obſiſtere eò confugiebant, vt dicerent, habere ſe patrem. Abraham, & eius authoritate improbitatem ſuam tegere conabantur. Verùm quemadmodum ea re nihil illi proficiebant, ſic iſti nunc, qui tanquàm Iudei ad Dionyſium confugiunt, non euitabunt eandem, in quã illi inciderunt, condemnationem. Nam & illos Dominus, ob ea, quæ contra legem admittebant, reprehendit, hoc, inquiens, Abraham non fecit. Et iſtos impios, atq; mendaces eadem rurſus veritas reprehendet, Dionyſius, inquiẽs, Epiſcopus neq; probauit ſententiam Arii, neq; veritatem ignorauit. Aiunt igitur veritatis inimici, Beatum Dionyſium in Epiſtola quadam ſcripſiſſe, Dei filium factum, & creatum eſſe, neq; natura eſſe proprium, ſed à patris eſſentia alienum, inſtar agricolæ, aut nauim fabricatoris, ſi ille cum vite, hic cum nauigio cõparetur. Etenim, quia factus eſt prius, quàm fieret, non fuiſſe. Hoc cùm Dionyſius intellexiſſet, ſollicitudine enim afficiebatur, vt hãc, ſic alias plurimas ſcripſit epiſtolas, quas quidem epiſtolas legere oportebat, vt ex omnibus, non autem ex vna ſola fides hominis agnoſceretur. Nam & nauium fabricatoris, qui triremes multas exædificauit, ars nõ ex vna, ſed ex omnibus perſpicitur, & iudicatur. Si igitur eo conſilio, vt fidem ſuam exponeret, quam iſti dicunt, epiſtolam ſcripſit, aut ſolam hanc ſcripſit, hominem accuſent, vt volunt, eiuſmodi enim opinio verè eſt reprehendenda. Sin occaſio temporis & perſonæ traxit illud ad ſcribendum, & alias rurſum epiſtolas ſcripſit, quibus eius criminis ſuſpicionẽ diluebat, quid mirum videtur? Et agricola pro agri qualitate nunc hanc, nũc illam arborem curat, nec ob id cuiq̃ reprehendendus, ſed potius ob artem multiplicem admirandus exiſtimatur. In ſuperioris Libiæ Pentapoli tunc Epiſcopi quidam opiniones Sabellii tuebantur, & fallaciis ſuis tantum effecerant, vt propè iam in eccleſiis Dei filius amplius non prædicaretur. Quod cùm Dionyſius accepiſſet, quoniam & earum eccleſiarũ curam gerebat, ſcripſit ad eius factionis authores, vt ab improba illa opinione deſiſterent. Illis autem nõ obtemperantibus, ſed impudentius in illa permanẽtibus, ob impudẽtiam ipſorum coactus eſt, eiuſmodi epiſtolam ſcribere, & ea, quæ ad Chriſti pertinent humanitatẽ euangeliorum teſtimoniis comprobare. Vt quoniam audacius illi negabant filium, & humanitatem eius ad patrem referebant, oſtenderet, non patrem, ſed filium pro nobis factũ eſſe hominem, atq; ita imperitis hominibus patrẽ non eſſe filium perſuaderet, & deinceps paulatim eos ad filii Diuinitatem & patris cognitionem adduceret. Hoc illi in ea epiſtola propoſitum fuit. Ob hanc ille cauſam in hanc ſententiam ſcripſit, vt eos reprimeret, qui tam impudenter fidei veritatem opprimere conabantur. Quid ergo Arii hæreſis cum Dionyſii ſententia ſimile, & coniunctum habet? Aut cur Dionyſius Arianus exiſtimatur, cùm tanta ſit inter eũ & Arium differentia? Ille enim Eccleſiæ catholicæ doctor eſt, hic vanæ hæreſeos inuentor. Et Arius quidem improbam ſuam opinionem exponens vehemẽter effœminatis, & ridiculis moribus, vt ſotales Aegyptius ſcripſit. Dionyſius autem & alias ſcripſit epiſtolas, & à ſe depulit illius criminis ſuſpicionem, & oſtendit ſe rectè ſentire. Quamobrẽ cùm ea ſcripſerit, quę ab ipſorum opinione ſunt aliena, ſuorum gregi ne conentur illum aſcribere. Neq; enim fidem facient. Nam ſi ad Ammonam ſcribens ſuſpectus fuit, & ſe ſe purgauit, & eius defenſio probata eſt, patet ea quoque, quæ ſuſpecta videbantur, bono animo, & conſilio fuiſſe ſcripta. Quæ autem bono animo, atque conſilio ſcribuntur & fiunt, non debent in malam partem accipi, & ad cuiuſq; ſententiam accommodari. Medici enim propoſita ſibi eius, quem curant, valetudine, tãquàm aliquo ſigno, eò cogitationem intendunt, quãuis ea nonnunq̃ adhibeant vulneribus medicamenta, quæ alicui minus ſalutaria videantur. Quam quidem rationem obſeruant etiam magiſtri prudentes, vt pro diſcipulorum moribus loquantur, & ſe affectos oſtendant, vt eos in viam perfectionis reducãt. Quòd ſi Beatum hunc virum, quia ſemel ita ſcripſit, accuſandum exiſtimant, eſt enim quoddam accuſationis genus, quo illum onerant Ariani, dum eius authoritate præ-

Matt. 1
1.Pet.
Heb. 1
Philip.

uam opinionem suam defendunt, tempus iam est, vt quandò nihil non audent, nauiter sint impudentes, & dicunt eadem, quæ sensit Arius, Apostolos ipsos sensisse. Christum enim hominem à Nazareth, & cruciatus, mortemq; perpessum esse pronuntiarunt. Num igitur, vt isti opinantur, quia verbis eiusmodi vsi sunt Apostoli, ideò Christum tantummodo hominem, & nihil præterea aliud esse senserũt? Absit. Immò verò vt sapientes Architecti & dispensatores mysteriorum Dei se ratione & prudenter ita gesserunt. Nã Iudæi tunc decepti, Græcosq; decipientes, Mesiam ex semine Dauidis vt purum hominem venturum arbitrabantur, & ad aliorum filiorum Dauidis similitudinem fore, neque enim Deum ipsum, neq; Verbum factum esse carnem credebant. Hac de causa sapienter admodum Apostoli Iudæis primùm ea, quæ ad seruatoris humanitatem pertinẽt, explicauerunt, vt cùm Mesiam illis ex signis, quæ demonstrata factaq; fuerant, venisse persuasissent, deinde eos ad eius Diuinitatem admittendam adducerent, declarantes, illius opera non esse hominis, sed Dei. Petrus certè, qui dixerat, Christum hominem passum, statim subiecit, hic est princeps vitæ. Et in Euangelio confitetur, tu es, inquiens, Christus filius Dei viuentis. in epistola autem dicit ipsum esse episcopum animarum, & Dominum suum, & Angelorum, atq; virtutum. Paulus item qui dixerat, Christum hominem ex semine Dauidis ad Hebræos scribens, qui cùm sit, inquit, splendor gloriæ, & figura substãtiæ eius. Ad Philippenses autem, Qui cùm in forma, inquit, Dei esset: non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Verba illa, Vitæ princeps, filius, splẽdor, figura, æqualis Deo, Dominus, & Episcopus animarum, quid aliud significant, nisi eum in corpore esse, cùm sit Verbum, per quod omnia facta sunt, & à patre tanq̃ splendorem à luce separari non posse? Dionysius igitur Apostolorum exemplum secutus est. Nã cùm Sabellii hæresis vigeret, coactus est, illam, vt diximus, epistolam scribere. Et quæ abiecta & humana de ipso dicta fuerunt, hæreticis illis opponere, vt cùm eos illa ratione ab ea opinione, qua dicebant filium esse patrem, depulisset, facilius eis filii Diuinitatem persuaderet, cùm in aliis epistolis illum Verbum, sapientiam, virtutem, vaporem, splendoremq; patris appellaret. Quibus enim epistolis sese defendit in illis his vtens vocibus se in fide, & pietate erga Christum constantem, & strenuum facile declarat. Itaque sicut Apostoli nõ reprehenduntur, quòd ea verba, homini conuenientia de Domino pronuntiarint, quin etiam propter consilium, & doctrinam tempori prudenter accommodatam videntur admiratione digni, sic Dionysius ad Euphranorem & Ammonam contra Sabellium scribens non est Arianus. Licet enim humilibus verbis & exemplis vsus sit, ea tamen ex Euangeliis deprompsit eo quidem consilio, vt Christi in carne aduentũ per hæc, & alia his similia comprobaret. Etenim quemadmodum est Verbum Dei, sic etiam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et quod in principio erat Verbum, Virgo completis iam seculis, in vtero gestauit, & Dominus homo factus est. Et vnus ex vtroq; significatur. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis. Et quæ de ipsius tum Diuinitate, tũ humanitate dicta sunt, ita propriam de illarũ alterutra & de vtraq; coniunctam significationem habent, vt qui de Verbi scribit humanitate, eius Diuinitatem nõ ignoret, & qui de hac disputat, ea, quæ ipsius in carne aduentus propria sunt, sciat, & in vtroq; tãquam peritus & probatus aliquis nummularius iudicio suo germanam pietatem explorat, & agnoscit. Quare cùm illum flentem adducit, nouit eum vt hominem flere, vt Deum tamen reuocare Lazarum in vitã. Quem humanitate esurire sitireq; animaduertit, eundem diuinitate videt quinq; panibus quinque hominum millia saturare. Quod in monumẽto positum vt corpus humanum aspicit, id vt Dei corpus intelligit excitatum ab ipso Verbo, cuius est illa caro. Agricola quidem à vite diuersus est essentia. Palmites autem eadem essentia cũ vite coniuncti sunt, & ab ea separari nõ possunt, & eundem habẽt ortum cum ipsa vite. Dominus, vt ipse met ait, vitis est, nos autem palmites. si igitur eiusdem essentiæ nobiscum est filius, & eundem nobiscum ortum habet, sit ob id etiam filius ab essentia patris alienus, vt vitis ab agricola. Sin aliud est filius, quàm nos sumus, atq; ille quidem Verbum est patris, nos autem vt filii Adam è terra facti sumus, dictum illud ad Christi Diuinitatem referendum nõ est, sed ad eius humanitatem, quò quidem & ipse Dominus spectãs, ego sum, inquit, vitis & vos palmites, pater autẽ agricola. Nos enim Domino propter humanitatẽ eius cognatione coniuncti sumus. Quamobrẽ & ipse, Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis. Pater autem agricola est, qui per Verbum vitem, hoc est, Domini corpus fecit & coluit. Nõ igitur eo sensu, quo prædicant hostes Christi, Dionysius scribẽs ea, quæ ad Domini pertinent humanitatem, dixit, tũ esse factum, atq; vnum esse ex hominibus. Quod ex aliis eius epistolis multo clarius potest intelligi, in quibus tam apertè declarauit, se rectè sentire, vt aduersus illos clara voce dicere videatur, Ego sententiam vestram non probo, ò Dei hostes, neq; scripta nostra occasionem Ario, vt impiè sentiret, præbuerunt. Sed ad Ammonam & Euphranorem scribens, vt eos, qui Sabellii partibus fauebant, impugnarem, agricolæ, & vitis, & similium verborum mentionem feci, quo demonstrata Christi humanitate persuaderem illis, ne patrem factum esse hominem crederent. Quemadmodum enim agricola non est in vite, sic nec pater est in corpore factus homo, sed Verbum. Quod quidẽ Verbum in vite factum homo vocatus est. Filius ergo vocatus est vitis propter corpoream cognationem, qua cum palmitibus, qui nos sumus, deuinctus est. Sic ego sensi in epistola, quam ad Euphranorem & Ammonam scripsi. Nam quod ad impudentiam vestram attinet, cæteras epistolas meas, proferam, vt ex iis, quomodo purgem me in eo, quod contra me propter illam epistolam diuulgastis, prudentes homines intelligant, & rectam meam fidei in Christum sententiam agnoscant.

Matt. 16.
1. Pet. 2.
Heb. 1.
Philip. 2.

Item aduersus Arianos & Eunomianos. Magni Basilii, ex primo libro.

Rem expendentes inuenimus, nos ingeniti notionẽ assequi non ex ea quæstione, qua quid sit, sed ex illa, qua quomodo sit, indagamus. Animus enim noster exquirens, vtrũ Deus, qui supra omnia est, aliquam supra se causam habeat, cùm excogitare nullã posit, illud ipsius vitæ principium non habens ingenitum appellat. vt enim cum de hoĩbus loquentes hunc ex illo natum dicimus non quid ille sit, sed vnde ortus sit, exponimus, sic cum ingenitum vocamus Deum, ea voce non quid Deus sit, sed eum à nullo esse declaramus. Sic autẽ id, quod dico planius fiet. Lucas Euangelista Dei & seruatoris nostri Iesu Christi genealogiam carnis exponens, & ab vltimis ad primos progrediens initium sumpsit à Ioseph, & hũc Eli filium dicẽs, Eli autem filiũ Matthan, atq; ita deinceps singulos recensens ad Adam narrationẽ deduxit. Sed cùm ad supremos peruenisset, Seth, inquiẽs, ex Adam, Adam autem ex Deo, fecit numerandi finem. Neq; verò in ea cuiusq; ortus ex-

plicatione naturas eorum quos recensuerat, ostendit, sed coniuncta principia, ex quo quisque natus esset exposuit. Quemadmodũ igitur ille dixit, Adam ex Deo, ita nos met si à nobis exquiramus, Deus autẽ ex quo? nónne in cuiusq; cogitatione promptum illud erit, ex nullo? Ex nullo autem quid aliud significat, nisi non habere principium, & nõ habere principium, quid aliud, nisi ingenitum esse? Vt igitur in hominibus, cùm hic ex illo natus diceretur, non eorum essentia declarabatur, sic cùm de omnium Deo ingenitũ dicimus, quod perinde est, ac si ex nullo diceretur, nõ eius essentiam ostendimus iam qui in principio carere, essentiã esse dicit, similiter facit, vt siquis interrogatus, quænam sit Adam essentia, atque natura, respondeat, non ex hominis & fœminæ commixtione natum esse, sed manu diuina formatũ. Tunc enim ille, qui interrogauit, nõ quæro, inquiet, quomodo extiterit, sed quæ subiecta ipsius materia fuerit, quod, multum abest, vt ex responsione tua colligere valeam. Idem nobis ex hac voce, ingenitus, contingit. Ex ea nãq; quomodo sit potius, q̃ eius naturam discimus. Video enim, nos, quemadmodum si mentis aciem ad ventura secula dirigamus, vitam, quæ nullo fine terminata sit, infinitam dicimus, ita si cogitatione ad superiora secula conscendamus, & infinitatem vitæ Dei tanquàm immensum quoddam pelagus intuentes, nullum principium, ex quo esse cœperit, reperire possimus, sed Dei vitam vltra quàm cogitari possit, semper excedentem animaduertamus, illud ipsius vitæ principio vacans ingenitum appellare. Ea enim ingeniti vis est, vt ex nullo significet habere principium existendi.

Ex eodem libro.

VErùm Eunomius patris, & filii nomen silens simpliciter de ingenito, & genito disputat. Et fidei seruatoris nomina cælans nuda detestandæ doctrinæ suæ præcepta tradit, vt in rebus impietatem exercens, cùm ad personas deinde progressus fuerit, ipse quidem nihil nefandum dixisse videatur, re ipsa tamen ad nefariam, & execrandam doctrinam constituendam muniendamq; sibi viam patefecerit. Cùm autem, inquit, ingenitns sit, nullam cum genito comparationem, aut communionem admittit. Non dixit pater, & filius, sed ingenitus, & genitus. Atque hic quidem vnus est illius dolus. Alter autẽ dolus qualis sit, attendite. Et cùm sit, inquit, ingenitus, nunquàm gignit, vt genitum naturæ suæ participem faciat. Hæc verba, nunquàm gignit, duo significant, primùm propriæ ipsius naturæ non conuenire, vt gignat fieri enim non posse, vt natura, quæ non est genita, gignat. Deinde in ipsum vt gignat, nõ cadere. In hanc ille quidem significationem voce hac vsus est, sed ex priore significatione multitudinem decipit. Vno enim constituto planè quid inde colligat ostendit. Cùm enim dixisset, Nunquàm gignit, subiecit, vt propriæ naturæ genitum participem faciat. Secundam enim significationem hoc consequitur. Quoniam in eum non cadit, vt gignat, ne propriam naturã genito communicet. Quid ista impietate grauius, aut flagitiosius esse potest? Quis vnquàm tãtum crimen in excelsam illam contulit maiestatem? Equidem vereor, nedum impia istorum maledicta pronuntiamus, animos nostros coinquinemus, & condemnationis ipsorum participes efficiamur. Illud me consolatur, quòd spiritus sanctus, vt in Euangeliis legimus permisit, vt nefarium Iudæorum in Dominum maledictum, literarum monumentis commendatum posteris traderetur, non vt vlla in tactæ vnigeniti gloriæ nota inureretur, sed vt eorum scelus esset omni tempore perspicuũ. Si igitur nunquàm gignit, vt genitum naturæ suæ participem faciat, non est pater Deus, non est, (sed præstat, vt impium maledictum silentio prætereamus) Ille enim non admisit, vt gigneret. Hic autem gignentis naturæ particeps factus non est. Deinde secum ipse pugnat, vt nouam maledicti grauitatem leuet. non vt dicat aliquid, quo se resipuisse declaret, sed vt priora flagitia posterioribus tegat. Quid enim ausus est loqui? Nullam, inquit, cum genito comparationem, aut communionem admittit. Si nulla est filio cum patre comparatio, nulla communio cum genitore, mendaces sunt, Apostoli, falsa sunt Euangelia, ipsa veritas Dominus noster Iesus Christus mentitur. A quo quidem execrando maledicto rursum animus abhorret. Attamen rem sic habere cuiuis facile constat. Etenim si nullam habet cum patre comparationem, quomodo Philippum alloquens, tanto, inquit, tempore vobiscũ sum, & non cognouisti me, Philippe? Et qui videt me, videt eũ qui misit me. Quónam pacto filius in se patrem ostendisset, si nullam ille cum ipso comparationem aut cõmunionem haberet? Quod enim ignotum est, nõ per dissimilem alienamq; rem, sed per similem, atq; coniunctã cõprehenditur. Sic in signo, imprimentis forma perspicitur, & per imaginem in exemplaris cognitionem peruenitur, dum eadem in vtroque effigies vicissim comparatur. Hoc igitur vno maledicto reprobat omnia, quæ ad vnigeniti gloriam à spiritu sancto tradita sunt. Vt id, quod in Euangelio legitur. Hunc pater signauit Deus. Et quod ab Apostolo dictum est: Qui est imago Dei inuisibilis, imago non inanimata, nec manu, & arte, atque ingenio facta, sed imago viua, vel ipsa potius vita, quæ non in figuræ similitudine, sed in ipsa consistit essentia, & in ea semper expressa conseruatur. Nam idem est, mea quidem sententia, in forma Dei esse, & esse in essentia Dei. Vt enim cùm dicit, Dominum accepisse formam serui, significat, eum essentiam hominis assumpsisse: sic cùm dicit, Qui cùm in forma Dei esset, diuinæ essentiæ adhibet omnino proprietatem. Qui me vidit, inquit, & patrem vidit. At iste dum à patre vnigenitum alienum fingit, & ab omni cum ipso disiungit societate, quantum in se est, aditum, quem ad patrem cognoscendum, per filium assequimur, interrumpit. Omnia, inquit, Dominus, quæ pater habet, mea sunt. At Eunomius nullam esse vult societatem patri cum illo, qui ex patre est. Et quemadmodum pater vitam habet in semetipso, sic dedit & filio, vitam habere in semetipso. Hoc ab ipso Domino accepimus. Ab Eunomio autem quid? Nullam esse genitori cum genito similitudinem. Quo quidem vnico verbo omnem imaginis rationem tollit, negatq; splendorem esse, & figuram substantiæ. Quæ enim vel imago, vel splendor sit eius, qui nec similitudine comparari, nec vlla naturæ communione coniungi potest? Eodem rursus calliditatis vtitur artificio, cùm dicit, non patrem cum filio, sed ingenitum cum genito non comparari, vt quam in his vocibus cum oppositam ostenderit, eam in patris & filii essentiam conferat.

Ex eodem libro.

AT ordine, inquit, & temporis antiquitate ille erit primus, hic secundus. Quid est necesse, vt quorum essentia communis est, ordini subiecta sint, & tempore posteriora? Neque enim fieri potest, vt omnium Deus cum sua ipsius imagine sine tempore illustrata ab omni æternitate non sit, & coniunctionem cum illa non

non temporibus solùm, sed seculis omnibus superiorem non habeat. Iccircò enim dictus est splendor, vt copulatū, atque coniunctam, & figuram substantiæ, vt eiusdē essentiæ intelligamus. Quanq̃ duplex est ordo, vel natura enim, vel arte consideratur. Naturalis est ordo, quem in rebus procreatis ex procreandi rationibus constitutum perspicimus. Et qualis est in iis, quæ numerantur, quæq; vel causæ sunt, vel rationem eorum obtinent, quæ à causis proficiscuntur. Ex quo quidem ordine Deum ipsius quoq; naturæ authorem effectoremq; cognoscimus, & confitemur. Arte verò ac studio constitutus ordo est, quem in rebus artificio confectis, quem in disciplinis, & dignitatibus, & & aliis rebus eiusmodi cernimus. Eunomius priorem ordinem silentio inuoluens, de posteriore mentionem fecit, Et in Deo, inquit, ordinem poni non oportere, quoniam ordo posterior est eo, qui ordinem ipsum constituit. Alterū illum ordinem vel ignorauit, vel vltrò occultauit, qui non constitutione nostra, consistit, sed congruenti naturæ ratione consequitur, qualis in igne est, si cum luce, quæ ab ipso prouenit, conferatur. Hic enim sic ignem dicimus esse causam, et ab ea lucem proficisci, vt nullo interuallo vnū ab altera seiungamus, sed cogitatione illum vt causam huic vt à causa prouenienti præponamus. Qui conuenit igitur in iis ordinem negare, quæ non constitutione nostra, sed quadam naturæ ratione & serie in ipsis existente priora posteriorave dicuntur? Cur ergo ordinem in Deo non admittit? Existimat, si ostenderit, non aliter de Deo, prius, posse cogitari, se consecuturum, vt id de essentiæ præstantia intelligatur. Nos autem ratione illa, qua causæ rebus ex se pendentibus anteponuntur non autem naturæ excellentia nec temporis spatio filio patrem dicimus anteferri. Alioquin & patrem Deum esse negaremus, cùm essentiæ diuersitas coniunctionem naturalem minimè suscipiat. Ceterùm, quando sapiens iste, atque omnia sciens eò prouectus est, vt temporis naturam definiret, ex hac item re constantiam hominis, & acumen ingenii consideremus. Tempus esse dicit, quendam stellarum motum, vt solis, & lunæ, & quæcunque eam habent vim, vt per se moueantur. Si res sic habet, demonstret nobis iste rerum sublimium inspector, quidnam illud fuerit interuallum, quod inter cœli terræq; procreationem, & fabricationem stellarum intercessit. Is profectò, qui mundi fabricam descripsit, die quarto luminaria magna, & reliquas stellas fuisse conditas asserit. Diebus ergo, qui præcesserant, vt videtur, non erat tempus, neque enim mouebantur stellæ. Qui enim mouerentur, quæ nondum erant? Quid? cùm Iesus filius Naue cum Gabaonitis pugnabat, nónne sol eius mādato cohibitus stetit immobilis? & luna suo se loco continuit? Tempus igitur ne tunc quidem fuit. Quid dicemus fuisse illam diei intercapedinem? Quodnam vocabulum excogitabis? Nam si temporis natura defecit. seculum videlicet, in eius succesit locum. At paruam diei partem seculum appellare, quam stultitiæ magnitudinem indicat? Sed magna solertia videtur, diem, & noctem in quali quodam stellarum motu sitas existimare, & esse temporis partes. Ex quo tempus esse qualem quendam stellarum motum pronuntiauit, ne id quidem, quod dicit, intelligens. Neque enim qualem, si modò volebat loqui, sed quantum dicere oportebat. Verùm quis adeò mente puer est, qui dies, & menses, & horas & annos ignoret esse mensuras temporis? Tempus autem esse spatium quod ad mundi constitutionem extenditur, & omnem tum stellarum, tum animalium, tum omnium, quæ mouentur, motum dimetitur? Ex quo rem vnam alia velociorem, vel tardiorem dici mus. Velociorem, quæ minore temporis interuallo maius spatium conficit, tardiorem, quæ maiore minus progreditur. Iste verò quoniam in tempore mouentur stellæ, eas temporis esse dicit effectrices. Qua quidem hominis sapientissimi ratione, quoniam scarabæi mouentur in tempore, definiemus tempus esse qualem quendam scarabæorum motum. Remota enim nominum grauitate nihil differt hoc ab eo, quod ipse dicit.

Ex eodem libro.

Maius vel essentiæ ratione, vel virtutis excellentia, vel præstantia dignitatis, vel molis amplitudine dicitur. Amplitudine molis maius hic intelligi nō potest. Quis enim ea, quæ nulla magnitudine sunt circunscripta, vel potius quæ molem non habent omnino & quantitate, dimetiatur? Quis rursum eorum excellentiam agnoscat vllo modo, quæ nullam admittant dimensionem? Iam si Dei sedes dignitatis est nomen, Sessio ad dexteram patris filio definita quid aliud significat, nisi parem & æqualem dignitatis statum? Denuntiatur enim & Dominus in gloria patris esse venturus. Filium verò virtute minorem dicere, quàm pater sit, cùm Dei virtutem Paulus Christum appellet, planè puerile est, & eorum, qui Domini vocem non exaudiant, dicentis, Ego & pater vnum sumus, sic vnum accipientis, vt virtutis æqualitatem significet, quem admodum ex ipsis Euangelii verbis ostendemus. Cùm enim de iis, qui in se crediderant, loquens dixisset: nemo rapiet illos è manu mea, Et, Pater qui dedit mihi, maior omnibus est, Et, nemo potest rapere è manu patris mei, subiecit, ego & pater vnum sumus. Ex quo perspicuum est illud, vnum, virtute & potentia parem significare. Reliquum est igitur, vt Maius hic causæ rationem demonstret. Nam quoniam à patre filius principium habet, iccircò pater, vt causa & principium, maior est. Et propterea Dominus ait: Pater maior me est, nempe quatenus est pater. Quid enim illa vox, pater, aliud significat, nisi illum causam & principium esse, ex quo genitus ipse sit? Quòd si, quemadmodum ipse sentis, Eunomi, ingenitus, essentia est, cùm vellet patrem essentia maiorem indicare, dixisset ad hunc modum, Ingenitus maior me est. Quid? quòd sapientia vestra docet, essentiam essentia maiorem, aut minorem non dici? Quamobrem hoc loco non de essentia, maius, dictum est.

1. Cor. 1.
Ioan. 10.
Ioan. 14.

Eiusdem ex secundo libro aduersus Eunomium.

Comperimus res procreatas à verbo, fecit, appellationem accipere, vt factæ dicantur, & opera vocentur, id quod non cadit in filium Dei. In principio enim, inquit, fecit Deus cœlum & terram. Et, in operibus manuum tuarum meditabar. Et, Inuisibilia ipsius à creatura mūdi per ea, quæ facta sunt intellecta cōspiciuntur, scriptura igitur hac voce vtens, vbi erat vtilis & necessaria, eā de Domino, & seruatore nostro Iesu Christo loquens, vt eius gloriæ magnitudini minus congruentē nunq̃ pronūtiauit. Cùm tamen & securim, & lapidem angularem, & lapidē offensionis, & petram scandali, & aliis eiusmodi noībus, in quibus non multum inesse laudis existimant illi, qui ad intimam eorū significationem nō perueniūt, appellare Dnm gloriæ nō erubuerit. Eū vero nusq̃ omnino vocauit opus. Quod tamen nomen iste dicit se à sanctis hoībus accepisse, vt non suæ tantum ætatis, sed superiorum etiam viros sanctis calumniis inuoluat. Ac præterquàm ꝙ periculosa

Psal. 142
Rom. 1.

res est, audere eiusmodi vocabulis vti, & Domini nomina fingere arbitratu suo, ne Apostolo quidem ꝓpositum est, vt vnigeniti naturam, de qua in præsentia loquimur, nobis explicet. Nō enim de Dei Verbi essentia in principio apud Deum existentis verba facit, sed de illo, vt semetipsum exinaniuit, vt serui formam accepit, vt corporis nostri similitudinem humilitatis induit, & ex infirmitate crucis mortem sustinuit, apertè disserit. Quòd autem non diuinę illius naturæ rationem nobis tradat, sed dispositionis eius consilium ostendat, perspicuum est omnibus, qui parumper orationis apostolicæ sententiam norunt. Dominum enim, inquit, ipsum & Christum Deus fecit, Hūc Iesum, quem vos crucifixistis. (Act. 2.) In ea voce, quæ perspicuam ipsius humanitatem omnibus significat, immoratur. At iste verbum illud, fecit, ad ortum illum primum, vnigeniti refert. Neque deterret eum ea vox, Dominus, quæ non essentiam indicat, sed potestatem. Quare Dominum, inquiēs, ipsum & Christum Deus fecit, principatum potestatemq́; illi in omnes á patre datam declarat, non autem existendi facultatem exponit. Verùm hæc paulo post demōstrabimus, cùm ipsum contra Spiritus voluntatem ab vti scripturæ testimoniis, ostendemus. Nunc in iis, quæ instituto sermoni coniuncta sunt, progrediamur. Quid igitur sibi vult hoc vocabulum? aut cur omnium rerum effectorem iste factū conatur appellare? Falso commēto seipsum fallit, arbitraturq́; simul cum nominum diuersitate essentię diuersitatem apparere. Quis autem sapiens ad istam accedat sentētiam, vt credat, quorum diuersa sunt nomina, eorum item essentiam diuersam esse necessariò? Petri quidem & Pauli & aliorum nomina sunt, diuersa, essentia tamen est omnium vna. Itaque cum rebus plurimis iidem inter nos simus, proprietatibus solùm, quæ in vnoquoq; perspiciuntur, inter nos alius ab alio distamus. Quare appellationes nō essentias significāt, sed proprietates, quibus tanq̃ notis quibusdam homines singuli ab aliis distinguuntur. Proinde cùm Petrum audimus, non ex eo nomine essentiam eius animo cōcipimus, (essentiam nunc materiam subiectam appello, quæ nullo pacto nomine exprimitur.) sed proprietates, quæ circa ipsum spectantur, cogitamus. statim enim ex hac voce Petrū illum Iona intelligimus, ex Bethsaida, fratrem Andreæ, qui ex piscatore ad munus Apostolicum vocatus est, qui propter excellentiam fidei in se ipso suscepit ædificationem ecclesiæ, quorum nihil est essentia. Itaque nomen hoc Petri quidē figuram nobis effingit, essentiam verò ne vtiq̃ proponit. Pauli rursus audito nomine concursum aliarum proprietatum comprehendimus, nempe Tarsensem illum, hebræum, lege Pharisæum, Gamalielis discipulum, qui Zelo incēsus ecclesias Dei persequebatur, qui terribili cōmotus viso peruenit ad veritatis cognitionem, & gentium Apostolus factus est. Hac vna Pauli appellatione hęc omnia describuntur. Quòd si verum esset, quorum nomina differūt, eos essentias habere differentes, Paulus, & Petrus, & cæteri homines inter se essentia differrent. Sed nullus est adeò imperitus, & naturæ cōmunis ignarus, qui ad hoc asserendum adduci posit. Quare constat mendacem esse, qui ex nominum discrimine consequi affirmat essentiæ differentiam. Neq; enim nomina sequitur rerum natura, sed rebus ipsis nomina sunt posteriora, Alioquin eueniret, vt quorū eadem essent nomina, eandem essentiam haberent. Et quoniā homines virtute perfecti, Dei nomine digni sunt habiti, cum omnium Deo forent eiusdem essentiæ. Verùm vt hoc dicere planè insipientis est, sic illud asserere penitus insani. Quamobrem ex iis, quæ dicta sunt, patet, nominibus non essentias, sed proprietates indicari. Quapropter orationi ex nominum diuersitate contrarias essentias colligenti nullus est locus. Sic enim seipsam in primis euertit. Si enim facta, & genita inter se differunt, erunt essentiæ vnigeniti differentes, quę ex nominum differentia consequentur. At quemadmodum qui hoc dicunt, delirant, sic insaniunt illi, qui illud asserunt. Sed iste argumenta se fingit habere innumerabilia, quibus demonstrare posit, filium à sanctis opus appellatum fuisse, sed ea se, quoniam ad maiora quædam festinet, in præsentia non commemorare. Sed hoc item versuti hominis malitiam & artificiū arguit, qui ea, in quibus hæret, silentio transit. Nam si vel vmbram haberet alicuius testimonii, quo vnigenitus factus, aut opus diceretur, iactatione ipsius aures nostræ iam obsurdescerent.

Ex eodem libro.

HAec sunt execrandæ istius doctrinæ veluti præludia quædam, & apparatus. Quod autem mali caput est, deinceps infert, filii, inquiens, essentiam genitā quidem esse, cùm antea, non esset, quàm constitueretur, ante omnia tamen volūtate patris esse genitam. Eisdem adhuc fallaciis vtitur, & de filii disserit essentia, tanq̃ pater ab ea diuersus sit. (Ieb. 1. Ioan. 1) atque ita aures detestandæ doctrinæ suæ assuefacit, cùm nō aperte dicat filium è nihilo genitum sed eius essentiam genitam, cùm non esset. Dic, quæso, ante quas res non erat. Attendite hominis astutiam Eam cum ipsamet cōparat, vt omnibus tolerabilia dicere videatur. Non ante secula dicit ipsam non esse, neq; simpliciter non esse, sed ante propriam ipsius constitutionem. At patris essentiam propriáne constitutione asseris antiquiorem? si enim non subiicit temporibus essentiā filii, vt hac ratione, prius, intelligat, stulta, & inanis est eius oratio, & propterea ne responsione quidem digna. Licebit enim hanc siquis velit, in Deum omnium transferre vanitatem. Nam eiusdem amentię est, dicere, Deum vel non esse ante propriam constitutionem, vel esse antequàm sit. Sin ratione temporis de filii essentia, prius, intelligit, & eius essentiam, vel potius ipsum filium ex nihilo genitum ait. Quantum enim ad sensum attinet nihil refert, hoc an illo modo dicat, primùm enim statuit illum temporibus posteriorem, deinde verò maledicta sua prosequens dicet, initio non fuisse patrem, sed postea factum esse. Atqui si Dei beatitudini præclarum, & decorum est, vt pater sit, cur decus hoc non habuit initio? Aut enim ignorauit, quod melius erat, aut assequi non potuit, atque ita ei vel ignorantia vel impotentia aliquid defuit. Ignorantia si postea reperit, quod erat melius, impotentia, si cognoscens & sciens rem pulcherrimam non valuit adipisci. Sin (quod nefas est dicere) illi esse patri non est honorificum, cur mutatus est, & elegit quod deterius est? sed maledictum ipsis male vertat authoribus. Omnium Deus ab æternitate pater est, nec cœpit vnquàm esse pater. Neque enim prohibitus est impotentia, quominus voluntatem expleret suam. Neque aliquot seculorum ambitus expectauit, vt, quod hominibus, & cæteris animantibus vsu venit, confirmata iam ætate gignendi vim assecutus, quod optabat, assequeretur. Hæc enim vel cogitare, vel dicere furentis est, sed habet paternitatem, vt ita dicam, suam cum æternitate propria ex æquo protensam. Quamobrem & filius, qui ante secula, & semper est, esse cœpit nunquàm. Ex quo enim pater est, filius item est. Et simul ac pater cogitatur, occurrit filius. Pater enim filii vtique pater est. Patris ergo nullum principium est, filii autem principium est pater.

est pater. Inter hos verò nihil est medium. Quomodo igitur non erat (id, quod ex fallaci istorum commento sequebatur) is, qui à principio est? qui nihil agnoscit ante se, nisi eum, à quo habet vt sit, & hunc tamen non spatio antiquiorem, sed vti causam ordine præpositum? Quare si filii cum patre coniunctio, vt demonstrauimus, est sempiterna, ꝙ cogitatio nostra nihil in medio vacuum offendens à filio sic ad patrem accedit, vt nullo interiecto spatio filium cum patre coniungat, qui nulla re media separatur, quem aditum relinquit improbæ illorum opinioni, qui dicunt eum ex nihilo productum esse? Illud præterea stultitiam ipsorum admiratione dignam ostendit, quòd non intelligant, se, dum ex nihilo filium esse dicunt, eum non patre solùm, sed illo item, quo tanquàm medio patrem à filio seiungunt, iuniorem demonstrare. Necesse est enim, si quid inter patrem & filium intercedit, id esse antiquius essentia filii. Quid autem aliud istud sit, nisi seculum omnino, aut tempus? Nam qui patris vitam filii vita superiorem putat, quanam alia re se, id quo superior est dimetiendo reperisse dicet, nisi seculorum, aut temporum interuallo? Quòd si ita est, eo loco mentitur scriptura, vbi secula per ipsum dicit esse facta. Et vbi per ipsum, inquit, omnia facta sunt, cùm in omnibus & secula comprehendantur. Quòd si dixerint, se filium ante secula genitum esse non negare, videant, ne quod verbis concedunt, re ipsa auferant. Quæremus enim ex ipsis, qui filium ex nihilo genitum asserunt, quando, vt dicitis, non erat, quidnam erat spatium illud? Quo spatium illud nomine appellabitis? Communis enim consuetudo spatium omne atque interuallum aut temporibus, aut seculis tribuit. Nam quod rebus, quæ sensibus obnoxiæ sunt, tempus est, id rebus, quæ sunt supra mundum est seculum. Siquid isti tertium habent, ex sapientia depromant sua. Quandiu autem tacent, sciant, se vnigeniti essentiam seculis posteriorem constituere. si quod enim spatium erat antiquius filio pariter cum vita patris extensum, alterum ex his erat omnino. Verùm neque est, neque cogitari potest essentia filii quicquàm antiquius. Quicquid enim antiquitatis ratione censeri potest, posterius natura Dei Verbi, quod erat in principio apud Deum, deprehendetur. Ac tametsi mens innumerabilibus opinionibus sese decipiens, & inanibus se figmentis implicans ea, quæ non sunt, cogitarit, nullam tamen omnino artem inueniet, qua seipsam posit supra Vnigeniti principium extollere, & vitam illius, qui est ipsamet vita proprio motu inferiorem relinquere, aut ratione propria Dei Verbi principium transilire, & secula sine Deo seculorum suspicari.

Heb. 1. Ioan. 1.

Ex eodem libro.

EXistentem ne, inquit, filium genuit, an non existentem, nullus me accuset audaciæ. Si iam existentem, quid hac oratione non modò absurdius, sed magis execrandum, aut stultum dici potest? Quòd enim est, cur gigni oportet? Fallax hoc argumentum vulgatissimum ab aliis quidem inuentum fuit, sed perfectè nunc in istorum inuerecundis & impudentibus linguis est elaboratum. Nos autem auditores primum admonebimus, istum propter multitudinis ignorantiam humano more filii ortum existimantis ad eiusmodi argumenta deuenisse, & à corporeis notionibus ad spiritales contemplationes imperitorum animos traduxisse, qui quoniam animalia, cùm antea non sint, postea generantur, & quæ hodie sunt, heri non erant, hanc eandem rationem ad Vnigeniti naturam refert. Et quoniam, inquit, genitus est, non erat ante, quā gigneretur. Tam magnificè nobis ortum Vnigeniti Theologus iste declarat, & istiusmodi verbis fratrum morbos curat, dignus, si quisquàm alius, in quem prouerbium illud iactetur. Medice, cura te ipsum. Quod nam medicamentum turpi isti mentis morbo adhibebimus, nisi illud, quod à spiritu sancto nobis per Ioannem exhibitum est hisce verbis, In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? Neque principio quicquàm est antiquius. Siquid enim supra se haberet, non esset principium. Neque licet illud, erat, cogitatione transilire, & quando non erat, intueri. Dum enim cogitamus non erat, tollimus illud, erat. Nam si principium hoc esset ex eorum numero, quæ cum aliquo cōferuntur, vt illud; principium sapientiæ, & principium viæ bonæ, &, In principio fecit Deus liceret fortasse ortum illius, qui ex tali principio constaret, cogitatione transcendere. Cùm autem absoluta sit hic principii ratio, nec cum alia re conferatur, sed summā naturam indicet, nónne ridiculus est, qui supra principiū hoc aliquid cogitat, aut conatur ipsum ratione superare? Illud autem, Erat, extenditur ex æquo cum huius principii vi, quæ nihil habet superius. Neque enim rationem temporis ostendit, vt eo loco: Erat vir in regione Ausitide, Et, erat vir ex Armathem, Et, Terra erat inuisibilis & incomposita, sed ipse nobis Euangelista huiusce vocis, Erat, significationem alibi ostendit, Qui est, inquiens, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens. sicut enim hoc: Qui est, sic etiam illud: Qui erat, æternum & sine tempore declarat. Qui verò non existentem dicit eum, qui in principio est, neque principii vim tuetur, neque huic coniunctam essentiam Vnigeniti. Nihil enim principio potest antiquius excogitari, à quo Dei Verbi natura seiungi nequit. Quare curiose quantumvis animo recurre, nunquàm cogitatione tua illud erat, transcendere, & extra ipsum esse poteris. Sed iste vicissim à nobis interrogetur, vtrum in principio erat apud Deum Deus Verbum, an posterius fuerit. Si erat, coërce linguam tuam à malo, & à voce illa execranda, qua dicis: non erat. Sin, quod nefas est dicere, tuis ego aduersum te verbis vtar aptius, dicamq; nihil oratione tua detestabilius, aut stultius fieri posse, qui homo cùm sis, eorum, quæ à Spiritu sancto dicta sunt, rationem exigere, cumq; te discipulum Euangelii profitearis, aduersus ipsum velis consurgere. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. Aeternam ipsius essentiam, ortum perturbationis expertem, naturalem cum patre coniunctionem, naturæ præstantiam, omnia paucissimis verbis complectitur, & addens illud, Erat, ad principium reducit, vt impiorum ora, non erat, dicentium obstruat, & fallacibus ipsorum argumentis omnes aditus intercludat. Deinde per Theologiam tanquàm expressum Vnigeniti naturæ picturam oculis iam intelligentium proponit, hoc inquiens erat apud Deum. Hic rursum adiiciens, Erat, ortum Vnigeniti cum patris æternitate cōiungit. Item, vita, inquit, erat: & vita erat lux hominum, & erat lux vera. Attamen quanuis Verbum vndique illa vocis, Erat, adiunctione communiatur, iste omnia spiritus testimonia respuit, eumq; nobis assiduè, Erat, inclamantis ne audiendum quidem existimat. sed cùm non esset, inquit, genitus est, cùm non esset, post ortus est. Si in principio non erat, vt dicitis, qua ratione valeat, quisq̄ apertius ostendere, vos Euangelii vocibus, quibus credimus, aduersaui?

Luc. 4.

Apo. 1.

Ex eodem libro.

SI erat, inquit, non est genitus, Respondemus. Quia genitus est, erat, cum ea sit ipsius natura, vt non sit ingenitus. At cùm semper existat, & cum patre sit, à quo et essentiæ causam habet, quando, vt esset, adductus est à patre, Ex quo est pater? At pater est, inquit, ab omni æternitate. Ab omni igitur æternitate filius item genitus cum ingenita patris natura pariter extenditur. Ac ne putent hæc à nobis esse conficta, ipsa spiritus sancti verba proponemus. Illud ex Euangelio accepimus, In principio erat Verbum. Ex Psalmo autem patrem ipsum ex persona sua ita loquentem audimus, Ex vtero ante luciferum genui te, Et rursum: Ego hodie genui te. Vtrunq; igitur componentes dicamus, & erat, & genitus est. Illud Genui, causam significat, ex qua habet existendi principium. Illud aùtem, Erat essentiam eius indicat initium non habentem, & seculis superiorem. At iste pro suo errore depugnans putat se orationem hanc absurdam esse demonstraturum. Si anteq̃ gigneretur, inquit, erat filius, erat ingenitus. Istuc ipsum, q̃d dicis, Antequàm gigneretur, ò stulte, aut nihil omnino est, sed est opinionis figmentum, quod nullo innititur fundamento vt siquis tam insipienti commento respondeat, nõ aliter faciat, q̃ si cum aliquo mente capto contendat, & pugnet, aut si ad aliquid eorum, quæ sunt, refertur, seculorum notione comprehenditur. Quæ quidem secula omnia cum sint vnigenito posteriora, vtpote ab ipso cõfecta, demens est, qui filii essentia quærit antiquiora. Nihilo enim minus absurda vestigat, q̃ si de patre, vtrum ante suã constitutionem fuerit, nec ne, percontetur. Vt enim eo, qui caret principio, & ingenitus est, aliquid superius quærere dementis est, sic de illo qui ab æternitate cum patre est, & inter se atque eum, à quo genitus est, nihil medium habet, ea, quæ tempori conueniunt, vt est prius, & posterius, interrogare, parem indicat stultitiam. Idem enim est, quærere, quid post immortalis finem futurum sit, & quid ante ortum fuerit sempiterni. At isti quoniam pater principio carens æternus appellatur, idem esse putant, principiũ nõ habere, & æternum esse. Et quia filius non est ingenitus, ideò nec æternum esse confitentur. Sed hæc plurimum inter se differunt. Nam ingenitus dicitur, qui nullum sui ipsius principium habet, nec causam existendi. Aeternus autem is, cuius essentia tempore & seculo est antiquior. Quare nec ingenitus, & æternus est. Quidam verò seculum etiam, siue æuum si ita vocare lubet, quod græce αἰών dicit̃, quoniam à voce, ἀεὶ, deducatur, æternitate censendum existimant. Nos autem eiusdem amentiæ ducimus, & rebus procreatis tribuere, & earum Domino adimere æternitatem.

Psal. 109
Psal. 2.

Ex eodem libro.

VNigenitum filium ministrum appellauit, hoc illi vt magnum quiddam attribuens, quod aptus, & idoneus sit, ad ea, quæ sibi committantur, præstanda. Nisi ex eo, quod Deus sit, perfectam gloriam obtinet, sed ex eo, quòd diligens minister existat, quid differt à ministris illis spiritibus, qui sine reprehensione ministrandi munere funguntur? Iccirco autem cum illa voce genitus, creatus etiam coniunxit, vt nihil inter filium & res procreatas interesse demonstraret. sed operæpretium est, vt admonitionem eius audiamus. Non debemus, inquit, cùm patris & filii nomen audimus, ortum ipsius humanum cogitare, neq; ex iis quæ in hominum ortu contingunt, Deum communionis nominibus & affectionibus subiicere. Monet, non oportere patris & filii similitudinẽ in essentia sitam esse cogitare. Aufert enim cõionem, tanq̃ patris essentia cũ vnigenito non communicetur. Eò tendebant graues illæ nominum distinctiones, quarũ nos turbam præteriuimus, vt propter eos, qui in terra patres nominantur, filii patrem esse negaret Deum. Ego autem, cùm multa sint, quæ christianæ religionis veritatem ab errore Græcorum, & à Iudæorum ignorantia seiungant, nullum tamen dogma censeo magis proprium q̃ fidem in patrem & filium in Euangelio salutis nostræ contineri. Cum Deum esse rerum vniuersitatis procreatorem & effectorem illi etiam, qui variis à nobis erroribus seiuncti sunt, confiteantur. Qui patrẽ falsum esse dicit, & filium nudo solum nomine ꝓnuntiat, nec quicq̃ interesse putat, vtrum patrem, an creatorem fateatur, & filium ne, an factum dicat, quónam is ordine à nobis collocabitur? Ad Iudæorum, an ad Græcorum numerũ ascribetur? Nullus enim se christianis adiunget, qui christianę pietatis vim, cultusq; nostri tanq̃ signum & notam negat. Non enim in procreatorem, & procreatum, sed in patrem & filium per Baptismatis gratiam obsignati credidimus. Quare qui voces has repudiãs patrem genitorem, & filium genitum negat, is omnem simul Euangelii potentiam abrogat. At ego, inquit, hæc dicens affectionis intelligentiam patris vocabulo insitam euito. At qui oportebat, eum qui pius esse didicisset, siquid in his verbis eam sententiam exprimens accusandum videbatur, id respuere, non autem ipsa verba penitus improbare neque propterea q̃ aliquid minus congrueret, illud etiam, quod vtile foret, simul abscindere, sed humili carnis intelligentia posthabita puram de Deo sentẽtiam tueri, & Dei generationẽ sanctitati eius perturbationum experti conuenientẽ cogitare, rationemq;, qua Deus genuit, vt arcanam & ignotã sic omittere, vt ex ipsa gignendi appellatione ad similitudinẽ in essentia constitutã perduceret. Quanq̃ consideranti perspicuum est, verba hæc patrẽ & filium dico, non corporeas propriè, & primùm affectiones indicare, sed mutuũ quendam, si per se pronuntientur, habitũ solum ostẽdere. Pater .n. est, qui alteri per naturã ipsi similem existẽdi principiũ præbet. Filius aũt, qui ex altero, genitus vt sit, principiũ accipit. Itaq; cùm hominem patrem audiuerimus, tunc perturbationem etiam cogitemus. At cùm Deum patrem intellexerimus ad causam perturbationis expertem cogitatione contendamus. At iste, qui voce hac de natura perturbationibus obnoxia loquens vti consueuit, vim illam, quã animo comprehendere nõ valet, quasi esse non posit, negat. Non oportebat aũt perturbationibus eorum, quæ corrumpuntur sic inhærere, vt Dei naturã perturbationũ expertem non crederet. Neq; naturæ caducæ & innumerabilibus mutationibus expositæ immobilem atq; immutabilem essentiã comparare. Neq; quoniam animalia mortalia cũ perturbatione generant, opinari, id etiã Deo contingere. Sed potius ex ea re sibi ad veritatis cognitionem aditum patefacere, Vt quia caduca, & quæ corrumpuntur, sic se habent, is, qui æternus est, & non corrũpitur, contrario modo sese habere intelligatur. Ac ne illud quidem poterit obiicere, nos vocibus his, quæ propriè, & primùm hoĩbus congruunt, abuti, dum illas Deo accõmodamus. Nam Dominus noster Iesus Christus nos ad rerum oĩum principiũ & veram causam reuocans, Vos, inquit, nolite vocare vobis patrem super terram, vnus .n. est pater vester ille cœlestis. Cur igitur has nobis voces, vt quæ carnis perturbationes præcipuè significent, repudiandas existimat, quas Dominus noster vt naturæ perturbationes non habenti congruentes ab hominibus transfert ad se? Neque verò, quòd rerum etiam procreatarum pater nominetur, id repugnat rationi nostræ. Qui enim, vt ait Iob, genuit

Col. 1
Rom.
Mat.
Mar.
Luc.
Matt.
Iob.

stellas

ſtillas roris, eodem modo, quo ſtillas, & filium genuit. Qđ ſi iſti audebunt dicere, eodemq; ordine rorem, & filium habere, nihil erit, cur cum ipſis omnino diſputemus, cùm apertiſsimam, atque impudentiſsimam impietatem proloquantur. Neque.n. quia pater omnium eſt Deus, eadem cótinuo ratione qua pater eſt noſter, eſt etiam Vnigeniti. Quòd ſi ea re ad impiè ſentiendum adducuntur, ꝙ primo
Col. 1. genitus omnis creaturæ, & primogenitus in multis fratri-
Rom. 8. bus vocatus eſt Dñs, diſcant ex Euangelio, Dominum eos
Mat. 12. etiam fratres, & matrem appellare, quos virtute coniun-
Mar. 3. ctos habet. Quæ, inquit, eſt mater mea, aut qui ſunt fratres
Luc. 8. mei, niſi qui faciunt voluntatem patris, qui in cœlis eſt? Quocirca vocabulo non abutimur, neque per tranſlationem Deum vocamus patrem, ſed eum propriè, & primũ, & verè ſic appellamus, qui patrem corporeorum opera fecit, vt nos, qui nulli erramus, eſſemus, quiq; cura in nos paterna nobis coniunctus eſt. Iam ſi noſtrum, qui adoptionis munere filij ſumus, Deus verè vocatus eſt pater, quid erit impedimento, quominus ſui per naturam filij, & ab ipſius eſſentia prouenientis patrem deceat ipſum appellari?

Ex eodem libro.

ALiud'ne, inquit, ſignificat lux, cùm de ingenito, & aliud cùm de genito dicitur, an idem de vtroque? Si aliud, atque aliud, perſpicuum eſt, quod ex vtroque conſtat, eſſe compoſitum, quod autem compoſitum eſt, non eſt, ingenitum. Sin idem, quãtum differt genitum ab ingenito, tantum lucem à luce, & vitam à vita, & à virtute virtutem differre neceſſe eſt. Impietatem horrendam videte, atque intelligite. Quantum, inquit, ingenitum à genito differt, tantum differt, lux à luce, vita à vita, virtus à virtute. Quæramus ex eo nos, quanto putet ſpatio diſtare genitum ab ingenito, paruóne, & tam exiguo, vt in idem poſſint aliquando conuenire. An tãto, vt id nulla ratione fieri queat, & multo facilius ſit eundem ſimul & viuum eſſe, & mortuum, & valere atque ægrotare eodem tempore, & vigilare pariter atque dormire quæ ſuma inter ſe oppoſitione adeò contraria ſunt, vt vno eorum præſente alterũ abſit neceſſario, nec omnino ſimul eſſe, coniungiq; poſsint. Quo ſanè pacto ſi quis genitũ ingenito dicat oppoſitum, patremq́, lucẽ nominans, lucem etiam filium appellet, ac tantum lucem hanc ab illa, quantũ ab ingenito differt genitum, diſtare velit, nónne is, licet verbo ſe humanũ ſimulet, dum filium etiam lucem appellat, vi tamen orationis ad contrarium ſpectabit? ſic enim conſiderate, Quidnám ingenito oppoſitum eſt, aliud ingenitum, an genitum? Genitum vtique. Quid rurſum luci oppoſitum eſt, aliáne lux, an tenebræ? Tenebrę nimirum. Si ergo q̃ diuerſum eſt genitũ ab ingenito, tantum neceſſe eſt, lucẽ à luce diuerſam eſſe, cui ſit obſcura hominis impietas, qua luci contrarium adducens lucis appellatione naturę lucis eſſentiã ſubiicit. Vnigeniti? Hoc autem niſi ita eſt, lucem nobis luci contrariã oſtendat, quæ illũ oppoſitionis modũ, qui eſt inter genitũ & ingenitum, habeat. Quòd ſi nec eſſe, nec ab ipſo poteſt excogitari, agnoſcatur artificium ac dolus ipſius quo nefariam opinionem occultè confirmat. Etenim quoniã ingenito genitũ oppoſitione contrarium arbitratur, eandẽ inter lucem & lucẽ oppõnem accõmodat, vt Vnigeniti eſſentię patris eſſentiã in omnibus contrariã eſſe demonſtret ac repugnantẽ. Huc ſpectat noua iſtius dicendi ratio, tantum, inquit, dffert lux à luce, quantum ab ingenito genitũ. Atqui inter ingenitum, & genitum eſt quædam poſitione verborum, nó autem natura rerũ, vt iſti volunt, oppoſitio. Inter lucẽ autem & lucem neq; verbis, neq; animo oppoſitio reperiri poteſt vlla. Verum ſuis ipſe fallaciis vr̃ decipi. Opinatur enim, quoniam ea, quæ contraria conſequuntur, ſic inter ſe pugnant, vt ipſa, quæ præcedunt ſibi viciſſim aduerſentur, cùm vni contrariorum adeſt contrariũ, alteri item affuturũ. Exempli gratia, vt viſum lux ſequitur, ita tenebræ cæcitatem. Vt vitam ſequitur ſenſus, ita mortẽ ſpoliatio ſenſuum. Verùm q̃ infirma ſit, & q̃ facilè corruat hæc obſeruatio, cuius vel mediocriter erudito perſpicuũ eſt. Neque enim quoniã qui vigilat viuit, ſequitur, vt qui dormit, mortuus ſit. Quãquam ne contraria quidem inter ſe ſunt genitum & ingenitũ, ſi enim eſſent cõtraria, mutuò ſeſe corrumperent. Quod in caput impiorũ conuertatur, ſed neque ſunt inimica, neque ea, quæ hæc conſequuntur, differentiam illã habebunt neceſſario, quam pręcedentia habere oſtendebantur. Proinde aut dele verba tua, aut impietatem noli negare. Tuum.n. eſt dictum illud nefarium: Quantum diſtat genitum ab ingenito, tãtum lucem à luce diſtare. Ergo quemadmodum genitus nunquam aſſequeť vt ingenitus ſit, ita lucis illum tu nunquam participem eſſe concedes, Et Vnigeniti eſſentia per te pari ſpatio aberit, vt & ingenitus ſit, & lux exiſtimetur, atq; dicatur. At Ioan
nes magna ſpiritus voce contra te clamat, Erat, inquiens, Io. 1.
lux vera. Tu verò nec aures, quibus audias, nec cor, quo intelligas, habes. Sed Vnigeniti eſſentiam ad naturam luci contrariam, & quæ cum luce conſiſtere nequeat, fallaciis tuis detrudis. Quid? quòd his non contentus eodem diſtantiæ interuallo in contrarium cogit? Quantum diſtat, inquit, genitum ab ingenito, tãtum lucem à luce, & vitam à vita, & à virtute virtutem diſtare neceſſe eſt. Nec vita igitur per te, nec virtus eſt Vnigenitus. Et tum Dñm arguis
falſa dixiſſe, cùm, Ego, inquit, ſum vita: Tum Paulum, qui, Io. 14.
Chriſtus, inquit, Dei virtus. Nam quæ in ſuperioribus de- 1. Cor. 1.
monſtrabantur, eadem ex his conuenient. Neq;.n. quiſq̃ vitæ, & virtuti vitam & virtutem dixerit eſſe contrarias, ſed mortem & impotentiam illis maxime repugnare. Quorum iſte verborum dolum cœlans, callidè atque occultè horrendam impietatem conſtituit. Et orationi ſuæ fallaciis Vnigeniti naturam in contrarium à patris natura ſeiungens, ſolam ei relinquit nominum ſpeciem. Nos verò qui patrem ingenitum, & filium genitum confitemur, qũo effugiemus, quo minus eſſentia diuerſi eſſe videantur? Quid dicemus? A bono patre filium bonum, ab ingenita luce lucem effulſiſſe ſempiternam, à vera vita fontem vitæ largitricem emanaſſe, ab eo, qui eſt ipſa virtus, Dei virtutem eluxiſſe, Tenebras autem, & mortem, & impotẽtiam principi mundi huius, & principibus tenebrarum, & omni diuinæ naturæ aduerſanti poteſtati coniunctas eſſe. Neq; tñ his per eſſentiam inimicitias eſſe cum bono. Sic.n. in procreatorem culpa reflecteretur. Sed propria voluntate ad malitiam deflectentibus eueniſſe, vt bono priuarentur. Neq;.n. in eſſentia contrarium eſſe poteſt. Quid ſi quis, vt verum eſt, genitum & ingenitum ſic acceperit, vt in eſſentia proprietates eſſe intelligat, quibus tanq̃ notis mens ad veram ac minime confuſam patris à filio diſtinctionem cognoſcendam perducatur, is & impietatis periculum euitabit, & rationis ordinem tuebitur. Proprietates.n. ſunt quę dam veluti notæ, atque formæ, quæ quod commune eſt, ita diſtinguũt, vt eſſentiæ naturam non dirimant. Commune Diuinitas eſt. Proprietates ſunt illę, quibus pater hic, ille filius dicitur. Ex horum cõplexu, nempe ex eo, quod commune, & ex eo quod proprium eſt, cognitio veritatis in nobis innaſcitur, vt cum lucem ingenitam audimus, patrem: cùm lucem genitam, filium intelligamus. Quatenus lux,

& lux, nihil in se contrarium admittunt. Quatenus autem genitus, & ingenitus, accipiunt distinctionẽ. Hæc est enim natura proprietatum, vt in eadem essentia diuersitatem ostendant, & sæpe cùm ipsæ inter se distinctæ sint, atque in contrarium tendant, essentiæ tamen non distrahunt vnitatem.

Ex eodem libro.

EVnomius. Qui res procreatas contemplatur, ex earũ contemplatione ad essentias ducitur, & ab ingenito reperit filium factum, ab Vnigenito autem Paracletum. Et ex vnigeniti præstantia actionis differentiam intelligens, certissimum etiam essentiæ diuersitatis colligit argumentum. Basilius. Primùm qui fieri possit, vt ex rebus procreatis percipiantur essentiæ, ego quidem non video. Opera.n.potentiam, & sapientiam, & artem, non autem essentiam ipsam demonstrant. Ac ne potentiam quidem artificis totam declarant necessario. Cùm sæpe cõtingat, vt ad illa perficienda non omnes suas vires adhibeat sed artis remittat vim. Quòd si in agendo oẽs etiam neruos intenderit, vt ex ea re vis & robur ipsius colligi queat, non tamen, quæ sit eius essentia, comprehendetur. At si totam patris vim ad filium gignendum adhibitam dixerit, totãq; rursus vim Vnigeniti ad Spiritum sanctum constituẽdum, vt ex Spiritu sancto potentia simul & essentia filij, ex Vnigenito autem patris item potentia atque essentia intelligatur, videte, quid hinc consequatur. Ex quibus enim conatur essentiæ dissimilitudinem constituere, ex iis eius similitudinem videtur confirmare. Si.n.potentia nihil habet cum essentia commune, qũo ex operibus, quæ potentiam indicant, ad essentiam comprehendendam peruenitur? Sin essentia, & potentia idem sunt, quod potentiam exprimit, & essentiam nimirum exprimet. Quamobrem opera, non, quemadmodum tu ais, ad essentiæ dissimilitudinem, sed ad exquisitam eius similitudinem ducet. Præterea argumentum hoc nostram potius, q̃ illius rationem confirmat. Aut.n.nulla ratione poterit ea, quæ dicta sunt, demõstrare, Aut, si ex rebus humanis exẽpla sumet, comperiet, nos non ex artificis operibus essentiam eius intelligere, sed ex genito genitoris naturam agnoscere. Non.n.ex domo licet architecti essentiam percipere, sed ex filio q genitus, est, facilè natura eius, qui genuit illam, agnoscitur. Quare si Vnigenitus factus est, non indicat nobis patris essentiã. Sin per se nobis illam declarat, non est factus, sed genitus, & verus filius, & imago Dei, & figura substantiæ.

Eiusdem ex eodem libro.

SI vnigenitum constituis non ex eo, quòd genitus est, sed ex eo, q nihil ei comparatur, & pater, cui nihil cõparari potest, erit vnigenitus.

Ex eodem libro.

SI filius non simpliciter est vnigenitus, sed filius vnigenitus, & à patre vnigenitus, est vnigenitus filius, non autem res creata vnigenita.

Ex eodem libro.

SI communiore concessuq; patris, non autẽ natura filius est procreator, nihil est ab ipso natura procreatũ. Quorum enim natura procreator ille non est, quomodo ea sint natura procreata?

Ex eodem libro.

SI Deus agit ratione singulari, ratione itẽ gignit singulari, Deus enim nulla in re cum illo comparari potest.

Ex eodem libro.

QVod fit, non ex natura facientis est. Quod autem gignitur, est ex gignentis essentia. Non igitur idẽ est facere, & gignere.

Ex eodem libro.

QVod in forma Dei est, est in essentia Dei. Non. n. aliud est Dei forma, aliud eius essentia. Alioquin esset compositus. Quamobrem qui forma ęqualis est, & essentia est æqualis.

Ex eodem libro.

SI pater ante filium erat, alterius omnino erat filij pater. Nam sine filio pater non potuisset dici.

Si is qui filium per essentiam nouit, patrem nouit: Si me enim, inquit, cognouissetis, & patrẽ meum vtique cognouissetis: eiusdem prorsus essentiæ cũ patre filius est. Nam ex dissimili essentia non posset agnosci. Io. [...]

Ex eodem libro.

SI is, qui credit, Christum esse filium Dei, vitam æternam habet, necesse est, vt qui non credit, mortem habeat æternam.

Ex eodem libro.

QVorum actiones eædẽ sunt, eorũ vna est essentia. Actio autem patris & filij vna est, Vt ex illis verbis intelligitur: faciamus hoĩem ad imaginem, & similitudinem nostram. Et ex illis: Quæ pater facit, eadem & filius similiter facit. Vna igitur est essentia patris & filij.

Ex eodem libro.

SI isti, qui filium creatum dicunt, aliquam ex rebus, quę creatæ sunt, esse negant, Cur nobis eum genitum esse dicentibus, similem aliorum, qui geniti sunt, esse cogitant?

Ex eodem libro.

SI patris filiiq; cognitio vita æterna est, necesse est vt sint eiusdem essentiæ. Quæ enim essentia diuersa sunt, nec eadem cognitione comprenduntur, nec vitã possunt elargiri.

Ex eodem libro.

SI Deus non generat, ne fluxum sustineat, neque creet ne subeat laborẽ. At si nulla perturbatione creat, multo magis gignit sine perturbatione.

Ex eodem libro.

SI omnis lucis splẽdor ab ipsa gignitur luce, nullo tamen certo spatio, sed sine tempore, & perpetuo simul cum ipsa est, Non enim sine splendore lux est, Et filius, qui splendor est, nullo certo gignitur spatio: sed ab omni æternitate splendor est Dei, & patris, qui est lux. Dauid enim in luce, inquit, tua videbimus lucẽ, Et Daniel, Et lux, inquit, cum ipso est. Psal. [...]

Ex eodem libro.

SI Deus non gignit, id fit, quia vel non vult. Si nequit, præterquam quòd imbecillus est, naturæ gignenti per fectæq; cedit. Sin potest, sed non vult, quod natura habet, cohibet voluntate. Quare licet nunquam genuerit, gignet tamen aliquando, cùm volet.

Ex eodem libro.

QVia nos exĩte patre filiũ dicimus existere necessario, isti quoniam igitur, inquiunt, & filius semper est procreator, semper erit & procreatio, atque ita simul cum patre & filio erit æterna. Minimè verò. Nam

Apo[...] Heb.[...] Phili[...] Ron[...]

qui procreatorem dicit, non continuo dicit etiam procreationem. Neq;.n.simul cum architecto ędificium existit, neque nauis simul cum illo, qui nauium est ædificator.

Ex eodem libro.

RVrsum quærunt, vtrũ filius existens, an non existens genitus sit. Quæ sanè quæstio obscura, & callida est. Cùm enim pudeat eos quęrere, vtrum aliquando, & in tpe genitus sit, dicunt vtrũ existens an non exñs sit genitus. Tu igitur ab illis vicissim quære, VtrũDeus pater exñs, an non existens pater filiũ genuerit. Si enim existens pater, existens existentem genuit. Si non existens, factus est, non autem natura pater. Sed omnes istorum quæstiones excludunt diuinæ scripturæ. Cum Moses de filio clara voce testetur, Qui est, inquiens, misit me: Ioannes autẽ Euangelista, In principio, dicat, erat Verbũ, quater illam vocem, Erat,
Io. 1. repetens: Et alibi, Qui est ex Deo: Et, Qui est in sinu patris:
Apo. 1. Et alio loco, Qui est in cœlo. Et in Apocalypsi, Qui est, qui
Heb. 1. erat, & qui venturus est. Et Paulus, Qui cùm sit splendor
Philip. 2. gloriæ: Et, Qui cùm in forma Dei esset: Et, Qui est in omni
Rom. 9. bus Deus benedictus.

Ex eodem libro.

SI causa maior est eo, cuius est causa, & ab ipso per essentiam differt, Omnis pater cùm filij causa sit, maior est filio. Et patres à filiis essentia diuersi sunt, non autẽ eiusdem essentiæ. Quod falsum est.

Ex eodem libro.

QVærunt, an pater, qui filiũ genuit, ipsum gignere desierit, Vt si desiisse concesserimus, ergo, inquiant, gignere etiam cœpit. Quicquid enim habet finem, habet etiam principium. Quæramus & nos, nũ quia id, quod desinit, principiũ habere necesse est, & quod principium habet, desinere, Angeli, & quęcunque sunt corporis expertia quoniam principium habent, finem quoq; sint habitura necessario. Quòd si absurdum est, constat, & quod cœpit esse, posse non desinere: Et quod desinit, non cœpisse: Alioquin ex ipsorum sententia necesse est, vt filius etiam, si principium habet existendi, finẽ quoque habeat. Siquidem omnia quæ habent principiũ, finem itẽ habere volunt. Quod quidem dictu nefarium est. Dei certè præcognitio, quæ principium non habet, posteaquam aduenerunt ea, quæ ante cognoscebantur futura, desinit. Quãobrem patet, non esse necessarium, vt principium habeant omnia, quæ finem habent.

Ex eodem libro. De ingenito.

SI ingenitus, vt à genito distinguiť, essẽtia est, Et increatus, vt à creato separatur, essentia est, & ingenitus erit essentia, & increatus essentia, atque ita non vna erit essentia Deus, sed duæ. Itemq; vt immutabilis, vt principiũ non habens, vt alia multa, multas habebit essentias.

Ex eodem libro.

SI is, qui patrem ingenitum, & filium genitum dicit, essentias ostendit, is, qui eorum existendi modum volet declarare, quónam alio pacto loqui poterit? Ingenitus existendi rationem indicat, non autem est nomen essentię. Quòd si ea, quæ diuersum existendi rationem habent, diuersam obtinent etiam essentiam, nec homines eiusdem essentiæ sunt. Alia.n.est existendi ratio. Adæ ex terra conflati, alia Euæ ex costa formatæ, alia Abelis ex maris & fœminæ coniunctione nati alia Dñi ex Maria Virgine orti. Idem etiam de volatilibus, & quadrupedibus intellige.

Ex eodem libro.

SI id, quod fieri nequit, ei, quod fieri potest, contrariũ est, & insipiens, insipienti, & quæcũque eodem pacto distinguuntur, inter se contraria sunt, ingenitum etiã genito contrarium erit, & pater filio. Quod quidem sequeretur, si ingenitum non existendi modum, sed essentiam significaret.

Ex eodem libro.

SI filius creatus est, non autem genitus, & res item omnes creatæ sunt, frustra pater vocatur ingenitus, cùm genitus non adsit, qui cum comparatus ingenitus appelletur. Itaq; rectius increatus diceretur, q̃ ingenitus. Nã ingenitum nomen est, non essentia. Nomina.n.essentias significant, non autem ipsa sunt essentiæ. Quòd si ingenitũ dicunt essentiam esse, ipsius afferant nomen. Non.n.ex essentia, sed ex nomine, actioneq; res cognoscimus, eas præsertim quæ corporis sunt expertes.

Ex eodem.

SI ingenitus est nomen essentiæ Dei, aut essentiam cognoscens suam Deus essentiæ nomen ignorauit, aut nomen etiam sciens audientes decepit. Dominus.n. omnipotens, inquit, est nomen meum. Et Mosi quærenti Exo. 15.
nomen ipsius, Ego, inquit, sum, qui sum. Et rursum, Deus, Esa. 42.
inquit, Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, hoc mihi Exo. 3.
nomen æternum. Et Dauid, Dominus, inquit, est nomen eius. Ingenitum autem esse nomen illius, nec ipse dixit, nec vllus sanctorum hoĩum. Quòd si neq; decepit, neq; ignorauit (id.n.nefas est dicere) ingenitus non est nomen eius.

Ex eodem.

INgenitus aut essentia, aut accidens est, nihil.n.aliud esse potest. Essentia non est. Quandóne id quidem, quod ab eo distinctum ei ex altera parte respondet, nempe genitus non est essentia. Genitus.n.dicitur filius, non quatenus essentia est, sed quatenus gignitur. Sin est accidẽs, aut natura coniunctum, aut eiusmodi, vt adesse posit, & abesse. Si natura coniunctum, necesse est Deo, vt essentia, & accidens sit. Necessario enim hæc accidunt illis, quibus accidunt. Sin eiusmodi, vt adesse posit, & abesse, erit & ingenitus aliquando, & genitus.

Ex eodem.

SI ingenitus non est nomen essentiæ, sed essentia, & filius est essentia, ingenitus & filius est, & omnis essentia & ingenitus.

Ex eodem.

SI ingenitum esse est essentia Dei, & genitum esse est essentia filij, essentia eius non est, esse creatum, nec factum. Filius enim est essentia vna, non plures.

Ex eodem.

QVi hominem, aut lapidem, aut lignum dicit, essentiam aliquam significat. Qui autem genitũ dicit, non significat essentiam simpliciter. Qm̃ omne genitum est vna essentia. Quòd si certam aliquam essentiã genitus non significat, ne ingenitus quidem.

Ex eodem.

SI natura pater inegenitus est, & filius natura est genitus. Quod si natura genitus, non est creatus. Cùm aũt genitus sit natura, & genitorem esse necesse est. Nam sine genitore genitus esse non potest. Dicant igitur genitorem, si pater non genuit.

Ex eodem.

SI filius, inquiunt, est eiusdem essentiæ cum patre, & pater ingenitus est, filius autem genitus, eadem essentia est ingenita, & genita. Nos autem nó dicimus filium esse partem patris, vt essentia diuisa ingenitus genitusq; proueniát, sed totum ex toto, genitum ex ingenito, vt duo perfecti sint, non autem duæ partes ex vno aliquo.

Ex eodem.

Io. 17. SI filius nomen patris hominibus patefecit. Ipse.n. manifestaui, inquit, nomen tuum hominibus. Proprium autem ipsius essentiæ nomen ingenitus, ostendant, vbi ipsum ingenitum nominauerit.

Ex eodem.

INgenitus neq; definitio Dei est, neq; proprium. Hæc.n. cum illis, quorum sunt definitio, & proprium, conuertuntur, & eis ex æquo respondent. Homo.n. animal est ratione præditum, & mortale. Et si quod animal est ratione præditum ac mortale, illud est homo. Hominis autem proprium est, esse ad ridendum aptum. Quare si quid est eiusmodi.i. homo. At ingenitum si quis de solo Deo dici concesserit, non continuo si quid Deus est, id sit ingenitum. Filius.n. cùm Deus sit, non est ingenitus. Quãobrem ingenitus nec definitio, nec proprium est, non.n. conuertũtur.

Ex eodem.

SI filius à Deo creatus est, & qui creatus est, seruus est creatoris, seruus vtique est Christus, non autem filius Dei. Non ergo serui formam assumpsit, cùm esset Dominus, sed erat seruus.

Ex eodem.

SI minora à minore creantur, & maiora à maiore, per multos vniuersitas creata est, & non est æqualis.

Ex eodem.

SI natura Deus creator est, non vnius est, sed multorum. Alioquin aut impotentia non creat aliud, aut inuidentia.

Ex eodem.

SI rerum vniuersitatem Deum per se cõdere puduisset, ne laudem quidem eius admitteret. Quæ enim facere erubuisset, ea sibi vt propria nollet attribui.

Ex eodem.

SI idem est, Deum creare, & gignere, quoniam simplex est, idem etiam est, seruare, & perdere, vitam largiri, atque interficere, atque ita idem erit salus, & interitus, vita est mors.

Ex eodem.

SI Christus Dei virtus est, & sapientia, & hæ creatę non sunt, sed æternæ simul cum Deo, Nunquam.n. sapientia virtuteq; caruit, Christus creatus non est, & est simul æternus cum Deo. Quod si quatenus actiones sunt, dicitur virtus & sapientia, nos item Christi, vt ipse Dei, virtus sapientiaq; dicemur. Quod absurdum est.

Ex eodem.

SI filius æternus Deus non est, recens est. Si verus non est, falsus. Si natura non est, hominum est instituto. Impium autem est Deos nouos, falsos, non naturales
Psal. 88. adorare. Non erit, inquit, tibi Deus recens. Et Paulus, sed tunc, inquit, ignorantes Deum seruiebatis illis, qui natura Dii non sunt.

Ex eodem.

SI vnigenitus est filius, propterea quòd solus à solo factus est, cur magis propriè vni creatus non dicitur? Quando vere creatum illum Eunomius affirmat, & falso genitum appellari?

Ex eodem.

SI patri similis est filius, nõ natura tamen, figura igitur, aut actione. Figura similis dici non potest, Nam res, quæ non habẽt corpus, figuram nõ habent. Sin actione, non est commutabilis. Talem.n. illum egit, qualis ipse est. Siquidem à patre factus est, non autem genitus. Quãquam etiam dictum est antea, id, quod est actione simile, essentia item esse simile.

Ex eodem.

SI Dei opera, vt Dauid ait, in fide, non autem in demõstratione consistunt. Quãto magis generatio filij, quæ Psal.
est ante secula fide, non autem demonstratione percipit?

Ex eodem.

SI ex nihilo Deus filium fecit, & filius ex nihilo fecit oĩa, eadem est virtus, & actio eorum, qui quod volunt, ex nihilo creare queunt, cùm nulla sit inter illa, quæ creãtur, differentia. Quandoquidem & in rerum vniuersitate licet multiplex varietas sit, non varij tamen sunt conditores, sed vnus, nempe filius, per quem omnia facta sunt. At quorum vna virtus, & actio est, eorum, vt diximus, vna est etiam essentia, atque natura.

Ex eodem.

SI fides in filiũ nostra est opus Dei: Hoc enim, inquit, est opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit: filius Io. 6.
esse non potest opus Dei. Neque enim idem est fides in filium, & ipse filius.

Ex eodem.

SI filius, quatenus est Deus, subiicietur patri, initio subiectus fuit, nimirũ ex quo Deus est. Quòd si subiectus non fuit, sed subiicietur, vt homo subicietur pro nobis, nó autem vt Deus pro se.

Si pater filio Deo posteaquã factus est homo, propterea quòd obediens fuit, donauit nomen super omne nomen, vt omnis lingua Dominum confiteretur, antequam homo fieret, non habebat nomen super omne nomen, neque illum omnes Dominum confitebantur. Maior igitur Phil.
euasit postquam homo factus est, q̃ erat prius, q̃ homo fieret. Quod absurdum est. Idem argumentũ sumi potest ex illis verbis: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Matt.
Quamobrem hæc ad humanitatem eius, non autem ad diuinitatem referenda sunt.

Si mundi conditor est filius, & tempus illius ignorat, q̃ à se conditum est, ignorat. Neque enim negauit se iudiciũ scire, sed tempus. Hoc autem absurdum est.

Ex eodem.

SI cognitionem omnium quæ pater habet, non habet, filius, mentitus est, inquiens, omnia, quæ pater habet mea sunt, Et, Quemadmodũ cognoscit me pater, sic Io. 10.
ego cognosco patrẽ, sin aliud est, patrẽ nosse, aliud nosse, quæ patris sunt, Et maius est nosse patrem, q̃ ea, quæ ipsius sunt, Cùm vnus quisque maior ipse sit, q̃ ea, quę sunt ipsius, nullus enim, inquit, nouit patrẽ, nisi filius, Quod maius est, noscens id quod minus est igorauit. Hoc autem fieri non potest. Reticuit igitur, quoniam hominibus iudicij tempus scire non expediebat. Nam assidua expectatio illos ad pietatem excolendam promptiores reddit. Quod si longum

temporis ſpatiũ interceſſurum cognouiſſent, negligẽtiores effecti eſſent, ſperantes fore, vt poſt etiam, ſi reſipiſcerent, placerent. Nam qui fieri poteſt, vt eum illa hora lateat, qui vſque ad ipſam horã nouit omnia? Fruſtra præterea dixiſſet Apoſtolus, In quo ſunt oẽs theſauri ſapientiæ & cognitionis reconditi. Col. 2.

Si propter patrem filius viuit, per alium, non per ſe viuit. Qui autem per alium viuit, non eſt ipſa vita. Nã & qui per alium ſanctus eſt, non eſt ipſa ſanctitas. Mentitus eſt igitur filius, ego, inquiens, ſum vita, Et, ſic & filius quos vult, viuificat, Quare dictum illud non ad Diuinitatem pertinet, ſed ad humanitatem. Io. 14. Io. 5.

Ex eodem.

SI vitis eſt, inquiunt, ſeruator, nos autem palmites, pater autem agricola. palmites autem viti natura coniuncti ſunt, Vitis autem agricolæ naturaliter non eſt coniuncta, Filius natura nobis cum coniunctus eſt, non autem eiuſdem eſt naturæ cum patre, ſed ab eo penitus alienus. Reſpondemus, Dominum non Diuinitatis, ſed carnis ſuæ nos palmites eſſe dixiſſe. Quemadmodũ Apoſtolus, Nos, inquit, ſumus corpus Chriſti, & membra ex parte: Et alibi, Neſcitis, inquit, corpora veſtra eſſe Chriſti mẽbra? Et alio loco, Qualis, inquit, terrenus, tales & terreni. Et qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Et, ſicut portauimus imaginẽ terreni, portemus & imaginem cœleſtis. 1.co.12.d 1.Cor.6.c.d. 1.Co.15.

Ex eodem.

SI filius de ſe ipſo loquebantur, Pater, inquiens, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, non modo timorem & imbecillitatem ſuam declarabat, ſed aliquid etiam à patre fieri non poſſe arbitrabatur. Nã illa verba, ſi fieri poteſt, ambigentis ſunt. Non igitur pro ſe ipſo ita loquens poſtulabat, ſed pro illis, qui ipſum erant occiſuri, ne tantum ſcelus admitterent, pro quibus etiam in crucem ſublatus orabat, Pater, inquiens, dimitte illis. Matt. 26.

Ex eodem.

SI hominis caput eſt Chriſtus, & Chriſti caput eſt Deus, homo autem non eſt eiuſdem eſſentiæ cum Deo, neq; enim Deus eſt, Chriſtus autem eſt eiuſdem eſſentiæ cũ Deo, nempe Deus, non eodem modo caput hominis Chriſtus eſt, quo Deus eſt Chriſti. Natura enim creata, & Diuinitas in vnũ non concurrunt. Ergo Deus, vt pater, eſt Chriſti caput, Chriſtus autem vt effector caput eſt hominis. 1.Cor.11

Ex eodem.

SI vt Deus, non autem vt homo petebat, clarifica me, inquiens, pr̃, nõ habebat id, quod poſtulabat. Et Euangeliſta, qui, vidimus, inquit, gloriam eius, mentitur. Et Apoſtolus, Dominum, inquiens, gloriæ non crucifixiſſent. Et Dauid, Et introibit, inquiens, Rex gloriæ. Non petebat igitur acceſsionem gloriæ, ſed humanæ ſalutis conſilium patefieri. Io. 17. Io. 1. 1.Cor. 2. Pſal. 23.

Ex eodem.

SI gloriam, quã habebat ante, q̃ mundus fieret, verè flagitabat à patre, illam amiſſam flagitabat, neque enim id, quod habebat, flagitaſſet. Quòd ſi ita eſt, nõ gloriã ſolum, ſed Diuinitatem amiſerat. Gloria enim à Diuinitate ſeiungi non poteſt. Ergo, vt Photinus ſentiebat, erat homo purus. Conſtat igitur hęc ad humanitatem eius, non aũt ad Diuinitatem referri. Si ex eo, ꝙ primogenitus creaturæ dictus eſt, colligitur eum primum creatum eſſe, Apoſtolus, qui dixit, per ipſum & in ipſum creata eſſe omnia, dicere debuit, & ipſum ante omnia creatum fuiſſe. Nũc aũt dixit, & ipſe eſt ante omnia. Ex quo declarauit, & illum ſemper eſſe, & rerum vniuerſitatem eſſe factam. Illud enim eſt, cõſonat illis verbis: In principio erat verbum. Rom. 11.

Ex eodem.

SI primogenitus, inquiunt, filius, nõ eſt vnigenitus, ſed eſt alius, propter quem dicitur primogenitus. At qui, ò ſapientes viri, cùm ſolus etiam ex Maria genitus ſit, dictus eſt eius primogenitus. Donec, inquit, peperit filium ſuum primogenitum. Ex quo apparet, non eſſe fratrem neceſſarium, vt quis primogenitus dicatur. Rñderi etiam poteſt, ꝙ ante oĩum ortum primogenitus dicebatur. Pręterea primogenitus appellatus eſt propter eos, qui ꝑ ſpiritus ſancti adoptionem ex Deo geniti ſunt, quos, vt ait Paulus, præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Matth. 1. Rom. 8.

Ex eodem.

SI is, qui dixit, Ego ſum via, Et, nemo venit ad patrem niſi per me, idem eſt, qui dixit, Dominus creauit me initium viarum ſuarum, etiam de filio dicitur, creari, & fieri, vt ibi, creaui hominem per Deum. Et rurſum, fecit filios, & filias. Et Dauid, cor mundum, inquit, crea in me Deus, nil aliud petens, niſi vt, quod iam erat, cor, mundum purumq; fieret. Dicta eſt etiam noua creatura, non quod alia facta eſſet creatura, ſed habita eorum ratione, qui ad rectè, pieq; viuendum illuſtrantur. Io. 14. Pro. 8. Pſal. 50.

Ex eodem.

SI filium ad opera creauit pater, qui aũt propter aliud, non aũt propter ſe fit, aut pars, aut minor eſt eo, cuius cauſa fit, filius aut creaturæ pars eſt, aut ea minor. Neceſſe eſt igitur, vt ad eius humanitatẽ illa verba referamus. Dixerit aliquis, Solomonem eo loco ſapientiam illam intellexiſſe, cuius mentionem fecit Paulus, Quoniam, inquiens, in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapiam Deum. Quãquam ne Propheta quidem fuit, qui ita locutus eſt, ſed prouerbiorum ſcriptor. Prouerbia autem ſunt rerum imagines, non ipſæ res. 1. Cor. 1.

Ex eodem.

SI Dei filius erat, qui dixit: Dñs creauit me, dixiſſet potius, pater creauit me. Nunquam.n. illum Dñm ſuum, ſed patrem ſemper appellat. Reliquum igitur eſt, vt de filio dictum illud, Genuit, accipiamus. De ſerui aũt forma illud, creauit. In oĩbus autem eiuſmodi ſcrpturæ locis non duo ſic accipimus, vt Deum per ſe, & per ſe hominem intelligamus, vnus enim eſt. Sed cogitatiõe ſeparatã vtriuſque naturam colligimus. Etenim ne Petrus quidem duo intelligebat, cũ diceret, Chriſto igitur pro nobis paſſo carne. 1.Pet.4.

Si genitus, inquiunt eſt filius, non autem factus, cur ſcriptum eſt ad hunc modum: Certiſsimè ſciat oĩs domus Iſrael, ꝙ & Dominum ipſum, & Chriſtum Deus fecit? Et hic igitur dicendum eſt, hæc verba de illo intelligi, quatenus ex Maria natus eſt, & ad humanitatem illius pertinere. Quemadmodum & Angelus paſtoribus bonum illud nuntium ferens, Natus eſt, inquit, vobis hodie ſeruator, qui eſt Chriſtus Dominus. Ea nãque vox, hodie, ad eum, vt eſt ante ſecula referri non poteſt. Hoc autem clarius patet ex verbis illis, quæ deinceps ſequuntur: Hunc ipſum, quem vos crucifixiſtis. Act. 2. Luc. 2. Act. 2. g.

Ex eodem.

SI cùm natus eſt filius, tunc ſapientia factus eſt, falſum eſt illud: Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia. Nam Dei ſapientia non eſt facta, ſed ſemper fuit. Quanquam fieri de patre etiam dicitur. Dauid enim, Fias, inquit, mihi in Deum protectorem. Et Paulus, Fiat, inquit, Deus verax, 1.Cor.1. Pſal. 30. Rom. 3.

omnis autē homo mendax. Sic etiam Dn̄s factus est nobis à Deo sapientia, & sanctitas, & redemptio. Si pater igitur factus protector, & verax, non est res creata aut facta, nec filius factus sapientia, & sanctitas res creata factáue intelligitur.

Ex eodem.

SI verum est illud: Vnus Deus pater. verum est & illud:
1. Cor. 8. Vnus Dn̄s Iesus Christus seruator. Neque igitur, vt isti sentiunt, seruator est Deus, neque pater est Dominus. Vt frustra dictum sit: Dixit Dominus Domino meo.
Psal. 109 Psal. 44. Et id sit falsum: Propterea vnxit te Deus Deus tuus. Et il-
Gen. 19. lud: Pluit Dn̄s à Domino. Et illud Fecit Deus hominem
Gen. 5. ad imaginem Dei. Et illud: ecquis Deus præter Dominū?
Psal. 17. Ecquis Deus præter Deum nostrum? Et illud Ioannis: Et
Io. 1. Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et illud
Io. 20. Thomæ de filio: Dominus meus, & Deus meus. Quamobrem inter res procreatas, falsosq; Deos, & qui impropriè dicuntur Dij differentiæ sunt excogitandæ, non inter patrem, & filium, qui verus dicitur, vt à falsis seiungat. Cum illo autem nihil comparatur, quia ante omnia est, & omnibus antecellit.

Eiusdem ex Epistola ad Maximum Philosophum.

EGo, si dicendū est, quod sentio, vocem illā, ὅμοιον, hoc est, simile, si ita accipiatur, vt nullam admittat diuersitatem, probandam suscipiendamq; censeo. In idem enim cum altera illa voce, ὁμοούσιον, si sana illius sententia capiatur, vt eiusdem essentiæ, seu consubstantiale significet, concurrit. Quemadmodum Patres Nicææ congregati lumen de lumine, & Deum verum de Deo vero intelligentes, ὁμοούσιον, induxerunt. Neq; igitur inter lumen & lumen, neque inter veritatem & veritatem, neque inter vnigeniti & patris essentiam discrimen vllum cogitari potest. Siquis, inquam, hoc sensu vocem illam, ὅμοιον, hoc est, similem accipiat, eam approbo. Si quis autem non omnē ab illa diuersitatem abiungit, vt illi, qui constantinopoli coacti sunt, vocem suspectam existimo, vtpote qua Vnigeniti gloria imminuatur. Scimus enim verbum hoc, similem, solere in eas etiam res conferri, quæ tenuem, & obscuram aliquam præsse ferunt similitudinem, licet ab exemplaribus plurimum distent. Quamobrem qm̄ in hac voce, ὁμοούσιον, minus timenda fraus est, iccirco illam ego quoque magis amplector, & probo.

Eiusdem ex Epistola ad Canonicos.

IDem nobis de fide sentiendum est, quando vtrique eorundem Patrū filij & hæredes sumus. Patres illos dico, qui Nicææ quondam magnum illud pietatis testimonium ediderunt. Cuius cùm alia omnia sine vlla reprehensione passim comprobentur, quidam vocem illam ὁμοούσιον, vt à nonnullis in dubium reuocatam nondum suscipiunt. Hos & accusare quis merito possit, & venia rursum dignos arbitrari. Patrum enim sententiam non sequi, & vocem ab illis approbatam non vt magis sententia sua propriam suscipere, vt facinus arrogantia plenum accusandum videtur. Eam rursus, vt ab aliis improbatam, habere suspectam, videtur eos aliquo modo mediocriter à crimine liberare. Nam qui sub Paulo Samosatense conuenerant, illam vt minus insignem & claram calumniati sunt. Dicebant enim eam & essentiam significare, & ea quæ ab essentia sunt, atque ita præbere essentiam distributam iis, in quæ diuisa foret. Quæ quidem sententia probabilis aliquo modo videri posit, si æs, & numismata ex ære conflata consideraremus. In Deum autem patrem, & in Deum filium non cadit, nulla enim his antiquior essentia, nulla vtrique subiecta materia. Nefas enim est aliquid de illis eiusmodi cogitare. Quid enim ingenito esse potest antiquius? Ad hæc opinione ista detestabili tollitur in patrem & filium fides. Fratres enim sunt, qui ex vno proueniunt. At quoniam erant, qui filium ex nihilo factum assererent, vt impietatem istam euerterent, ὁμοούσιον, addiderunt. Atque hanc quidem fuisse Patrum illorum sententiam, facile ex verbis antecedentibus colligitur. Cùm enim dixissent, lumen de lumine, & ex essentia patris filium genitum, non autem factum, subiecerunt, ὁμοούσιον, vt indicarent, quæ luminis ratio in patre est, eandem & filio conuenire. Nam lumen verum quantum ad luminis rationem pertinet, nullam habet cum vero lumine differentiam. Proinde cùm lumen principium non habens sit pater, & lumen genitum sit filius, lumen autem & lumen vtrunque, ideo iure dixerunt, ὁμοούσιον, vt parem eiusdem naturæ rationem constituerent. Neque enim fratres sunt ὁμοούσιοι, vt quidam senserunt, sed cùm eius, qui causa est, is qui ab ipsa est causa, est eiusdem naturæ, ij dicuntur ὁμοούσιοι. Quæ sane vox & Sabellij prauam corrigit opinionem, qua patrem & filium arbitrabatur vnam & eandem esse personam, & perfectam adducit personarum intelligentiam. Nihil enim est ὁμοούσιον sibi, sed alteri. Itaque præclarè & piè constituta est, cùm & personarum distinguat proprietates, & eandem naturæ rationem declaret. Quando autem ex patris essentia filium esse discimus & genitum, non autem factum, in affectionum corporearum cogitationem nos incidimus. Neque enim disiecta est essentia patris in filium, neque fluens, proferens, vt arbores fructus, illum genuit. Sed diuina illa gignendi ratio arcana est, nec hominis aut oratione explicari, aut mente comprehendi potest. Nimis autem abiecti, & verè carni obnoxij est, rebus fragilibus, & caducis ea, quę sunt æterna, cōferre, & opinari, Deum eodem modo, quo res corporeas, gignere.

Eiusdem ex epistola ad Eustathium Armenium, aduersus quosdam, qui videbantur Arianorum opinionibus fauere.

OPortet igitur, vt aperte confiteantur, se credere, quemadmodum verba à patribus nostris Nicææ exposita præscribunt; si tamen sana ipsorum verborum sententia accipiatur. Sunt enim quidam in hac etiā fide, qui veritatis orōnem deprauant, & eorum verborum sensum ad opinionem suam confirmandam trahunt. Quādoquidem & Marcellus impie sentiens de persona Dn̄i nostri Iesu Christi, eūq; purum esse Verbum prędicans, ausus est dicere, se vt ita sentiret, adductum esse pp illam vocem ὁμοούσιον, cuius vim male intelligebat. Et qui Sabellij Lybyci defendunt impietatem personam & essentiam idem existimantes ad eam confirmandam simulant se propterea compulsos esse, quod in ea fide ita scriptum sit, si quis filium ex alia essentia siue hypostasi esse dixerit, eum execratur, & detestatur catholica & Apostolica Ecclesia. Nō autem Patres illi idem esse dixerunt essentiam, & hypostasin, si enim hæ duæ voces vnum & eundem sensum haberent, vtraque vti non erat opus. Cùm igitur alij filium esse negarent ex patris essentia, alij ipsum non ex essentia sed

negarent ex patris essentia, alij ipsum non ex essentia sed ex alia hypostasi constare dicerent, vt vtranque istorum opinionem tanquã falsam reprobarent, ambas illas voces adhibuerunt. Nam vbi declararunt sententiam suam, filiũ ex patris essentia dixerunt, ibiq; alteram illa vocẽ hypostasim non addiderunt, quæ quidem vt ad prauam opinionẽ condemnandam adhibita est, sic ad patrum sensum explicandum, essentiam solam pronũtiare satis fuit. Oportet igitur confiteri filium ὁμοούσιον, id est, eiusdem essentiæ siue consubstantialem vt scriptum est. Confiteri præterea patrẽ in propria persona, & filium in propria & in propria spũm sanctum. Quemadmodum & ipsi Patres perspicuè tradiderunt. dicentes enim lumen de lumine, satis aperte declararunt, sic aliud esse, lumen gignens, & aliud esse lumen genitum, vt vna tamen eademq; sit essentiæ ratio.

Eiusdem ex capite VI. ad Amphilochium.

NOn cum patre, inquiunt, sed post patrem est filius. Quare consentaneũ est, vt honor exhibeatur patri per ipsum nõ cum ipso. Cũ ipso enim parem dignitatem signat. Per ipsum autem oñdit ministerium. Nec verò cũ p̃re, inquiunt, & filio spiritus collocãdus est, sed post filium, & patrem constituendus, neq; cum illis sed sub illis numerandus. Istius modi verborum artificio puram fidei simplicitatem peruertunt. Quibus respondendum est, nos cùm amplitudinem naturæ vnigeniti, & dignitatis eius excellentiam contemplamur, gloriam illi simul cum patre, & vna cum patre esse testari. At cùm bonorum largitionem nobis factam, & conciliationem, atque coniunctionem nostram cum Deo cogitamus, per ipsum & in ipso nos eã gratiam assecutos confiteri.

Item contra Arianos & Eunomianos. Magni Gregorii Theologi ex oratione. I. de filio.

CVr igitur affectionibus vacat hæc generatio? Quia est incorporea. Si enim corporea affectionibus est obnoxia, incorporea immunis & libera est. At ego te vicissim interrogabo. Quõ Deus, si creatus? Nam quod creatum est, non est Deus. Vt omittam, ne hinc quidem si ratione corporea res intelligatur, affectiones abesse, qualis est cupiditas, tempus, conformatio, cura, spes, molestia, periculum, calamitas, successus, quæ quidem omnia, & his plura, vt omnibus perspicuum est, creatis hominibus accidunt, Iam illud miror, cur nõ audeas etiam coitus aliquos cogitare, & gerendi vteri tempora & abortus pericula, vt ne gignere quidem illi concedas, nisi gignat hoc modo: Aut rursum volatilium, & terrenorum, & aquatilium animantium generandi rationes enumeres, vt ad earum aliquam diuinam, quæ verbis explicari non potest, referas, & ex hac noua filium etiam eximas. An ne id quidem potes perspicere, cui ortus corporeus ab aliis diuersus sit (vbi enim in tuis istis gignendi rationibus virginem Dei genitricem inuenisti?) illi spiritualem item ortum ab aliis diuersum esse, vel potius cuius essentia ab aliis differt, eius & gignendi modum ab aliis esse differentem. Quis igitur ita pater est, vt nunquam cœperit esse pater? is, qui ita est, vt esse nunquam cœperit. Qui autem cœperunt esse, ij cœperunt etiam esse patres. Non ergo posterius pater, quia non cœpit esse. Pater autem propriè est, quia non & filius est. Quemadmodum & filius est propriè, quia non etiam pater. Quæ quidem nomina ideo propriè hominibus non conueniunt, quoniam vtraque in vnum cadunt. Neque.n. hoc magis, quàm illud congruit. Et nos à duobus non autem ab vno generati sumus, vt ad duos referri possimus, & paulatim facti homines, ac forte ne homines quidem, nec quales voluimus, ita vel dimittimus, vel dimittimur, vt nomina sola rebus orbata maneant. At verba illa, genuit, & genitus est, inquiunt, quid aliud, q̃ gignendi principium indicant? Quid si, vt ista tua curiosa & tempus aucupantia argumenta vitemus, ab initio genitus dicamus, num dicam nobis aliquam impinges quasi scripturam, & veritatẽ peruerterimus? An omnibus constat, multa, quæ ratione temporis dicuntur, inuerso & commutato temporum ordine pronuntiari? Atque ea potissimum est scripturæ consuetudo, vt non præterita solum tempora, aut præsentia, sed etiam futura commutet. Vt ibi: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Nondũ enim fremuerant. Et alibi: In flumine pertransibunt pede, id est, pertransierunt. Omitto alia loca, quæ à studiosis sunt obseruata. Longum enim esset, ea præ multitudine enumerare.

Psal. 2. Psal. 65.

Ex eadem oratione.

AT illud q̃ pugnax, atq; impudẽs est, cùm volens'ne inquiunt, an nolens filiũ genuit? Deinde cathenis validis, vt ipsi putant, sed reuera fragilibus admodum, ac putridis sic vtrinq; deuinciunt. Si nolens, inquiũt, ergo coactus, Quis autem cogat Deũ? aut quónam modo cogi possit? Sin volens voluntatis filius est filius. Qũo igitur ex patre. Atque ita nouam quandam matrem voluntatem confingunt. Ac illud quidem si ita loquantur, in primis venustum est, quod ab affectionibus recedentes confugiunt ad voluntatem. Voluntas enim non est affectio. Sed videamus, q̃ validum sit istud argumentum. Satius tamen est, vt proprius cum ipsis manum conseramus. Age igitur tu, qui quicquid vis facilè prompteq; loqueris, ex volenténe, an ex nolente patre tuo extitisti? si ex nolente, vi coactus est, & quænám ipsum vis coëgit? Neque enim naturam dices, quæ potest etiam esse casta. Sin ex volente, paucis syllabis tibi periit pater. Voluntatis enim, non autem patris demõstratus es esse filius. Verùm ad Deum, & res procreatas redeo, sapientiæq; tuæ quæstiunculam tuam accommodo. Volens'ne, an coactus condidit omnia? si coactus, etiam hic apparet allata vis. Quis autem vim attulit? sin volens, res etiam procreatæ Deo sunt exclusæ, tuq; in primis, qui tales nobis quæstiunculas vir sapiens excogitasti. voluntas enim inter nos & procreatorem tanquam murus interiectus est. Atqui nisi ebrij sumus, alium esse statuemus eum, qui vult, & voluntatem: qui generat, & generationem: qui loquitur, & locutionem. Illi enim mouentur, hæ sunt veluti motiones. Quare non est consentaneum, vt quod à voluntate prouenit, tribuatur voluntati, nec quod generatum est, generationi, nec quod auribus est perceptum pronuntiationi, sed volenti, generanti, & loquenti. Quãquam hęc præstantiori modo sunt in Deo, in quo fortasse velle gignere, est ipsum gignere, vt nihil medium sit. Verùm vt id omittamus, nunc etiam voluntate præstantior est generatio? Vis'ne vt de patre etiam ludens aliquid dicam? Abs te enim, vt hoc audeam, exemplum habeo. Volens'ne pater est Deus, an nolens? non effugies argumentum, quo tam belle vteris. Si volens, ecquando cœpit velle? Non.n. prius, q̃ esset. Neq; enim aliquid erat ante. aut certe aliud in ipso erat id, quod volebat, aliud quod à voluntate proficiscebatur. & partibus cõstabit Deus. Hoc autem pacto & ipse ex sententia tua voluntatis erit. Sin nolens, ecquis coëgit illum, vt esset? aut si coactus, quomodo Deus? &

hæc non aliud aliquid, q̃ Deus? Qũo igitur, inquit, genitus est? immo verò tu nobis dic quomodo creatus sit, siquidem, vt ais, creatus est. Et hoc enim eandem habet difficultatem. Voluntate, atque ratione forte respondebis. Sed nondum rem totam explicas. Qũo enim operis vim habuit voluntas & ratio? Amplius aliquid dicendum est, neque enim hoc pacto creatur homo. Quónam igitur modo genitus est? Ecquid magni contineret ea gignendi ratio, si tu illam intelligeres, qui ne ortus quidem tui rationem intelligis, aut si quid intelligis, id tam exiguum est, vt pudeat dicere, Et tu putas tibi omnia cognita? Multum laborabis prius, q̃ inuenias, qũo compactus, formatusq́; eis, & in lucem editus: quo vinculo corpori animus, animo mẽs, menti ratio coniungatur: Quæ sit motus, quæ incrementi, quæ concoctionis, quæ sensuum, quæ memoriæ, quæ recordationis ratio, quæ item aliarum rerum ex quibus constas. Quænám ex illis animo corporiq́; cões sint, quæ propriæ, quæ vicissim mutuatæ. Nam ea quoq;, quæ posterius perficiuntur, ad generationem referenda sunt. Hæc mihi explica, & cùm id feceris, ne tunc quidem audeas de generatione Dei disputare. Neque.n. tutum est. Nam licet tuam intelligeres, non tñ diuinam perciperes. Quòd si ne tuam quidem cognitam habes, qũo illam comprehendes? Quãto enim difficilius est, Deum, q̃ hominem cognoscere, tanto generatione tua Dei generatio cognitu difficilior est. Quòd si, quia abs te non comprehenditur, ideo ne genitũ quidem esse vis multa tibi ex rerum vniuersitate delere iã licet, quæ non intelligis, in primisq́; Deum ipsum. Neq;.n. dicere potes, quid Deus sit, licet ingenio tuo valde confidas, tibiq́; in superuacaneis istis quæstiunculis multum arroges. Volubilitatem verborum, & istis diuidendi, partiendiq́; argutius omittens desine rationes corporeas in naturam illam corporis expertem conferre, atque ita fortasse Dei generatione dignum aliquid cogitabis.

Ex eadem oratione.

Dei generatio silentio colatur. Præclarè tecum esse actum puta, q̧ genitum esse didiceris. Qũo autem ne Angeli quidem cogitare possunt, ne dum tu valeas intelligere. Vis ostendam tibi, qũo genitus sit? eo mõ, quo genitor nouit, & ipse, qui genitus est filius. Quod his sublimius est, id nube abscondítũ cæcutientes mentis tuæ oculos perstringit. Existentem igitur, an non existentem genuit? omittantur istiusmodi nugæ, q̃ in me, & in te quidẽ cadunt, qui partim sumus, vt in lũbis Abrahæ Leui, partim generamur, vt ex existentibus & non existentibus quodãmodo generatio nostra rõne quadam contraria, propter materiam primam, licet hanc quidem ingenitam fingant, consistens, ex non existentibus planè sit. Hic verò pariter & ab initio concurrunt esse & generari, vt ancipiti interrogatiunculæ tuę nullus relinquatur locus. Quid.n. antiquius eo, quod est ab initio? Quare tibi filium aliquando vel existentem, vel non existentem genitum dabimus, (vtroq;.n. modo tollitur quod est ab initio) nisi eadem conditione pater rursum tibi, interrogantibus nobis vtrum ex existentibus, an ex non existentibus sit, periculum adeat, ne aut bis sit, nempe qui ante existit, & qui est, aut idem ei, quod filio, ludicris istis interrogatiunculis tuis, quę tanq̃ ædificia in arena constructa ne auræ quidẽ flatum sustinere queũt, contingat nimirum vt ex non existentibus sit? Ego igitur neutrum horum admittendum censeo, & quæstiunculam tuam non dubiam, aut difficilem, cui respondeatur, sed planè absurdam esse affirmo. Quòd si tibi ex dialecticis p̃ceptis videtur, in omnibus eiusmodi disiũctionibus, alterutrum necessario verum esse, ad hanc quæso mihi paruam responde. Est'ne tempus in tempore, an non? si in tempore, quónam in tempore? Quod'nam aliam est tempus? aut qũo tempus hoc, illo tempore continetur? Si verò nõ in tempore, quæ inanis isthæc est sapientia, quæ tẽpus sine tempore statuit? Vtrum horum falsum esse dicam? Da alterum aut verum esse solum, aut falsum. Vtrunque enim non concedemus. Sed neutrum contigit esse verum, alioqui vel vera dicens mentietur, vel mentiens vera dicet necessario. Quid igitur mirum, si quemadmodum hic, sic etiam illic, vtraque contraria sint falsa? atque ita sapientia ista tua stulta deprehendatur? Vnum hunc mihi præterea scrupum exime. Tu cùm generabaris aderas'ne, an non aderas? & nunc ades'ne, an non? si.n. aderas, atque ades, vt quis, & cui? & qũo vnus in duos euasisti? sin eorum, q̃ dicta sunt, neutrum est verum, qũo à temetipso seiungeris, & quæ'nam istius est causa seiunctionis? At ineruditum est, inquies, de vno curiosius inquirere, vtrũ sibi ipse adsit, necne. Hæc enim quæstio in aliis rebus, non in vna eadẽq́; re locum habet. Multo illud scito esse ineruditius, quærere vtrum id, quod ab initio est genitum, esset ante, q̃ generaretur, necne. Hæc enim, quæstio in ea solũ, quæ in tempore sunt, cadit.

Ex eadem oratione.

At non est idem, inquiunt, ingenitum & genitum, quare ne filius quidẽ est idem, quod pater. Hac ratione vel filio, vel patri Diuinitatem adimi tam perspicuũ est, vt pluribus explicari non sit necesse. Nam ingenitum essentia est, genitũ non est essentia, & contra. Quid enim opponi potest? Quando igitur nihil aliud studes, ò vane Theologe, nisi vt impius sis, vtrã vis impietatẽ elige. Præterea quid est, quamobrem neges, ingenitum, & genitum idem esse. Si enim dixeris idem non esse quod creatũ non est, & quod creatum est, ego quoque probabo sententiam tuam. neque enim idem est quod principio caret, & quod est creatum. At idem esse id, quod genuit, & id quod genitum est, negari nõ potest. Idem enim planè sunt necessario. Nam geniti & genitoris natura, quantum ad ipsam naturam pertinet, eadem est. Ad hæc quomodo ingenitũ, & genitũ ĩtelligis? si.n. his verbis nõ gigni, & gigni accipis, non idem sunt. Sin ea, quibus hæc insunt, quid prohibet, quominus idẽ sint? cùm & insipiens & sapiens, quæ inter se collata idem non sunt, in eodem tamen, nempe in homine sint, nec essentiam, diuidant, sed ipsa circa essentiam diuidantur. Num & immortale, & innocens, & immutabile Dei essentiam dices? At hoc modo nõ vnam habebit essentiam Deus, sed multas. Aut his erit compositum. Neque enim si essentiæ sunt, sine compositione simul esse queunt. Verùm hæc isti, quoniam & aliorum communia sunt, essentias esse nolunt. Ingenitum autem quia solius Dei proprium est, essentiam eius esse contendunt. Illi tamen (vt Manichæorum tenebras procul abiiciamus) qui materiã & formam ingenitas asserunt, solius Dei ingenitũ esse non concederent. Sed esto solius Dei. Quid Adam nónne solus à Deo formatus est? sanè, inquies, solus. Num ideo solus homo? nequaquam. Quid ita? Quia formatio non erat humanitas. Nã & qui postea generati sunt, homines fuerunt. Sic & ingenitum solùm non est Deus licet solius sit patris. Sed quãuis ingeniti studiosissimus sis, admitte & genitum, esse Deum, quando quidem ex Deo est. Iã quomodo Dei essentiam statues ex eo, quod non quid Deus sit, affert, sed quod ille non sit, adimit? Nam oratio, quæ illum esse genitum negat, non quid ipse natura sit, ostendit, nec quid sit illud,

lud, quod est ingenitum. Quid igitur est, inquies, essentia Dei? hoc tuæ dementiæ est dicere, qui generationem etiã illius tam curiosè perquiris: Nobis autem satis est, si post, vt pollicetur is, qui non mentitur, obscura, & crassa hac caligine discussa, id cognouerimus, Hoc igitur & cogitent et sperent ii, qui ea cupiditate incensi purgare se studẽt. Nos illud tantùm audebimus dicere, si magnum est patri, non aliunde existere, æquæ magnum esse filio, existere ex tali patre. Quicquid enim gloriæ pater habet propterea ꝙ ex nullo dependet principio, id etiam filius habet, quoniam ex tali est patre genitus. Accedit nascendi ratio, res tanta, tamq; admiranda iis, qui non humi planè repunt, nec mentem in caducis istis rebus depressam detinent. At enim, inquiunt, si essentia idem est cum patre filius, cùm pater ingenitus sit, & filius erit ingenitus. Belle, siquidẽ essentia Dei est ingenitum, vt noua quædam mixtio fiat, & ingenito genitura appelletur, sin ea vox in eadem essentia personæ differentiam significat, cur ista argutia tanquàm valido veteris argumento? Num & tu quoniam idem essentia es cum patre tuo pater illius es, adeò, vt nihil ab eo differas? Nónne igitur constat, si volumus inuestigare, quid sit essentia Dei, id proprietate immobili permanente quæri oportere. Verùm non idem esse ingenitum, & essentiam sic intelliges. Si idem esset, quoniam Deus aliquorũ est Deus, & ingenitum aliquorum esse ingenitum oportebat. Aut cõtrà, quoniam ingenitum nullius est, Deum item nullius esse. Quæ enim idem omnino sunt, eodẽ etiam modo pronuntiantur. At cùm ingenitum non sit vllius, Deus autem aliquorum immò verò omnium sit Deus, qui fieri potest, vt idem sit Deus, & ingenitum? Præterea cùm ingenitum, & genitum vicissim opponantur, vt habitus, & priuatio, necesse erit & essentias vt contrarias opponi, quod non conceditur. Aut quoniam habitus priuatione prior est, argumentationibus tuis eueniet, non solùm, vt essentia filii patris essentia sit antiquior, verum etiam vt auferatur à patre.

Ex eadem oratione.

HAbent ne præterea rationem aliquam ex iis quas putant inexpugnabiles? Ad illam forte tanquàm ad extremum præsidium confugient, vt dicant: si non desiit generare Deus, imperfecta est generatio, & quando desinet generare? sin desiit, profectò etiam cœpit. Rursum homines corpori dediti, quæ corporea sunt, afferunt. Ego autem, vtrum filio sit proprium, vt perpetuò generetur, non prius explicandum existimo, ꝗ verba illa: Ante omnes colles generat me, accuratius expendero. Attamen non video quid necessarium afferat hæc argumentatio. si enim, vt isti volunt, cœpit, quod finem est habiturum. Quod finẽ habiturum non est, nunquàm cœpit. Quid igitur de anima, aut de natura Angelica respondebunt? Num si esse cœperunt, desituras etiam dicent, si non desinent, ne cœpisse quidem vnquàm? Atqui & cœperunt esse, & nunquàm desinent. Num igitur, vt ipsi sentiunt, verum est, quicquid initium habet, id finem etiam habiturum?

Ex eadem oratione.

NOs autem ita sentimus, sicut equi, & bouis, & hominis, & cuiusq; generis animalium vna ratio est, quã quæ sortita sunt, inde nomen etiam propriè sumũt, quæ verò illam sortita non sunt, ea nomen aut nullum inde habent, aut certè proprium non habent, sic & Dei vnam essentiam, & naturam, ac nomen esse, quamuis pro diuersa ipsius essentiæ, naturæq; consideratione variis item nominibus appelletur, & quod proprie vocatur Deus, id etiam esse verè Deum. Et quod natura Deus sit, id quoq; Deum vere nominari. Quandoquidem nõ in verbis, sed in rebus ipsius veritas nobis consistit. At isti veriti, ne videantur, nõ omnia contra veritatem tentasse, vbi rationibus, & scripturæ testimoniis se vrgeri senserint, Deum quidem filium eẽ confitentur, sed ambiguè tamen, vt nomen duntaxat commune habeat. Nobis autem contra nitentibus, atque ita interrogantibus: Quid? ergo filius non est propriè Deus? Quemadmodum & pictum animal nõ est propriè animal? Quonam modo Deus est, si non est propriè Deus? Quid, inquiunt, prohibet, & nomen hoc ambiguum esse, & propriè tamen duobus tribui? Et adducent nobis canem terrestrem, & canem marinum, qui cùm eodem nomine vocentur, propriè tamen vterque appellatur canis. Et si qua sunt præterea, quorum commune sit nomen, & cum diuersa natura sint, eandem tamen pariter habeant appellationem. At hic, ò vir optime, sub vna appellatione duas naturas ita constituis, vt earum neutram altera præstantiorem, aut priorem esse dicas, aut quæ magis, aut minus, quàm altera sit id, quod dicitur. Nihil enim habent coniunctum, quod hanc afferat necessitatem. Nec ille canis magis canis est, ꝗ hic, hic autem minus, ꝗ ille. vt marinus, quàm terrestris, aut terrestris, quàm marinus. Quod minimè mirum est, cum rebus paribus inter se, atque eiusdem pretii communitas nominis tribuatur. At hic cùm Deum eẽ statuas, qui adorandus est, quiq; omni essentiæ, atque naturæ antecellit, id quod est solius Dei, & tãquàm natura Diuinitatis, hæc ita patri tribuis, vt adimas filio, eiq; vt ordine inferiori collocato partes honoris & adorationis secundas deferas, verbisq; tantùm similitudinem assignes, re autem Diuinitatem auferas, & eadem appellatione speciem æqualitatis præferente callidè detrudas ipsum ad inequalitatem, vt homo pictus, & viuus, & canes, quorum exemplum adduxisti, ad Diuinitatis naturam exprimendam magis accedere videantur. Aut vtriq;, sicut commune nomen tribuisti, sic etiam naturas æquales, licet diuersæ sint, concede, aut canes tuos, quorum exemplum, vt inæqualitatem probares, excogitaueras, dissoluisti. Quid enim confert nominis similitudo, si res abs te diuisæ parem obtineant honoris gradum? non enim vt ęquales, sed vt inæquales ostenderes, eã nominis similitudinem inueniens ad canes tuos confugisti. Quónam igitur pacto magis possit aliquis argui, & secum & cum ipsa Diuinitate pugnare?

Ex eadem oratione.

IAm si nobis dicentibus, patrem, vti causam, maiorem esse, ꝗ filium, isti propositionem hanc sic assumant causam natura maiorem esse, deinde concludant patrem natura esse maiorem, haud facilè dixerim, vtrum se ipsi prius, an eos, qui cũ ipsis disputant, fallant. Non enim quæ de aliquo dicuntur, ea simpliciter de illo quoque, quod ei subiectum est, dicentur. Sed apparet, quid de quoque dicatur. Alioquin quid prohibet, quia ego item, si proposuero ad hunc modum: Pater est natura maior, deinde sic assumpsero, quod natura est, non omnino maius est, aut non est pater, tum colligam, quod est maius, non omnino maius est, aut nõ est pater? Aut, si placet, hoc modo: Deus essentia est, essentia autem nõ omnino Deus, tu quod sequitur collige, nempe Deus nõ omnino Deus. Sed fallacia in eo, vt opinor consistit, quod ea, quæ aliquo modo dicunt, simpliciter accipiunt, id quod callidæ istius artis studiosis est

familiare.Etenim cùm ad causæ naturã maius referamus, ipsi natura maius inducunt. Vt si nos aliquem hominem mortuum diceremus,ipsi hominem simpliciter acciperẽt.

Ex eadem oratione.

ILlud autem quomodo prætermittemus, quod nihilo minus,quàm ea,quæ dicta sunt, admiratione dignum est?Quærunt igitur,vtrum nomen hoc,pater, essentiã, an actionem significet,vt nos laqueis suis vtrinque obstrictos teneant.Si enim essentiam responderimus, colligent, filium esse alterius essentiæ.Vnam enim eẽ Dei essentiam, quam pater occuparit.sin actionem,dicent, nos filium nõ genitum,sed factum esse confiteri.Vbi enim est, qui facit, ibi prorsus esse & id quod fit.Mirari enim se, qui fieri possit,vt idem sit effector,& ipsum opus.Vehemẽter ipse quoque diuisionem istam veritus essem,si necesse foret, alterũ è duobus accipere, sed verius est, vtrunque vitantem tertium ita constituere,vt nomen hoc pater, ò viri sapientissimi,nec essentiam, nec actionem, sed habitum significet, quo pater ad filium,aut filius ad patrem referatur.Vt enim apud nos voces hæ germanam, & domesticam quandam necessitudinem indicant, ita illic naturalem genitoris, & geniti coniunctionem declarant. Sed demus id vobis, vt pater essentia quædam sit,si communem sensum,& verborum vim consideremus,alliciet ad se filium, non autem illum à se abalienabit.significet etiam,si videtur,actionem. Ne sic quidem viceritis,id ipsum enim,quod aget,erit eiusdem essentiæ,quanq̃ est absurda actionis circa id cogitatio.Videtis,quomodo licet vafrè nobiscum pugnetis, tamen captionum vestrarum laqueos euitemus?

Ex eadem oratione.

VErùm quoniam inexpugnabile vestrũ in argumentis captionibusq; conficiendis robur, experti sumus agè vim etiam vestram in scripturæ diuinæ testimoniis adducẽdis videamus,quandò nobis hoc etiam pacto conamini psuadere.Nos enim magnis excelsisq; vocibus filii Diuinitatem percepimus, & prædicamus. Quænam sunt hæ?Illæ nimirum: Deus. Verbum.in principio. Cum
Ioan. 1. principio.In principio,inquit,erat Verbum,& Verbũ erat apud Deum,& Deus erat Verbum.Et, Tecum principiũ.
Psal. 109 Et,vocans ipsum principium á generationibus. Quoniam filius vnigenitus.Vnigenitus filius,qui est in sinu patris,ipse
Ioan. 1. enarrauit.Via,Veritas,Vita,Lux. Ego sum, inquit,via,
Ioan. 14. veritas, & vita. Et, ego sum lux mundi sapientia, Virtus.
Ioan. 15. Christus Dei Virtus,& sapientia.Splendor,figura,Imago,
1.Co. 1. signum.Qui cùm sit,inquit,splendor gloriæ,& figura sub-
Heb. 1. stantiæ eius.Et,imago bonitatis. Et hunc signauit Deus.
Iob 6. Et Dominus,Rex,Qui est omnipotens.Pluit,inquit, Do-
Gen 19. minus ignem à Domino.Et,Virga directionis,virga regni
Psal. 44. tui.Et,qui est,qui erat,& qui venturus est,& omnipotens.
Apo. 1. Hæc & alia eiusmodi dicũtur de filio,quorum nihil est aduentitium,nihil posterius adiunctum filio,aut spiritui,magis,q̃ ipsi patri.Quod enim perfectum est, accesione non constat.Nunquàm enim fuit sine Verbo. Nunquàm fuit, cùm non esset pater.Nunq̃ fuit,cùm non esset verus,& sapiens,& potens,aut cùm vita,aut splendore, aut bonitate indigeret.Tu autem mihi enumera imperitiæ tuæ verba. Nempe Deum meum,& Deum vestrum. Maior creauit. Fecit.Sanctificauit.Adde si vis, & illa: seruus. Obediens. Dedit.Didicit.Mandatum est.Missus est.Non posse quicquàm à se facere,aut dicere,aut iudicare,aut largiri,aut vel le.Ad hæc,ignorantiam,subiectionem,precationem, interrogationem,incrementum, perfectionem. His adiunge,si placet,& illa magis abiecta:Dormire,Esurire, sitire, Fessum esse,Lachrymare,Angi,succumbere. Obiicies tu forsitan & crucem, & mortem. Nam resurrectionem, & Ascensum in cœlum,quoniam pro nobis etiam faciunt, videris facilè prætermissurus. Multa præterea congeres, vt Deum istum tuum nomine tantum Deum,& ascriptitium constituas. Nobis autem verus est Deus,& eiusdem cum patre dignitatis.Nec difficile erit, ea sigillatim repetendo sic explicare,vt verus,& pius eorũ sensus appareat, tibiq;, siquis forte scrupulus ex verbis istis iniectus est, ac non vltrò peruersè agis,omnem dubitationem adimere. Atque adeò vt paucissimis rem expediam, quæ sublimiora sunt, Diuinitati affectionibus & corpore præstantiori tribue. Quæ verò sunt humiliora,composito ascribe, qui propter te se exinaniuit,& carnem induit,&, ne quid abiectius dicam,factus est homo,Deinde ad maximam prouectus est dignitatem,vt ipse quoque opinionibus istis tuis, quæ carnem sapiunt,& humi depressæ sunt,abiectis, discas esse sublimior,& ad Diuinitatẽ aspirare, nec in iis, quæ sensibus exposita sunt,maneas,sed ad ea,quæ mente percipiuntur, contendas,cognoscasq;,quæ naturæ sit lex,quę diuini con 2.Co
filii pro redimendis hominibus ratio.Is enim, quem nunc Act.
despicis,iam & supra te erat.Qui nunc est homo, iam erat Psal.
simplex.Quod erat,mansit.Quod autem non erat, assumpsit.In principio erat,sine causa. Quæ enim Dei causa sit? Post autem & propter causam factus est. Causa nimirum illa fuit,vt tibi conuitiatori salutem afferret, qui Diuinitatem iccircò despicis,& aspernaris, quia propter te corporis crassitudinem assumpsit, & mentis quasi quodam vin- Matt
culo intercedente in carne versatus est,& factus est homo in terris Deus, posteaquám cum Deo coniunctus est, parte vtique præstantiore superante, vt quantum ille est homo,tantum ego sim Deus.

Eiusdem in eosdem.Ex.i i.oratione de filio.

VNum quidem & illud est, quod isti valde promptũ habent.Dominus creauit me initium viarum suarũ Pro.
ad opera sua. Ad hoc quònam modo respondebimus?Accusabimus ne solomonem, & propterea q̃ postremò lapsus est,res etiam ipsius ante gestas improbabimus? An dicemus sermonem hunc sapientiæ tribui,quę sit,scientia,& artifex quædam ratio,qua res omnes cõstitutæ sunt? solet enim sæpe scriptura mutis etiam rebus loquentis personam imponere.Cujusmodi illud est. Mare dixit hæc, &
hæc.Et Abyssus dixit,non est in me. Et cum cœlos intro- Iob
ducit enarrantes gloriam Dei.Aut cùm Frameæ quiddam Psal.
imperatur.Aut cùm montes,& colles,cur exultarint, inter Psal.
rogantur.Horum nos nihil dicimus, licet à quibusdam è maioribus nostris,vt firma argumenta posita sint. Esto igitur per nos ipsius seruatoris,& veræ sapientiæ oratio. Sed parumper consideremus. Quanam est res, cuius nulla sit causa?ipsa Diuinitas.Nullus enim causam,qua Deus est,afferet,aut si afferet,ea Deo erit antiquior. Quæ autem humanitatis,quam ꝑpter nos Deus assumpsit, causa? nónne ea planè,vt nos seruaret?Quæ enim alia pót afferri? Quoniam igitur hic & creauit,& generat,apertè posita reperimus,facilis responsio est. Quod habere causam inuenerimus,ad humanitatem referamus.Quod autem simplex,& sine causa,id tribuamus Diuinitati. Num igitur, creauit,ita dictum est, vt causa adsit?Creauit me,inquit,initium viarũ Psal.
suarum ad opera sua. Opera autem manuum eius veritas
& iudicium.Quorum causa Diuinitate vnctus est. Vnctio Psal.

enim ad humanitatem pertinet. At illud, Generat me, nullam habet causam adiunctam. aut tu mihi illam ostende. Quid igitur prohibet, sapientiam & creatam dici, si ortum humanum consideres. Et genitam, si primum illum, qui comprehendi multo minus potest? Huc & illud spectat, quod seruus vocatur, bene seruiens multis. Atq; illud, Magnum illi esse, quod vocetur filius Dei. Verè enim carnē assumēs, nascens, affectiones nostras subiens, vt nos liberi essemus, ipse seruiuit, seruiuit omnibus, quos peccati seruitute oppressos in libertatem vindicauit. Quid autem hominis humilitati potuit maius contingere, quàm vt Deo cōiungeretur, & ex ea coniunctione fieret Deus, & ortu ex alto sic visitari, vt quod natum esset sanctum filius altissimi vocaretur, & daretur illi nomen, quod est super omne nomen, quod nihil aliud est, nisi Deus, & illi pro nobis exinanito, & qui diuinam imaginem cum serui forma coniunxerat, omne genu flecteretur, eumq; domus omnis Israelis Dominum, & Christum à Deo factum esse cognosceret? Hæc enim omnia tum opera geniti, tū voluntate genitoris facta sunt. Secundo loco vt maximum, & inuictum obiiciunt illud, quod scriptum est, oportere ipsum regnare vsq; adhuc. Et
1.Co. 15 à cœlo suscipi vsq; ad temporum restitutionem, & habere
Act. 3. solium à dextris Dei, donec inimicos superet. Quid tum?
Psal. 109 Regnum ne deseret, aut cœlos derelinquet? Quónam impellente? aut quam ob causam? Quam audax interpres es tu, quàm liber, & vagus, qui non audias regni eius non esse finem. Verùm id tibi accidit, quoniam ignoras, eas voces donec, & vsq;, non diuidere præteritum à futuro, sed illuc vsq; significare, quid autē postea sit, non constituere. Alio
Matt. 28. quin vt alia taceam, quomodo intelliges illud: ero vobiscū vsq; ad consumationem seculi? An postea non esse futurū dices? Atq; hæc quidem est vna ratio, sed nō sola. Id enim tibi præterea contingit, quia nō distinguis significationes. Nam regnare dicitur, tum vt omnipotens, & volentium, ac nolentium Rex, tum vt qui nos regno suo subiicit, & subditione sua constituit volentes, & imperium eius vltro suscipientes. si priore modo regnum intelligas, eius nō erit finis. Sin posteriore, ecquis alius finis erit, nisi vt nos manu subiectos & seruatos sua suscipiat? Quid enim attinet eos subiicere, qui subiecti sunt? Tunc ergo cōsurget orbem iudicaturus, & seruatos à perditis separaturus, vt in medio Deorum cōsistat, quos ipse seruauit, & decernat, atq; constituat, quo quisq; honore, mansioneq; dignus sit. Huic subiectioni & illam subnecte, inquis, qua filius subiiciatur patri. Quid ais? Quasi nunc ei subiectus nō sit? aut subiici Deū oporteat Deo? Tu quidem de filio, tanquam de latrone, aut hoste aliquo Dei verba facis. Rem potius ita considera. Sicut ipse meam execrationem soluens dictus est execratio, & peccatum is, qui sustulit mundi peccatum, & pro veteri factus est nouus Adam, sic & contumaciam meam, vt totius corporis caput suam facit, quandiu ergo contumax ego, & seditiosus, & non subiectus Deo, quia non illi, sed meis cupiditatibus seruio, tandiu propter me Christus nōdum subiectus dicitur. At cum illi subiecta fuerint omnia (subiicientur autem cognitione, & commutatione) tunc & ipse subiectionem expleuerit, me seruatum adducens. Nihil. n. aliud est, vt ego quidem sentio hæc subiectio, nisi expletio paternæ voluntatis. Subiiciet autem & filius patri, & pater filio, ille quidem agens, hic autem probans, vt ante dicebamus. Ita subiectum Deo subiicit, qui quod nostrum est, suum facit. Eiusmodi mihi videtur etiam illud: Deus Deus
Psal. 21. meus respice me, quare me dereliquisti? Non enim, vt quibusdam videtur, derelictus est aut à patre, aut à Diuinitate sua, quæ quasi cruciatum timens ab eo, qui cruciabatur, recessisset. Quis enim ipsum aut initio nasci, aut in crucem ascendere coēgerat? Sed in se, quemadmodū dixi, nostras affectiones expressit. Nos enim ante despecti, ac derelicti eramus, Nunc autem illius, qui nullis affectionibus obnoxius est, cruciatu, & morte, accepti, seruatiq; sumus. Sic & insipientiam, & peccatum nostrum assumens ea loquitur, quæ deinceps in eo Psalmo consequuntur, totus enim vigesimus ille primus Psalmus ad Christum refertur. Eodē spectant & illa: Ipsum ex iis, quæ passus est, obedientiam didicisse, & clamor, & lachrymæ, & supplicare, & exaudiri, & Heb. 5.
reuerentia, quæ ille pro nobis in persona sua mirabiliter expressit, atque sustinuit. Nam & Verbum nec obediēs, neq; non obediens fuit. Hæc enim ad eos, qui subiecti sunt, pertinent, illud ad bonos, & beneuolentia dignos, hoc ad malos, & plectendos supplicio. Vt serui autem forma se cōseruis, & seruis accommodat, & in se transfert aliena, me totum cum omnibus affectionibus meis ipse gerens, vt in se ipso tanquàm cerā ignis, aut terræ vaporem sol consumat id, quod deterius est, vtq; ego per eiusmodi coniunctionē eorum, quæ ipsius sunt, particeps fiam. Iccircò factis obedientiam præstat, & illam comprobat patiendo. Neque. n. animi propositum satis est, quemadmodum ne apud nos quidē, nisi rebus ipsis declaretur, Opus enim indicat, quomodo affectus sit animus. Nec minus fortasse probandus est ille sensus, si intelligamus ipsum obedientiam nostram explorare & omnia humanitatis artificio propriis molestiis dimetiri, vt ex suis nostra cognoscat, & quantum à nobis exigere, & quantum nobis condonare conueniat, habita tum patiendi, tum imbecillitatis ratione. Et paulo post. Illud præterea, quod modo mihi venit in mentem iis, quæ dicta sunt, addam: In quo ipse passus est, se tentari, potest & iis, qui tentantur, opitulari. Hoc enim ad eandem senten- Heb. 5.
tiam pertinet.

Ex eadem oratione.

AT instaurationis tēpore Deus erit in omnia in omnibus. Non pater omnino filio in ipsum ita resoluto, vt si fax in magnum rogū, ex quo fuisset ad tempus exempta, rursum coniiceretur, ne Sabellii hoc dicto corrūpantur, sed totus Deus. cū nō amplius, vt nūc in multas partes distracti erimus, animiq; motibus & perturbationibus obnoxii, & Dei vel nihil vel per quàm exiguū in nobis gerentes, sed Deo planè similes, & Deum totum, & solum capientes. Hæc enim est illa perfectio, ad quam cōtendimus. Hoc autem Paulus ipse maximè confirmat. Quod enim hic de Deo dicit indefinitè, alibi planè & definitè affirmat de Christo, Vbi, inquiens non est Iudæus, neq; Græ Col. 3.
cus, circuncisio, & præputium, barbarus, scytha, seruus, liber, sed omnia, & in omnibus Christus. Tertiū Maius enumera. Quartum adiunge. Deum meum & Deum vestrum. Si maior tantum, non autem, & æqualis diceretur, forte id, quod loquūtur, esset aliquid. Sin apertè vtrūq; reperimus, quid dicet homines, generosi? Quid firmi habebit eorum ratio? Quomodo quæ simul esse non possunt, vnquàm conuenient. Idem cum eodem comparatum & maius, & æquale esse non potest. Nonne igitur perspicuum est, maius ad causam, æquale ad naturam referri? Id facile, & libenter confitemur. At alius quispiam rationi nostræ repugnās forte dixerit, eo, quod sine causa est, non esse minus id, quod ex illo tali nimirum causa est. Quam enim gloriam habet id, quod principium non habet eam obtinet & ipsum, quoniam ex illo nullum habente principium est. Accedit & generatio res tanta, tamq; veneranda, illis quidem, qui men-

te sunt præditi. Nam filio quatenus homo est, maiorē esse patrem, verum vtiq; est, non tamen magnum. Quid enim mirum, si Deus homine maior existat? Hæc satis sint aduersus eos, qui ex illa voce, Maior, argumenta colligentes sese iactitant. Deus verò non Verbi dicetur, sed eius, quod cernitur. Quomodo enim propriè sit Dei Deus? Pater contrà nō eius, quod cernitur, dicetur, sed Verbi. Dupliciter enim consideratur, nempe vt Deus, & pater, vt vtraq; de illo vicissim tum propriè, tum impropriè, contraria quidem ratione, quàm de nobis dicātur. Nā propriè noster est Deus, non propriè autem pater. Quæ quidem nominum implicatio, quoniam propter duplicis naturæ coniunctionem immutantur, Hæreticis præbent errandi occasionem. Cuius sanè rei illud indicium est, quòd cùm ipsæ naturæ notionibus distant, nomina etiam distinguuntur. Audi Paulum loquentem: Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ; Christi quidem Deus, pater autem gloriæ. Licet enim vtrunque sit vnum, non natura tamen, sed coniunctione. Quid his fieri clarius, & apertius potest?

Quintum dicatur, nempe ipsum accipere vitam, aut iudicium, aut hæreditatem gentium, aut potestatem omnis carnis, aut gloriam, aut discipulos, & siquid aliud dicitur accipere. Hæc item ad humanitatem referuntur. Quæ si Deo tribueris, non absurdè admodum feceris. non enim vt aduentitia tribues, sed vt ea, quæ naturæ, non gratiæ ratione illi adsunt ab initio. Sextum apponatur, non posse filium à se ipso quicquàm facere, nisi patrem viderit facientem. Aliquem posse, aut non posse, non vno, sed pluribus modis dicimus. Vel quia facultas desit, si vel tēpus, vel aliquid aliud spectes, vt non posse puerum certare, aut catulum cernere, aut cum hoc non posse pugnare. Certabit enim aliquando fortasse, & cernet, & cum alio pugnabit, qui cum hoc non potest. Vel quod plerunque ita sit, vt illud: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Atqui si maior aliqua ciuitas obstet, forsitan abscondetur. Vel quia non deceat, aut consentaneum sit, vt illud: Non possunt filii sponsi ieiunare, quandiu sponsus adest; siue corpore videatur, (nam illius tempus peregrinationis non mœroris, sed lætitiæ erat) siue vt Verbū intelligatur. Quid enim oportet eos corpore ieiunare, qui verbo purgantur. Vel quod nolis, vt illud: non posse illic signa facere propter accipientium incredulitatē. Ad curandum enim duo erant necessaria, & eorum, qui curabātur fides, & facultas medici. Quorum cùm vnum deficeret, alterum non habebat locum. Quanq̃ & hoc ad decorum referri potest, neq; enim decebat, vt qui in credulitatis morbo laborabant, curarentur. Eodem & illud spectat: Non potest mundus odisse vos. Et illud: Quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? cur. n. hæc fieri non possunt, nisi quia voluntas deest? Est etiam aliquid eiusmodi in illis verbis. Quod natura fieri nequit, id Deo volente fieri posse, vt non posse aliquem iterum nasci, & acus foramen camelum non capere. Quid enim vetet hæc fieri, si Deus velit? Ad hos omnes modos, quibus, dicimus aliquid non posse fieri, accedit & ille, quem nunc inquirimus, quo aliquid omnino fieri, & admitti non potest, vt si dicamus non posse fieri, vt Deus malus sit, aut vt non sit. (Hoc enim fieri posse Dei potius impotentiam, q̃ potentiam declararet) aut vt id quod est, non sit. Aut vt bis duo, & quatuor sint, & decem. Hac ratione nec fieri potest, nec concedendum est, vt filius aliquid faciat eorum, quæ non facit pater. Omnia enim quæ pater habet, filii sunt. Et rursum quæ sunt filii, sunt etiam patris. Nihil ergo proprium, cùm omnia sint communia. Quandò & ipsum esse commune illis, & æquale est, licet filius habeat illud à patre. Quò pertinet illud: Ego viuo propter patrem, non quòd illi ex eo, vt hominibus, viuere & esse depēdeat, sed quòd ab eo sit sine tempore, & causa. Sed videt ne patrem facientem, vt eodem modo & ipse faciat? instar eorū, qui pingunt, aut exscribunt aliquid, cùm aliter nequeant assequi veritatem, nisi exemplar intueantur, & eo duce manus dirigant suas? Qui fieri potest, vt magistro egeat sapientia, aut nihil vt faciat, nisi doceatur? Quid? quónam modo facit, aut fecit pater? Num pro mundo hoc mūdum alium constituit Deus, aliumq; futurum constituet, quo filius illos intuens & hunc prius, & mox alium constitueret, atque ita mundi quatuor existerent, duo patris, & duo filii opera conditi? O absurdas ineptias. Quid cùm lepras purgat, Dæmones, & morbos expellit, mortuos in vitam reuocat, incedit super mari, & alia facit, quæcunque fecit, quem imitatur? aut quando patrem illa facientem vidit? An perspicuum est, patrem ipsarum quidem rerum formulas præscribere, Verbum autem non vt seruum, aut imperitum, sed vt peritum, & dominum, & (quo magis ꝓpriè loquar) vt patrem exequi? sic enim ego intelligo, quæ à patre fiunt, ea similiter & filium facere, vt his verbis non rerum quæ fiunt, similitudo, sed eadem potestas, & dignitas indicetur. Huc illud item spectabit, ad hoc vsque tempus & patrem, & filium operari. Quod tamen non id solùm significat, verùm etiam eorum, quæ fecerunt moderationem, & conseruationem. Vt indicant illa verba: Facere Angelos spiritus suos. Et, Fundare terram super stabilitatem ipsius, cùm semel & hæc fundata, & illi facti fuerint. Et formari tonitrum, & creari spiritum, quorū ratio cùm semel extiterit, continua tamen nunc etiam permanet.

Matt. 5. / Matth. 9. / Ioan. 7. / Ioan.

Ex eadem oratione.

Septimum dicatur: Descēdisse de cœlo filium, non vt faceret voluntatem suam, sed eius, à quo missus fuerat. Si verba hæc non ab illo, qui venerat, pronuntiarētur, possemus dicere, sermonem hunc vt ab homine proferri, nō quatenus seruator est, nam hoc quidem modo voluntas eius, non est Deo contraria, cùm diuina effecta sit tota, sed quatenus vnus è nobis est, quorum voluntas non omnino diuinam sequitur voluntatem, sed illi sæpe repugnat, & nititur in contrarium. sic enim & illud intelleximus: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Verum tamen non vt ego volo, sed tua voluntas valeat. Neque enim consentaneum est, illum ignorasse, vtrum id fieri posset, nec ne, neque volūtati diuinæ suam opposuisse. Sed quoniam ea verba non naturæ assumptæ sunt, sed eius, qui illam assumpserat, id quod verbum illud, Descendisse satis declarat, ita respondebimus, præter patris voluntatem nullam esse filio propriam voluntatem, vt propterea ipse dicat, descendi, non vt faciam voluntatem meam, nulla enim mea est seiuncta voluntas à tua, sed communis est mea, atque tua, quorum vt Diuinitas, sic & voluntas est vna. Multa enim hoc modo communiter dicuntur, non vt affirment, sed vt negent, vt illud: Non enim ad mensuram Deus spiritum dat. Nam neque dat, neque ad mēsuram dat. Neque enim Deus à Deo ad mensuram datur. Vt illud item: Neque peccatum meum, neque iniquitas mea. Dictum enim est, non quòd ita sit, sed quòd non sit. Vt illud præterea: Non propter iustitias nostras, quas fecimus. Non enim fecimus. Porrò sic rem habere colligitur ex verbis, quæ deinceps sequuntur. Quam enim esse dicit voluntatem patris? Vt omnis qui credit in filium, seruetur, & instaurationem vltimā consequatur. Hæc ne patris solùm voluntas est, an etiam filii? Num

Ioan. / Matt. / Ioan.

lii? Num inuitus prędicatur, & creditur? Quis id credat? In eandem sententiam dictum etiam illud est, sermonem, qui audiebatur, non esse filii, sed patris. Quomodo enim quod commune est, proprium alicuius, aut vnius sit, ego ne multum quidem cogitās despicere valeo, nec alius, opinor, dispiciet. Si ea, quæ de voluntate dicuntur, sic intelligis, rectè intelligis, mea quidem, atque adeò omnium, qui candidi atque ingenui erunt, sententia. Ioan. 14.

Ex eadem oratione.

Ioan. 17. Luc. 18. QVod octauo loco afferunt, illud est: Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et, Nullus bonus, nisi vnus Deus. Ad hoc, vt mihi quidem videtur, facillimè potest responderi. Nam si solum verum, patri tantum tribuis, vbi Veritatem ipsam collocabis. Certè si illa item verba: Soli sapienti Deo, & soli habenti immortalitatem, & lucem inaccessam habitanti, aut, Regi seculorum incorruptibili, inuisibili, soli sapienti Deo ad eundem modum interpretaberis, filius morte mulctatus discedet, vel tanquàm tenebræ sit, aut non sapiens, nec Rex, nec inuisibilis, nec omnino (quod omniū quæ dicta sunt caput est) Deus. Quomodo autem nō vnà cum his bonitatem etiam, quæ maximè solius Dei est, amittet? Hæc igitur verba: Vt cognoscant te solum verum Deum, mea quidem sententia dicta sunt, vt illi, qui non sunt, sed dicuntur Dii, remouerentur. Alioquin non subiecisset, & quem misisti, Iesum Christum, si illud, solum verum, non de tota Diuinitate communiter pronuntiasset, sed vt ipse ab illo secerneretur. Nam quod pertinet ad illud: Nullus bonus, Christus occurrens legis perito tentanti se, & sibi vt homini bonitatem tribuenti, summe bonus, inquit, est solus Deus. Bonum enim etiam hominem appellat, vt cum bonus, inquit, homo de bono thesauro profert bona. Et Deus ad Saul de Dauide, dabo, inquit, regnū bono super te. Et vbi scriptum est, Bene fac, Domine, bonis. Et quæcunque dicuntur hoc modo de viris inter nos laudatis, ad quos è primo illo bono tanquàm è fonte quidam bonitatis riuuli defluunt. Optimum est, si his rationibus acquiescis. Sin minus, quid illis respondebis, qui argumenta tua refellentes, alibi filium solum dici Deum ostendent? Vbi nam, inquies) eo nimirum loco. Hic est Deus tuus, & ei non comparabitur alius. Et paucis verbis interiectis. Post hoc in terris visus est, & cum hominibus versatus. Quibus ex verbis satis constat, hæc non de patre sed de filio dici. Filius enim corpore assumpto nobiscum versatus est, & cum illis vixit, qui degunt in terris. Quod si vicerint, hæc non in eos qui putantur Dii, sed in patrem dici, patrem amisimus, qua iactura quid magis miserum, & calamitosum esse queat?

(Margin: Ro. 16. 1. Tim. 6. 1. Tim. 1. Matt. 19. Matt. 12. Psal. 124. Bar. 3.)

Ex eadem oratione.

Heb. 7. NOno loco illud obiiciēt: Semp viuens vt interpellet pro nobis. Rectè quidem, & mysticè admodum, atque humané. Illud enim, interpellare, significat, illum, non, vt consuetudo multorum est, vltionem quærere, id enim abiectum atque humile est, sed vt conciliatorem, legationis munere pro nobis fungi. Quemadmodum & spiritus pro nobis dicitur interpellare. Vnus enim Deus Vnus & conciliator Dei, atque hominum homo Iesus Christus. Adhuc enim vt homo (nam corpus habet, quod assumpsit) legati munere fungitur pro salute mea, donec me Deum faciat humanitatis suæ vi, licet ex carne amplius non cognoscatur, carnem appello carnis affectiones, & quæcunque nostra sunt præter peccatum. Sic etiam habemus Iesum Paracletum, hoc est, aduocatum, seu adhortatorem, & consolatorem, non quòd seruorum more prostratus genibus patris obuoluatur. Absit eiusmodi planè seruilis, & spiritu indigna cogitatio. Neque enim patris est hoc postulare, neque filium, si vti Deus consideretur, id agere æquum est. Sed quia nos pro quibus passus est, vt homo, cohortatur tanquàm Verbum & monitor, vt nos strenuè geramus. Hoc enim mihi ea vox paraclesis significat.

(Margin: Ro. 8. 1. Tim. 2. 1. Ioā. 2.)

Ex eadem oratione.

DEcimo loco ignorantiam obiiciunt, & neminem scire vltimam diem, aut horam, ne filium quidem ipsum, sed patrem solum. Quónam modo quicquā eorum, quæ facta sunt, ignorat ipsa sapientia? Ipse seculorum effector, qui perficit omnia, & commutat in melius? Qui rerum est finis? Qui tam habet cognita ea, quæ Dei sunt, vt spiritus hominis cognoscit, quæ sunt in homine? Hac enim cognitione quid perfectius? Præterea qui fieri potest, vt cùm omnia, quæ ante illam horam, & in ipso ferè finis articulo, sciat planissimè, horam ipsam ignoret? Hoc profectò simile videtur ænigmati. Perinde enim est, vt siquis ea, se quæ ante murum sunt cognoscere dicat, sed ipsum murum ignorare. Aut diei quidem scire se, qui sit finis, nescire autem, quod sit noctis principium. Cùm vnius horum cognitio alterius quoque notitiam afferat necessariò. Nónne igitur omnibus perspicuum esse debet, Illum cognoscere quidem vt Deum, sed vt hominem negare se cognoscere, si id, quod in illo cernitur, ab eo, quod mente percipitur, seiungas? Quanquā vel ipsa filii appellatio, quæ nisi adiungas, cuius sit filius, absoluta, & incerta est, in hanc nos sententiam debet adducere, vt in eam partem, quæ magis pia est, illam accipientes, ignorantiam ei non vt Deo, sed vt homini tribuamus. Quæ quidem ratio si satisfacit, nihil amplius quærатur, sin minus, reliquum est, vt quemadmodum alia sigillatim, sic etiam rerum cognitio maximarum honoris gratia ad Genitorem vt ad primam causam referatur. Siquis autem ne sic quidem acquiescit, is mihi vt qui non legerit ea, quæ à studioso, atque erudito quodam è nostris scripta sunt, videtur ignorare, filium non aliter nosse diem, aut horam, quàm patrem. Sic enim ille concludebat. Quoniam pater nouit, nouit & filius, vt planum fiat, id à nullo nisi à prima causa sciri, comprehendive posse. Restabat, vt ea persequeremur, quæ ad illud quod scriptum est, Christo mandatum esse, eumq; mandata seruasse, & quæ patri placeant, semper fecisse, quæq; ad perfectionem, & exaltationē eius pertinent, quæq; ad illud, ꝙ dictus est, ex iis, quæ passus est obedientiam didicisse. Vt aliquid præterea de summo sacerdotio, de oblatione, de proditione, de precibus ad eum fusis qui se poterat á morte liberare, de angore, de sudore sanguinis, de precatione, & siquid aliud eiusmodi est, loqueremur, nisi cuiuis esset perspicuum, hæc ad naturam illius humanā, quæ patiebaẗ, non aūt ad eam, quæ immutabilis est, & lōgè sublimior, ꝙ vt vllis affectioni bus obnoxia sit, aut aliquid huiusmodi patiatur pertinere.

(Margin: Matt. 24.)

Eiusdem ex oratione de doctrina & statu Episcoporum.

PAter quidem sine principio est, & principium esse intelligitur, ac dicitur, principium, inquam, vt causa, & fons luminis sempiterni. Filius autem non est ille quidem omnino sine principio, sed tamen est rerum omnium principium. Cùm principium audis, nec tempus interponas, nec aliud quicquàm inter genitorem & genitum medium cogites, aut vlla re male inter eos, qui æterno coniuncti sunt vinculo, interiecta, naturam ipsorum diuidas. Nã si filio tempus esset antiquius, pater prius esset temporis, quàm filii causa. Quo autem pacto esset temporum author, si esset sub tempore? Aut quomodo esset omnium Dominus, qui subditione temporis contineretur? Pater igitur sine principio est, quia non aliunde, ac ne à se quidem habet, vt sit. Filius autem, si patrem vt causam accipis, non sine principio. Pater enim, vt causa, principium est filii. Sin temporis principium intelligis, est etiam ipse sine principio. Neque enim temporis imperio subditur temporum Dominus. Si, quia corpora subiecta sunt tempori, filium item illi subiiciendum existimas, corporis experti corpus tribuis. Sin quoniam ea, quæ hic generantur, ita sunt, vt antea non fuerint, necessariò colligis & filium, cùm ante non fuerit, extitisse, comparas ea, quæ nullam admittunt comparationem, nempe Deum, & hominem, quæ corpus habent, & quæ à corpore sunt remotissima. Ergo putrescet etiam, ac dissoluetur, quandò corpora nostra putrescunt, & dissoluuntur. Tu Deum ita generari putas, quia sic generantur corpora. Ego contrà sic illum non generari, quoniam ita corpora generantur. Quorum enim natura dissimilis, eorum & ortus dissimilis est. Nisi vis, vt in cæteris itẽ materiæ seruiat, patiens, mœrens, esuriens, sitiens, & omnia deniq; subiens, quæ vel corporis, vel ex corpore, & animo constantis naturæ propria sunt. Quòd si non concedit mens tua, hæc illum perpeti, ne ortum quidem in eo nisi diuinum admitte. At enim, si genitus est, inquies, quomodo genitus est? Responde tu mihi prius, disputator inuicte, si creatus est, quomodo creatus sit, tum ex me quære, quomodo sit genitus. in gignentem cadit affectio? & in creantem, facientemq; cadit. Nónne affectio est ipsa cogitatio, & sollicitudo? & eius, quod animo complexus sis vniuersum, in partes diductio, & explicatio? Tempus in gignente requiritur? In tempore fiunt etiam illa, quæ creantur. Locus hic est necessarius? & illic. Eum, qui gignit sæpe frustratur spes? frustratur & illum, qui creat & facit. Sic enim à vobis philosophis hæc ipsa tractantibus didici, nonnunquàm contingere, vt quæ descripserit animus, ea manus non assequatur, neque perficiat. At verbo, inquis rerum vniuersitas constitit, & voluntate. Ipse enim dixit, & facta sunt ipse mandauit, & creata sunt. Quando Dei verbo cuncta creata seu facta dicis, non afters humanam creandi, faciendive rationem. Nullus enim è nobis verbo facit ea, quæ facit. Nam si dicta nostra essent ipsa facta, quid nobis sublimius foret, quid magis à laboribus liberum? Quare si verbo Deus creat & facit, non humano more creat & facit. Aut enim ostende, hominem aliquid verbo facere, aut concede, alia ratione creare Deum, quàm hominem. Voluntate ciuitatem tibi describe, & statim ciuitas existat. Velis filium nasci, & ilico filius præstò sit: Velis aliquid aliud, & id subitò perfectum appareat. Quòd si nihil horum voluntatem consequitur tuam, Dei autem voluntatem opera consequuntur, aliter homo creat & facit, aliter omnium creator & effector Deus. Cur igitur qui creat quidem, sed non hominum more, is humano more cogatur gignere? Tu non eras antea, postea natus es, deinde generas. Et idcircò quæ non erant, facis, vt sint. Atque adeò, vt aliquid magis reconditum dicam, ne facis quidem, vt sint, quæ nõ erant. Erant enim, vt de leui scriptum est, in lumbis patris ante, quàm in lucem ederentur. Nullus tamen verba nostra calumnietur. Non enim filium ita genitum dicimus, vt qui prius esset in patre, post autem editus sit. Neq; enim imperfectus primò, deinde perfectus fuit. Qua quidem lege nos generamur & nascimur. Ista consectari calumniantis est, & omnia quæ dicuntur, carpentis, & vellicãtis. Nos autem non ita sentimus, non ita docemus. Sed ex quo pater est, (semper autem fuit. Nunquàm enim ante ipsum non fuisse mens nostra cogitat) & filium esse, sed genitum dicimus. Ita simul concurrunt, vt & pater sit, & gignatur Vnigenitus, qui ex ipso quidem est, sed non post ipsum, vt ex principio, si vis, tantum cogita, sed ita tamen, vt principium causam intelligas. Quod sępius repeto crassam & in materia depressam animi tui cogitationem reformidans.

Eiusdem ex oratione. ii. de pace.

MAgno tibi, atque adeò maximo honori ducis, q̃ filium habeas, eoq; magis, si patris mores, & effigiem, vt vera imago, omnibus exprimat, nec si detur optio, malis habere decem seruorũ millia, quàm vnius esse filii pater, & in Deo maius aliquid opinaberis, quàm quòd sit vnius genitor filii, qui gloriam illi non adimit, sed adiungit, quodq; ab eo procedat spiritus sanctus? Nónne animaduertis, te dum rerum creatarum principium statuis, nempe filii, & spiritus, quos creatos esse contendis, nec principium honorare, & ea, quæ ex ipso extant principio, afficere contumelia? Illud quidem, quoniam rerum, quæ paruæ, nec satis Diuina Maiestate sunt dignæ, principium asseris: Illos verò, quoniam & paruos fingis, & non solùm creatos, verùm etiam rerum omnium, quæ creatæ sunt, abiectissimos? Siquidem & earum causa, & in tempore, tanquàm instrumenta artifici ante res, quas ex arte facturus est, cùm prius non essent, ob id extiterunt, vt per illa crearet, & faceret, siquid vellet Deus, tanquàm ad id præstandum voluntas eius non esset satis. Quicquid enim alterius causa fit, eo cuius fit gratia, vilius & deterius est. Ego verò, qui Diuinitatis principium ita constituo, vt sine tempore sit, nec separari, aut vllo termino circunscribi queat, & principium, & ea, quæ ex ipso existunt principio, pariter honore prosequor. Illud, quia talium principium sit: Hæc quòd ita sint, & talia, & ex tali, nec tempore, nec natura, nec maiestate disiuncta, sed (quanuis hoc sit admirabile) ita vnum, vt distincta sint: ita distincta, vt vnum sint, nec minus mutuo hoc inter se habitu simul omnia laudanda, quàm vnumquodque eorum per se, si sigillatim cogitatione, atque animo comprehendantur. Trinitas perfecta ex tribus cõstat perfectis, ex vnitate commota propter diuitias bonitatis: ex binario supergrediente, propterea quòd super materiam & formam, ex quibus corpora consistunt, egreditur: ex ternario definito propter perfectionem, (Numerus enim ternarius binarii compositionem primus transcendit) vt neque angusta Diuinitas maneat, neque in infinitum diffundatur. Id enim esset indecorum, hoc autem confusum. Illud Iudæorum omnino, hoc Græcorum multiplicem Deorum turbam confingentium. Ad hæc non ineruditè fortasse, nec stultè, sed valde considerate perpendo,

atque perspicio, tibi quidem, si filium genitum admittas, nullum periculum imminere, vt qui generat, in earum, quæ in corpora & materiam cadunt, affectionem aliquã incurrat, cùm non sit corpus. Procul enim abscedát, cùm de Deo loquimur, communes istæ suspiciones, vt timeamus, vbi nullus est timor, &, quod dici solet, frustra impii simus. Mihi verò, si creatum admisero illud instare periculum video, vt Diuinitatem offendam. Neque enim Deus est is, qui creatus est, nec dominus, qui conseruus, licet in eorum, qui creati & serui sunt, numero primas ferat, & hac vna re se contumelia affectum demulceat. Nam qui debito honore aliquem priuat, non magis eum decorat, quòd ei aliquid aliud impartiatur, quàm ignominia afficit ex eo, quod illi adimit, licet ea res, quam attribuit, honoris speciẽ præferat. Quòd si tibi in generatione affectiones occurrunt, occurrunt etiam mihi in creatione, sine quibus nihil creatum animaduerto. Si tu non esse genitum affirmas ex opinione tua: & ego non esse creatum assero ex veritate. Sed iam reliquam orationis partem accipe tu, qui creatum appellans audes eum, qui paruus est, æqualem dicere.

Eiusdem ex oratione. ii. in Pascha.

HAec obiicis Deo? Propterea putas illum abiectiorem, quòd linteo succingitur, & discipulorum pedes lauat, optimamq; ad exaltationem & gloriam viam humilitatem, & demissionem esse declarat? Quòd propter animam humi deiectam deprimitur, vt id, quod peccato afflictum deorsum tendebat, excitet, atque extollat? Cur non ei simul etiam crimini vertis, quòd cum publicanis, & apud publicanos comedit, vt ipse quoque lucretur aliquid? Quidnam? salutem peccatorum. Vt si quis medicum accuset, quòd ad ægrotantium morbos, & vulnera inspicienda sese demittit, fœtoremq; perfert, vt eos curet. Aut si quis reprehendat eum, qui humanitate compulsus in fossam descendit, vt iumentum prolapsum, quemadmodum lex præcipit, excitet, ac subleuet. Missus ille quidẽ est, sed vt homo. Duplex enim erat. Quamobrem & esuriuit, & sitiuit, & mœrore affectus est, & lachrymauit corporis lege. Quid si etiam vt Deus? Quid tum? Missionem, ac legationem illam bonam patris voluntatem interpretare, cui sua ille refert accepta, eumq; tempore carentem colit, vt principium, ne ab ipso discrepare videatur. Quandoquidẽ & traditus dicitur, & se ipse tradidisse scribitur & suscitatus atque assumptus à patre, & se ipse suscitasse, atque in cœlum ascendisse. Illa bonæ voluntatis sunt, hæc potestatis. Tu autem quæ humilia, & abiecta sunt commemoras, sublimia vero, atque præclara prætermittis. Quòd mortuus sit, expendis. Quòd autem vltrò mortem oppetierit, non cõsideras. Talia Verbum nunc etiam patitur, dum ab aliis vt Deus colitur, atq; confunditur, ab aliis vt caro despicitur, & separatur. Vtris magis irascatur, aut potius ignoscat? Illis ne, à quibus male contrahitur? an illis, à quibus discinditur? Oportebat enim vt & illi personas numero distinguerent, & hi eas Diuinitate coniungerent. Carne ipsius offenderis? Id Iudæis etiam accidebat. Num & Samaritanum (vt quod sequitur taceam) illum appellas? Tu Diuinitati non credis, Quòd ne Dæmones quidem faciebant. O Dæmonibus magis incredule, & Iudæis magis ingrate. Hi filii appellationem æqualis honoris vocem existimabant, illi eum, à quo eiiciebantur, Deum agnoscebant. Ex iis enim, quæ patiebantur, id sibi persuadebant. Tu autem nec æqualitatem suscipis, nec Diuinitatem confiteris.

Item aduersus Arianos & Eunomianos, Gregorii Nyssæ Pontificis ex oratione ad simplicium scripta de filio.

VEtat Deus per Prophetam, ne quem Deum recentem, Deum existimemus, neve Deum alienum colamus, aut adoremus. Perspicuum est, recentem appellari, qui ab æternitate non est, ècontrario autem æternum dici, qui non est recens. Quamobrem qui Vnigenitum ab omni æternitate Deum ex patre esse non credit, is eum recentem esse non negat. Quod enim æternum non est, id recens est omnino. Quicquid autem est recens, non est Deus. Quemadmodum ostendit scriptura, Non erit, in quiens, in te Deus recens. Qui igitur eum aliquando non fuisse asserit, is Diuinitatem ipsius negat. Præterea Deum alienum prohibet adorare, qui Non adorabis, inquit, Deum alienum. Alienus est, qui à proprio Deo nostro seiunctus consideratur. Quis autem proprius noster Deus? Verus nimirum Deus. Quis alienus? Qui diuersam à vero Deo naturam habet. Itaque cùm proprius noster sit verus Deus, Deus Vnigenitus, vt affirmant Hæretici, non est eiusdem naturæ, qua verus Deus, non est noster, sed alienus Deus. Oues autem, vt in Euangelio scriptum est, alienũ nõ audiunt. Qui creatũ esse ipsum dicit, à veri Dei natura alienũ facit. Quid igitur faciunt, qui creatũ asserunt, adorant ne illum, nec ne? si non adorant, Iudæos imitantur, qui Christi negant adorationem. Sin adorant, sunt Idololatræ, cùm alienum adorent à verò Deo. Iam æquè impium est, & filium non adorare, & adorare alienum Deũ. Proinde veri patris verum filium debemus esse Deum dicere, vt adoremus eum, nec condemnemur, tanquàm alieni Dei adoratores. Ad eos autem, qui illud ex Prouerbiis: Dominus creauit me: tanquàm firmum aliquod argumentum deprom ũt, quo rerum omnium procreatorem creatum probent, respondendum est, Deum vnigenitum multa propter nos factum esse. Nam cùm Verbum sit, caro factus est: cùm sit Deus, factus est homo: cùm sit expers corporis, factus est corpus, & peccatum, & execratio, & securis, & panis, & ouis, & via, & ostium, & petra, & alia eiusdem generis multa, cùm eorum nullum esset, sed ea propter nos, ita salutis humanæ curandæ consilio requirente, factus sit. Quemadmodum igitur, cùm sit Verbum, factus est caro: cùm Deus sit, factus est homo: sic etiam cùm creator sit, propter nos creatus est. Caro enim est creata. Vt igitur per Prophetam locutus est, sic, inquiens, dicit Dominus formans me ex vtero seruum sibi, ita locutus est etiam per Solomonem, Dominus, inquiens, creauit me initium viarum suarum ad opera sua. Quapropter & is, qui vt ex verbis Prophetæ colligitur, in vtero virginis formatus est, seruus est, non Dominus, homo nimirum ille, in quo patefactus est Deus. Et qui hic creatus est ad initium viarum suarum, non est Deus, sed homo, in quo nobis Deus patefactus est, vt corruptam humanæ salutis viam renouaret. Quare cùm Duo in Christo cognoscamus, Diuinitatem nimirum, & humanitatem. Diuinitatem in natura Dei, humanitatem in natura hominis, quem induit, vt genus humanum seruaret, consentaneum est, vt quod æternum est, assignemus Diuinitati, quod autem est creatum, Humanitati tribuamus. Quemadmodum

Psal. 80.

Deute. 5.

Ioan. 10.

Pro. 8.

Esa. 49

enim apud Prophetam in vtero formatus est seruus, sic apud Solomonem per seruilem istam conditionem creatā in carne patefactus est. At cùm argumentātur hoc modo: si erat, non est genitus, & si genitus est, non erat, animaduertant ea, quæ ad ortum carnis pertinent diuinæ naturæ tribui non oportere. Corpora enim, cùm nō sint, generantur. Deus autem ea, quæ non sunt, facit, vt sint, non ipse, cū non sit efficitur. Quocirca Paulus eum gloriæ splendorem appellat, vt doceat nos, quemadmodum lux ex face proueniens, & ex natura facis splendentis est, & cum illa est, nam simulatq; fax apparuit, lux ex ipsa pariter effulsit, sic etiam filium ex patre esse, & sine filio patrem fuisse nunquàm. Sicut enim fax esse non potest sine luce, sic gloria patris sine filii splendore esse non potest. Quamobrē vt ille, qui splendorem esse dicit, gloriam item esse testatur, quæ nisi esset, nec splendor ex illa fulgeret, ita qui splendorem aliquādo negat fuisse, tunc non fuisse gloriam ostendit cùm splēdor non erat, non potest enim esse gloria sine splendore. Sicut igitur de splendore non licet dicere: si erat, genitus nō est, si genitus est, non erat: sic amentis est ea de filio, qui splendor est, loqui. Qui verò minus, & maius de filio, & patre dicunt, discant à Paulo, ea, quæ mensuram non capiunt, metiri non oportere. Apostolus enim filium patris substantiæ figuram appellat. Docet hæc Magnus etiam Ioannes, In principio, inquiens, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Dicens enim, In principio erat, non autem post principium, ostendit principium nunquàm fuisse sine Verbo. Subiiciens autem, & Verbum erat apud Deum, filio vt apud patrem existenti nihil deesse demonstrat. Cum toto enim Deo totum Verbum consideratur. si quid enim propriæ Verbi deesset amplitudini, vt cum toto Deo esse non posset, necesse foret id, quod in Deo Verbum excederet, esse sine Verbo existimare. At amplitudo Verbi totam exæquat amplitudinem Dei. Maius igitur & minus nullum in naturæ diuinæ consideratione locū habet. Iam qui genitum ingenito natura dissimilem affirmant, Exemplo Adam, & Abel discant non insanire. Adā enim naturali hominum lege non est generatus, Abel autem ex Adam generatus est, Neque tamen propterea fit, quominus eorum vterque sit homo, tam ille, qui generatus est, quàm ille, qui sine generatione factus est. Nullam igitur in ratione diuinitatis exploranda naturæ differentiam dicimus proficisci ex eo, quod pater ingenitus, filius autem genitus sit, sed quemadmodum in Adam & Abel vna est humanitas, sic vnam esse in patre & filio Diuinitatem.

Heb. 1. Heb. 1.

Eiusdem ex oratione de filii & Spiritus Diuinitate.

EVnomii discipuli, filius, inquiunt, aliquando nō erat. Si filius non erat, ne pater quidem omnino. Si splendor non erat, ne splendens quidem. Si figura nō erat ne substantia quidem. Si potentia non erat, si sapientia nō erat, sine quibus non est Deus, ne Deus quidem erat. Neque enim cogitare possumus gloriam sine splendore, aut substantiam sine figura, aut sine sapientia sapientem, aut sine potentia potentem, aut denique sine filio patrem. Ex his igitur, quæ dicta sunt, demonstratum est, eum qui filiū tollit, & patrem tollere. Vbi autem filius non colitur, nec pater esse creditur, tota Diuinitas aufertur. Porrò Diuinitatē auferre nullius est, nisi Epicurei. Patet ergo istius opinionis authores esse Epicureos.

Ex eadem oratione.

SEntentias quasdam abscindunt è scriptura, quas imperitioribus obiiciant. Dicunt enim, ipsum Dominum se missum esse confiteri. Tu ergo illum à patre missum nosti, & eum, à quo missus est, simul esse cum illo non accepisti? Qui misit me, inquit, mecum est. Ex quibus verbis poteras intelligere, illum ita mitti, vt non disiungatur. Mittitur enim pro sua in homines beneuolentia. Non separatur, quia natura secari non potest. Io. 1. C

Ex eadem oratione.

AIunt rursus, Filium se patri minorem confiteri. Pater enim, inquit, maior me est. Atqui idem ipse illud etiam dixit: Ego in patre & pater in me est. Si maior est filio pater, quomodo quod maius est, á minore capitur? si minor filius patre, quomodo ab eo, quod minus est, maius impletur? Maior enim in minore nimis angustè concluditur. Minor autem maiorem vt compleat non assequitur. Vt necesse sit, deficere filium in patre, & patrem in filio redundare, atque ita ex sententia istorum mentiri, qui ego, inquit, in patre, & pater in me est. cùm deberet dicere, (si minor est) ego in parte patris, & pars patris in me est. Sin totus pater in toto filio est, & totus filius in toto patre, vbi nam est, quod redundat? Vbi nam id, quòd deficit? Verum quid multis opus est, cùm vno verbo possumus omnes ipsorum nugas confutare? Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se ęqualem Deo. Dic mihi. Tu æqualem audis, & cogitas inæqualem? O inanem doctrinam, quæ quod æquale est, inæquale interpretatur. Dixit igitur; Qui misit me, maior me est, Consideremus cuius sit hæc oratio & quomodo missus sit, in forma ne Dei manens, an serui formam accipiens: in plenitudine Diuinitatis, an in serui forma semetipsum exinaniens. Diuina profectò virtus, & natura, quæ vbiq; est, quæ per omnia commeat, quæ complectitur omnia, meritò mitti non diceretur. Nihil enim ipsa vacuum est, vt si mittatur, alicubi esse possit, vbi antea non fuerit. Nam vi sua moderatrice conseruatriceq; cuncta comprehendens non habet, quo tanquàm in vacuum transcendat, sed implet omnia. Quare filii ex sententia patris ad imbecillitatem, infirmitatemq; nostram descensus, atque profectio missio dicitur. Transitus enim ab immortali natura ad mortalem hanc vitam non Domini motum in loco, sed excelsæ Diuinitatis ad carnē abiectam atq; humilem suscipiendam accessum indicat. Descendit igitur non Verbum nudum apparens, sed caro factum. Itaque humanitatis habita ratione maiorem eum, qui non cernitur, illo qui conspicitur, esse confitetur. At cùm ad Diuinitatem cognoscendam nos ducit, ea maioris, & minoris cessat comparatio, Et pro his vnitas prædicatur. Ego enim, inquit, & pater vnum sumus.

Ioan. Psal. Phil. Ioan. Act. Ioan.

Item contra Arianos. Magni Ioannis Chrysostomi ex interpretatione illorum verborum, Faciamus hominem.

HIc & Arii opinionem approbantibus lethale vulnus infligit. Non enim imperantis more dixit: Facito: tanquàm minorem, aut essentia inferiorem alloqueretur. sed parem honoris gradum ostendens, Faciamus, inquit. Et quæ deinceps sequuntur magnam nobis essentiæ declarant similitudinem.

Eiusdem

Eiusdem ex interpretatione illorum verborum: Et assumpsit Deus hominem, quem formauerat.

IN ipso statim principio duo posuit. Neq;.n.dixit, Dñs, & tacuit, sed adiecit, Deus. Duobus hisce verbis, Dñs Deus, reconditum & arcanum quiddam nos docens. Vt scire possimus, siue Dñm, siue Deum, audiuerimus, inter hæc duo nomina nihil interesse. Ne igitur audiens, Paulum
1. Cor. 8. ita dicentem: Vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quē omnia, putes, in his vocibus esse discrimen aliquod, & vno quidem maius, altera minus indicari, iccirco vtraq; promiscuè & cōiter vtitur scriptura, ne liceat hominibus pugnacibus rectam doctrinam cōtentionibus & suspicionibus suis peruertere & cōturbare.

Eiusdem ex interpretatione in illa verba: In principio erat Verbum.

ILlud: In principio erat Verbum non significat, inquiūt, æternitatem. Idem enim de cœlo, & terra dictum est. O insignem impudentiam, & magnam temeritatem. Ego tibi de Deo loquor, & tu mihi terram, & homines è terra conflatos in medium affers? Ergo quoniam homines filij
Psal. 81. Dei dicuntur, & Dij, Ego enim, inquit, dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes, Vnigeniti Diuinitatem in dubium vocabis, eumq; nihil amplius habere, q̃ te, dices? Minimè verò, inquis. Atqui sic agis, licet verbis haud ita loquaris. Cùm.n. ipsum natura filium neges, quid aliud moliris, nisi vt filium esse per gratiam probes? Sed testimonia, quæ ab istis afferuntur, consideremus. In principio, inquit, fecit Deus cœlum, & terram. Terra autem erat inuisibilis, & incomposita. Et, Fuit vir de Ramathaim Sobim. Hæc isti putant, admodum firma, & valida argumenta, & sunt illa sanè firma, & valida ad doctrinam nostram comprobandā. Nam ad confirmandam detestabilem ipsorum opinionem nihil potest infirmius cogitari. Dic.n.obsecro, quid commune habet illud, Fecit, cum hoc, Erat? Quid rursum Deus, cum homine? cur commisces ea, quæ misceri nequeunt? cur ea, quæ sunt diuisa, confundis? Et ea, quæ superiora sunt, inferiora constituis? Hic enim non solum illud, Erat, indicat æternitatem, sed etiam illud, Verbum erat: & illud, In principio erat. Quemadmodum.n.illud: Qui est, cùm de hoīe dicitur, instans duntaxat tempus significat, cùm autem de Deo, æternitatem declarat, sic & illud, Erat, si ad naturam nostram referatur, tempus præteritum, idq; terminatum ostendit, sin referatur ad Deum, æternitatem.

Ex eodem loco.

Act. 2. NAe, ait. Sed Petrus dixit hoc planè, & palam. Vbi, & quando? cùm Iudæos alloquens, Dominum ipsum, inquit, & Christum Deus fecit. Cur non & id, quod ordine statim sequitur, addidisti? nempe, Hunc Iesum, quē vos crucifixistis. An ignoras eorum, quę dicta sunt, partim ad immortalem naturam, partim ad curandæ salutis humanæ consilium pertinere? Quæ si secus habent, & tu simpliciter omnia refers ad Diuinitatem, Deum etiam pati vis, sin pati illum negas, ne factum quidem esse concedis. Si.n. ex diuinà illa natura, quæ verbis explicari non potest, sanguis fluxisset, & ipsa pro carne clauis in cruce dilaniata, & conscissa esset, argumentum tuum hoc loco probabile videretur. Quòd si hæc tam execranda ne Diabolus quidem ipse diceret, cur istam tu nulla venia dignam fingis ignorātiam, quam ne Dæmones quidem ipsi præ se ferrent? Quāquam verba illa: Dominus, & Christus, non essentiæ sunt, sed dignitatis. Dominus.n.potestatem, Christus vnctionē significat. Quid igitur dices de filio Dei? si enim, quemadmodum vos sentitis, creatus esset, hoc nō haberet locum. Non.n.eum prius factum elegit tunc Deus. Nec aduentitium ille sed per naturam, & essentiam habet imperium. Interrogatus enim, an esset Rex, Ego inquit ad hoc natus Io. 18.
sum. Petrus autem de illo tanq̃ electo & cooptato verba facit. Tota.n.illius oratio ad explicandum diuinum salutis humanæ consilium pertinet. Iam quid miraris Petrum ita loqui, cùm Paulus alloquens Athenienses eum hominem solum appellet, in viro, inquiens, quem statuerat, fidem omnibus præbens, cùm illum à mortuis suscitarit. Act. 17.
Nihil autem de forma Dei loquitur, nec eum ipsi æqualem, nec gloriæ splendorem ipsius esse dicit. ac merito id quidem facit. Neque enim tempus, eiusmodi verba postulabat, cùm satis tūc esset Paulo, si illis persuasisset, eum & hominem esse, & surrexisse. sic egit & ipse Christus, à quo Paulus edoctus ita rem gerit. Neq;.n.statim Diuinitatem suam nobis patefecit. Sed primo quidē putabatur esse Propheta, & Christus simpliciter homo. Deinde ex factis & verbis apparuit id, quod erat. Iccirco & Petrus principio hac ratione vtitur. Hanc.n.primam ad Iudæos concionem habuit. Et quia nihil de Diuinitate perspicuum discere poterant, ob id in eo commoratur, vt diuinum humani generis seruandi consilium explicet, quo sibi ad reliqua docenda aditum patefaciat. Ac siquis totam concionem ipsam à principio perlegat, reperiet id, quod dicimus esse clarissimum. Nam & ipse virum eum vocat, & in eius morte, & resurrectione, & humano ortu explicandis immoratur. Et Paulus cùm dice Rom. 1.
ret, eum factum ex semine Dauid secundum carnem, nihil aliud nos docuit, nisi verbum illud, Fecit, ad humanitatem eius esse referendum. Quod nos item cōfitemur. Sed filius tonitrui de natura illius, quæ verbis explicari non potest, quæq; est ante secula nunc loquitur. Quamobrem verbum illud: Fecit, omittens dixit: Erat.

Ex eodem loco.

AVdisti: In principio erat Verbum. Quid intelligis ex hoc principio? Nónne id planè. Nempe ipsum esse ante res quæ mente solum comprehenduntur, & ante secula? Quòd si aliquis dicat, qūo potest, si filius est, non esse iunior patre? Quod.n.ex aliquo est, id illo, ex quo est, necessario posterius esse dicimus. Hæc sunt hominum argumenta rebus humanis conuenientia. Et qui hoc quærit, alia magis etiam absurda quæret. Itaq; nos ne audire quidem hæc oportebat. De Deo enim nunc nobis est sermo, non de hominum natura, quæ istiusmodi argumentorum ordini, & necessitati obnoxia est. Verùm vt infirmioribus satisfiat, ad hæc item respondebimus. Dic mihi. Splendor solis ex ipsāne solis natura, an aliunde manat? Necesse prorsus est, nisi planè sensibus etiam cares, vt eum ex solis natura manare fatearis. Attamen cùm ex solis natura splendor perueniat, non dicemus illum natura solis esse posteriorē. Nunquam.n.sine splendore sol extitisset. Quòd si in corporibus istis quæ sensibus percipimus, & intuemur, aliquid ex aliquo sic esse constat, vt eo, ex quo est, posterius non sit, cur non credis, in ipsa natura, quæ nec cerni potest, nec enarrari, idem esse, ea quidem ratione, quæ tali naturæ conueniat? Hac.n.de causa & Paulus eum splendorem appellauit, vt illum & ex patre, & simul cum patre æternum demonstraret. Quid? nónne secula per ipsum facta sunt oīa, & omne spatium? Necesse est, te, nisi desipis, id confiteri. Nihil igitur medium inter filium & patrem. Quòd si nihil inter eos medium intercedit, filius non est posterior, sed

æternus cum patre. At illa verba, ante, & post, temporum differentias indicant, & sine seculo, & tempore nulla sunt. Temporibus autem, & seculis superior est Deus. Iam si filij principium ais omnino comprehensum esse, vide, ne eadem ratione & argumento cogaris & patrem sub principio antiquiore quidem, sed principio tamen constituere. Dic enim mihi, nónne terminum quendam & principium ita præponis filio, vt ab eo sursum progrediaris ad patrem? sic apparet. Dic igitur & illud mihi, quanto spatio pater antecedat. Nam siue paruum, siue magnum protuleris interuallum, sub principio patrem collocabis. Perspicuum.n. est, te spatium in medio interiectum, seu magnum, seu paruum sit, dimetiri. Quod fieri nequit, nisi ex vtraque parte principium aliquod sit. Quamobrem & patri, quantum in te est, principium dedisti. Vt iam per vos ne pater quidem sine principio sit.

Ex eodem libro.

Esa.44.b. LIbenter ab istis, qui cõtradicunt, & illud audiuerim, quid sibi velint ea Prophetę verba: Ante me non fuit alius Deus, nec erit post me. Num essentiam negabitis Vnigeniti? Necesse.n. est vt vel hoc audeatis, vel vnam suscipiatis in personis propriis patris & filij Diuinitatem. Quo autem pacto verum illud erit: omnia per ipsum facta sunt? Nam si illo seculum est antiquius, qũo quod ante ipsum est, per eum fieri potuit? Videte ad quantam audaciã semel à veritatis ratione declinantes peruenerint. Cur.n. Euangelista nõ dixit, eum, cùm antea nõ esset, fuisse factũ? id quod de omnibus pronuntiat Paulus, vocans, inquiens,
Rom. 4. ea, quæ non sunt, tanq̃ sint: sed quod huic contrarium est, In principio, inquit, erat? Quia res ita poscebat. Deus enim nec fit, nec habet quicquam antiquius. Sed hæc Græcorũ sunt verba. Dic igitur & illud mihi. Nónne procreator rebus procreatis sic antecellit, vt cum illis nequeat comparari? Vbinam igitur erit hæc excellentia, si quod ex nihilo factum est, ei dicatur simile? Si filius non est æternus cum patre, qũo infinitam esse dices vitam illius? Si.n. à parte superiori principium habet, licet non habeat finem, non est infinitus. Infinitum.n. vtrinq; termino careat, necesse est. Quod quidem Paulus declarauit, cùm diceret: Neq; initiũ
Heb. 7. dierum neq; vitæ finem habens. Sic.n. infinitum, quod & principij, & finis expers esset, ostendit, cùm neutra ex parte termino concludatur, quoniam ex altera fine, ex altera principio careat. Iam cùm vita sit, qũo fuit, vnquam, cùm nõ esset. Vitam.n. & semper esse, & principio, ac fine carere omnes confitebuntur. Qui.n. esset aliorum vita, si ipsa aliquando non esset? cur igitur, inquis, principium statuit Euangelista, In principio dicens? Tu vocem illam, In principio consideras, nec attendis, quid sequatur. In prin-
Psal. 89. cipio enim, inquit, erat Verbum. Quid? cùm de patre Propheta dicit: A seculo vsque in seculum tu es, num terminos illi statuens ita loquitur? minimè verò, sed æternum significat. Sic etiam hoc loco cogita. Nullos.n. fines præscribẽs ita locutus est. Neq;.n. dixit, Habebat principium, sed, In principio erat, ducens te illuc, vt sine principio filium cogites. Sed ecce, inquis, cùm patrem dicit Deũ, articulum addit, quem de filio loquens prætermittit Quid? cùm Apostolus dicit: Magni Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi. Et rursum, Qui est in omnibus Deus, nónne articulum adiungit de filio loquens? Contra de patre verba faciens illum omittit, vt cùm ad Philipenses scribit ad hunc modũ: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Et ad Romanos, Gratia vobis, inqt, & pax à Deo patre nostro, & Dño Iesu Christo. Quãquam

πρὸς τὸν θεόν. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Tit. 2. τοῦ μεγάλου θεοῦ. ὁ ὢν θεός. Philip. 2. ἴσα θεῷ.

& superuacaneum erat, hic articulum apponere, cùm antea semper adiunctus sit Verbo. Quemadmodum.n. cùm de patre loquens dicit, Spiritus est Deus, quãuis ad illam vocem, Spiritus non addat articulum, Deum tñ non negamus corporis expertem esse, sic etiam hic, licet filio non adhibeatur articulus, non propterea filius non ostenditur Deus. Cùm.n. dicat Deus, & Deum, inter hanc Diuinitatẽ nihil medium nobis esse significat. Quinetiam cùm antea dixisset, Et Deus erat Verbum, ne quis Diuinitatem filij minorem existimaret, statim veræ Diuinitatis indicium ac notam affert etiam æternitatem. Hoc enim, inquit, erat in principio apud Deum, & procreatorem indicat esse, Oĩa per ipsum, inquiens, facta sunt, & sine ipso factum est ne vnum quidem, quod factum est. Quam quidem Diuinitatis & essentiæ suæ notam & pater per Prophetas vbiq; adhibet, Et hoc demõstrationis genere semper vtuntur Prophetæ, non simpliciter sed simulachrorum gloriam impugnantes. Dei enim, inquit, qui cœlum, & terram non fecerunt, perdãtur. Et rursum, Ego, inquit, manu mea cœlum extendi. Et hoc Diuinitatis indicio passim vtitur. At Euangelista ne his quidem verbis contentus. Vitam præterea, & Lucem ipsum appellauit. Quamobrem si semper cum patre erat: Si omnia ipse fabricatus est: Si omnia procreauit, & omnia fouet, id enim per verbum illud, Vitam, significatur: Si omnia illustrat, quis adeo stultus est, vt dicat, Euangelistam his verbis voluisse minorem filij Diuinitatẽ ostendere, quibus maxima potest æqualitas & similitudo demonstrari? Ne confundamus res procreatas cum ipsarũ procreatore, alioquin illud item in nos vsurpabitur. Et coluerunt creaturam magis, q̃ creatorem.

Eiusdem in illa verba: omnia per ipsum facta sunt.

SI præpositionem illam, Per, imminutionis notam existimas audi Paulum dicentem: Tu, Dñe, in principio terram fundasti, & opera manuũ tuarũ sunt cœli. Qđ igitur de patre vt procreatore dictũ est, id de filio dicit itẽ vt procreatore, non autem cuipiam subministrante. Porrò dictum est hic illud, Per ipsum, nulla alia de causa, nisi vt ne filium ingenitum esse suspiceris. Nam quòd filius non sit inferior patre, quantum pertinet ad mundi procreationem, audi ipsum dicentem: Quemadmodum pater suscitat mortuos, & viuificat, sic et filius quos vult, viuificat. Si igitur de filio & in veteri testamento dictum putas: Tu in principio Domine terram fundasti, Perspicua est ipsius dignitas procreationis. Quòd si de patre vis hæc Prophetã dixisse, cùm ea Paulus filio tribuat, idem conficitur, Neq; enim illa filio congruere Paulus statuisset, nisi communem illius dignitatis honorẽ existimasset. Summæ enim fuisset audaciæ quod naturę illi, cui nihil comparari potest, conuenit, id naturæ inferiori, deteriorię; tribuere. Verùm inferior non est filius, neque deterior patre. Itaque non hæc solum Paulus ausus est dicere, sed alia his similia. Nã illud: Ex quo, quod tu soli patri tanq̃ dignitatem, atque hæreditatem quandã ascribis, ipse de filio etiã dicit, Ex quo, inquiens, totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentũ Dei. Neque hoc illi satis est, sed alia quoque ratione obstruit ora vestra, cùm illud, Per quẽ, quod tu diminutionem significare dicis, tribuit etiam patri. Fidelis, inquiens, Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius. Et rursum, Per voluntatẽ eius. Et alibi, Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia. Ac non filio solùm ascribitur illud, ex quo, sed etiam spiritui. Siquidẽ Angelus ad Ioseph, Ne timeas, inquit, accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ipsa conceptũ est, ex spiritu san-

cto est. Quemadmodum igitur illud, In quo, cùm spiritus sit, non alienum putat Propheta, vt tribuatur Deo, & propterea dicit: In Deo faciemus virtutem. Et Paulus optans, si quomodo inquit, iam aliquando prosperum iter habeã in voluntate Dei venire ad vos. Et de Christo itẽ loquens eodem vtitur verbo, In Christo, inquiens, Iesu. Deniq; hęc verba sæpe atque adeo assidue ab vna in aliam personam translata comperies. Quod quidem non fieret, nisi in omnibus vna atque eadem esset natura atque essentia.

Psal. 59.
Rom. 1.

Eiusdem ex interpretatione illius sententiæ. Qui est in sinu patris.

Io. 1.

EVangelista de sinu mentionem facit, vt hoc vno verbo nobis ostendat, magnam essentiæ cognationem esse, & propinquitatem, similemq; esse cognitionẽ, & æqualem potestatem. Eũ enim, si alterius esset essentiæ, non teneret in sinu pater. Ac ne ipse quidẽ, si esset seruus, & vnus è multis, auderet in Domini sinu versari. Hoc.n. germani solius filij proprium est, qui magna fiducia in patrem vtitur, eoq; nulla re minor est. Vis & æternitatem eius intelligere, audi, quid Moses de patre dicat. Quærens.n. si à Iudæis interrogaretur, ecquod esset nomen ipsius quisnam esset ille, qui se misisset, quid illi esset respondendum, audiuit illud: Dicito, qui est, misit me. Qui est, autem nihil aliud significat, nisi, qui semper est, qui sine principio est, qui vere, & proprie est. Idem autem & verbis illis significatur: In principio erat. Eodem verbo & hic Ioannes vtitur, Qui est, inquiens, in sinu patris, vt sine principio & ab omni æternitate demonstret esse. Ac ne ex nominis similitudine, aliquem ex iis, qui gratia filij sunt, intelligeres, primum adiunxit articulum, vt eum à filiis per gratiam adoptatis separaret. Deinde, ne forte id tibi deorsum intuenti non esset satis, nomen adhuc magis proprium addidit, hoc est, Vnigenitus Quòd si post hoc oculos adhuc humi defixos habes, non grauabor, inquit, aliquod etiam verbum hominibus congruens vsurpare, quãuis loquar de Deo. Attamen, ne quid humile obiectumq; cogites, in sinu tantum dicam.

Exo. 3.

Item in Arianos Sancti Cyrilli Alexandrini. Ex commentariis eius in Ioannis Euangelium.

QVid respondent ad hęc, qui nouum nobis & recẽtem adducunt filium, vt ne Deus quidem is esse amplius omnino credatur? Non erit, inquit scriptura, in te Deus recens Quo autem pacto non est recens, si posterioribus temporibus genitus est? Q̃uo non mentiebatur ipse, cùm ad Iudæos diceret: Amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum? Multis certe post Beatum Abraham temporibus Christum ex sancta Virgine natum nemo dubitat, sed omnes confitentur. Quòd si in fine seculorum natus est Vnigenitus, vbinam illud, In prĩcipio, seruabitur & habebit locum? Considera.n. mihi & ex sequentibns, q̃ absurdum sit, æternam filij essentiam comminuere, & posterioribus ipsum temporibus genitum esse cogitare. Sed hoc rursum, quod ab Euãgelista dictum est, In principio erat Verbum subtilius expendamus. Principio (siquidem in se principij definitionem tuetur) nihil est antiquius, alioquin verè principium esse definet omnino, si principium aliud ante ipsum exortum cogitetur. Præterea, si eo, quod verè principium est, aliquid prius esse contingat, oratio nobis progredietur in infinitum, cùm aliud semper nobis principum oriatur, quod se posterius esse demõstret principinm illud, de quo quærimus. Quare si exquisite, & verè ratiocinamur, principij non erit principium, sed ad cõtinuam, & infinitam seriem oratio nostra deueniet, & semper ad superiora confugiens nullum reperiet finem. Non igitur in tempore genitus filius, sed æternus esse cum patre deprehendetur, Erat enim in principio. Quod si in principio erat, quæ mens poterit supra vim illius, Erat, volare? Q̃ũ autem tanq̃ in fine consistet illud, Erat, quod semper ante rationem nostram insequentem currit, & cogitationes se persequentes antecedit? Huiusce rei admiratione affectus Esaias, Generationem eius, inquit, quis enarrabit? Quia sublata est de terra vita eius. Verè.n.è terra tollitur ratio generationis Vnigeniti. Hoc est omnem eorum, qui in terra sunt, cogitationem orationemq; superat adeo, vt explicari nõ possit. Qui igitur creatus factusúe sit, cùm illum mens nostra, quæ res omnes creatas, & factas tempore, rationeq; definit, comprehẽdere nequeat? In principio erat verbum. Principium tempore circunscriptum non licet in Vnigenito cogitare, cuius essentia cunctis temporibus, & seculis superior est. Ac nullum pręterea finem in posterum admittit diuina natura. Talis.n. est eius æternitas, qualis in Psalmis decantatur. Tu autem, inquit, idem ipse es, & anni tui non deficient. A quo igitur principio nobis tempore quantitateq; dimenso filius superabitur, qui se ad exitum decurrere non patitur? quippe qui natura Deus est, & iccirco clamat, Ego, inquiẽs, sum vita. Principium.n. ipsum esse non potest, quin proprium finem aspiciat. Nam principium ad finem, & finis vicissim ad principium refertur, principium dico, quod tempore, & quãtitate declaramus. Itaq; cùm ipsis etiam seculis filius sit antiquior, in tpe genitus dici nõ potest. Erat autem semper in patre tanq̃ in fonte, vt ipsemet indicat, Ego, inquiens, à patre exiui & veni. In patre igitur, si vt fons consideretur, erat Verbum, sapiẽtia, & virtus, & figura, & splendor, & imago ipsius existẽs. Et cùm tempus nullum fuerit, quo sine Verbo, sine sapientia, sine figura, sine splendore, sine imagine pater extiterit, necesse est filium qui æterni patris est Verbum, & sapiẽtia, & cętera quę dicta sunt, æternum esse confiteri. Q̃uo.n. figura, aut exquisita imago est, nisi illius exprimit pulchritudinem, cuius imago est? Iam quod diximus, filium in patre tanq̃ in fonte esse, id minimè alienum est. Fontis.n. nomen hic solum, Ex quo, nobis significat. Est autem filius in patre, & ex patre, non extrinsecus factus, aut in tempore, sed in patre, & ex patris essentia, tanq̃ ex sole splendor ipsius, aut ex igne insita ipsi caliditas. In his enim exemplis vnũm sic & alio nasci videre est, vt semper cum illo simul existat, eiq; sic inhæreat, vt nunquam separetur, nec eorum alterum per se sine altero possit esse, aut veram naturæ suæ rationem conseruare. Q̃uo.n. erit sol, nisi splẽdorem habeat? aut q̃uo splendor, nisi in sole sit, & ab illo emittatur? Q̃uo ignis, nisi calorem retineat? aut q̃uo calor, nisi ab ipso igne proueniat. Vt igitur in his ea, quæ ipsis insunt, & ab ipsis defluunt, communem naturam non tollunt, sed ita semper cum genitoribus concurrunt suis, vt ostendant, vnde proficiscantur, seq; simul cum ipsis vnam habere naturam, sic etiam filius, licet in patre, & ex patre esse cogitetur, ac dicatur, non tamen vt alienus, aut peregrinus post ipsum incedit, sed semper in ipso, & cum ipso est, & ex ipso manat diuina & arcana ratione genitus. Quod autem filij principiũ duntaxat ex quo, Deus & pater à sanctis viris dicatur, audi Dauidem secundum Seruatoris nostri aduentum prenuntiantem, eumq; vt filium sic alloquentem: Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum tuorũ. Dies.n. virtutis filij erit ille, quo mundum vniuersum indi-

Psal. 80.
Esa. 53.
Io. 14.
Io. 13.
Psal. 109.

cabit, & oībus ꝑ cuiusq; operibus præmia tribuet. Veniet autem & ipse existens in patre, & in se patrem principio carentem habens, tanq̄ naturæ suæ principium, vt ita dicam, ex quo duntaxat est, qm̄ existit ex patre. Multa, & varię nobis ea, quæ vtilia sint, vndiq; aucupantibus, & exquisitam diuinæ doctrinæ, mysteriorumq; rationem more sagaciū canum peruestigantibus principij significationes occurrunt. Scrutamini sanctas scripturas, seruator ait, qm̄ in ipsis
Io. 5. vos putatis vitam æternam habere, & ipsæ sunt, quæ testimonium perbibent de me. Videtur igitur hoc loco Beatus Euāgelista per principium, hoc est, in omnia potestatem, patrem significare, vt super omnia conspiciatur diuina natura, quæcunque creata sunt sub pedibus habens, eaq;
Rom. 4. à se vocata, vt sint, fouens. In hoc ergo principio, quod in omnia potestatem habet, & est super omnia, erat Verbum non simul cum oībus rebus sub pedibus illius, sed extra res omnes in ipso naturaliter, tanq̄ fructus æternus, æterni genitoris naturam quasi locum habēs oīum antiquissimum. Quamobrem & liber ex libero natus patre rerum oīum simul cum ipso imperium obtinet. Sed iam tempus est, vt quamobrem hæc à nobis dicta sint, videamus. Temere quidam, vt superius dicebamus, tūc primum Dei Verbum vocatum esse contendebant, vt esset, cùm ex sancta Virgine templum sibi eligens pro nobis homo factum est. Ex quo sequebatur, vt natura nihil aliud esset, nisi creatum, & factum, & eiusdem generis, & conditionis, cuius sunt res omnes ex nihilo factæ. Ne igitur necessarium esset, filium cum rebus omnibus, quæ creatæ sunt, Deo & patri subiectum esse cōfiteri, & in seruorum ordine collocatum, non aliter, atque illos, subditum esse Principij potestati, quippe qui serò genitus esset. atq; vnus ex iis, qui in tempore facti sunt, necessario Beatus Euangelista in mendaces illos doctores acerbius irruens filium eximit ab omni seruitute, & ex libera, atque oīum principe essentia demonstrat esse, in eaq; naturaliter existere cōtendit, In principio, inquiēs, erat Verbum. Cùm principij vocabulo commodè cōiungit Erat, vt Verbum nō solum nobile sed etiam ante secula esse declaret. Erat.n. hoc loco contemplantis animū ducit ad altissimam quandam, & nunq̄ desinentē, & extra tempora constitutam ortus rationem, quæ verbis explicari nō potest. Nam erat, indefinitè pronuntiatum nullo nobis loco consistet, sed semper insequentem antecedet, & quod putabis illius finem, id noui ad superiora cursus esse principium animaduertes. Erat igitur Verbum in principio, quod est super omnia, sic in illo existens, vt Dn̄i naturaliter habeat dignitatem. Quæ cùm ita sint, qūo creatum, aut factum esse dicetur? Aut vbínam, Erat, vllo modo, Nō erat euadet, aut si euadet, quem in filio locum habebit?

Eiusdem ex libro de Trinitate.

SI nunquam fuit, inquiunt, cùm non esset, sed proprius est filius, & simul existit cum patre, cur filius ac nō frater potius appellatur? Eum cum patre æternum dicentes, filium etiam dicimus. Si æternum igitur simul cum patre diceremus, non autem filium, locum haberet vestra suspicio. Cùm autem pariter & æternum, & filium fateamur, quomodo filius genitoris frater esse queat?

Et hæc ex eodem libro.

SI fides nostra in patrem & filium est, atque ita baptizamur, quæ'nam hic fraternitas, vt ita dicam, apparet? aut quomodo Verbum frater esse potest illius, cuius est Verbum.

Et hæc.

NOn ex vllo antecedentē principio geniti sunt pater & filius, vt fratres etiam possint existimari. Sed pater est filij principium, & filium parit, & manet pater, nec vllius esse filius dicitur. Filius item filius est, & quod est, manet, nec frater cuiusquam natura dicitur. Quis igitur in his fraternitati locus?

Et hæc.

SI perfectus est pater, perfectum erit & quod ex ipso est. Si æternus præterea est, æternum erit & id, quod ex patre æterno est. Neq; gignentis adiunctum essentiæ, sed cum ipsa simul existens, nec, vt quidam volunt, imperfectum erit, vtpote factum in tempore, sed perfectum, quippe quod ante omne tempus existat.

Et hæc.

ARgumenta, quibus filij conantur æternitatem euertere, falsa sunt. Si diuina, inquiunt, natura secari non potest, quia in illam affectiones non cadunt, Quæ enim natura affectiones admittunt, sectionem etiam suscipiunt, non debemus dicere, filium esse ex patris essentia, nequa affectio, aut diuisio in simplici illa natura appareat. Si.n. quod ex alio est numero, diuersum est ab illo, ex quo est, & prouenit, sectio & partitio quædam in natura diuina perspicietur. Sin extrinsecus est, aduentitius accesit, & nō est simul æternus cum patre. Ineptè atq; imperite quæ corporum propria sunt, ea naturæ corporis experti quadrare volunt. Corpora.n. affectiones, & sectiones, & diuisiones suscipiunt, in naturam autem corporis expertem nihil cadit eiusmodi. Quare cum Deus corpore careat, sine partitione parit, gignit sine sectione. Quandoquidem & ignis ex se lucem parit, nec vllam tamen suscipit diuisionem, licet cogitatione lux ab eo proueniens ab ipso seiuncta videatur. Quod siquis non potest, quod corpore vacat, contemplari, quin illud corporeis necessitatibus subiiciat, is ꝓpriæ mentis accuset imbecillitatem, qua impeditus naturæ corporis experti congruentia nō potest intelligere. Et rursum qui filium æternum ex patre æterno genitum nequeūt intelligere, & iccirco, quod corpore caret, corporum conditionibus subiiciunt, idem patrem etiam negent, qm̄ quid natura sit, aut quantus sit, inuenire nō possunt. Quòd si ea, quæ supra nos sunt, fide comprehenduntur, supra nos autem est filij generatio, Generationē.n. illius, vt inquit Propheta, quis enarrabit? fide item hæc percipiatur, cessetq; illud, Non erat, quod promitur ex humanæ ratione infirmitate.

Et hæc.

SI lumen est Deus & pater, in ipso erat splendor ipsius. Si figura substantię patris est filius, vt Paulus ait, qui de ipso audent affirmare illud, Non erat, dicant, qn̄ sine figura patris substātia fuerit. Simul.n. cum substantia & figura ipsius existit. Si veritas & sapiētia filius est, qn̄ non fuit cum patre, in quo semper est veritas & sapientia?

Et hæc.

SI in filio cernitur pater, & filius est patris essentiæ imago certissima, & ideo, Qui vidit me, inquit, vidit patrem, necessarium est, vt natura habeat omnia, quæ pater habet. Sic enim imago erit absolutissima. Pater autem est immortalis, Rex, procreator, Omnipotens, Deus, effector. itidem & filius. Alioquin si factus esset, aut aliqn̄ non fuisset, id, quod æternum, & semper est, in eo non cerneretur expressum. Imagines autem semper exemplaris similitudinem referunt.

Eiusdem

Eiusdem ex secundo Thesauri libro, In ea verba: considerate Apostolum & Pontificem confessionis vestræ Iesum.

NOn Verbi naturam sed assumptæ carnis consilium explicans Apostolus dixit ea verba, quæ sequentur.
Heb. 3. Quando.n.fuit Pontifex confessionis nostrę? quando Apostolus? quando fidelis ei, à quo missus est? Nónne quando per nos & pro nobis factus est homo? Quando,
Io. 1. vt Ioãnes ait, Verbum caro factũ est, tunc ei, qui se fecit, vt
Io. 17. homo, fidelis fuit, implens opus suum, vt ipse dixit Tunc & confessionis nostræ Pontifex factus est offerens Deo & patri fidei nostræ confessionẽ, & corpus proprium tanquam immaculatam hostiã, vt ea nos omnes expiaret. Cùm igitur filius fidelis dicitur, aut factus Apostolus, seu Pontifex, ea verba non ad illius essentiam sed ad earũ rerum, & munerum qualitatem referenda sunt. Nã & Paulus cùm iam esset homo, factus est Apostolus, Et Moses item cùm iam existeret, fidelis fuit in tota domo eius. Et Aaron similiter Pontifex factus est in seipso iam tum formam exprimens seruatoris. Quemadmodum igitur Aaron Pontifex natus nõ est, sed multis post annis factus poderẽ induit, & superhumerale, & alia vestimentorum sacerdotalium genera, quæ à mulieribus erant confecta. Sic etiam Christus erat ille quidem in principio Verbum, post autem multo factus est Pontifex, hominẽ ex muliere affectionibus obnoxium tanquam poderẽ induens, vt proprio sanguine populum expiaret, seipsum vt agnum immaculatum offerens Deo.
1. Pet. 3. Nullum.n.admisit peccatum, nec inuentus est dolus in ore eius.

Ex eodem libro in ea verba: Et Dominum ipsum & Christum fecit Deus.

DOminum ipsum & Christum fecit Deus, non tunc efficiens, vt esset. Erant.n.semper, & antequam carnem assumeret, Dei Verbum. Nec quisquam rectè sentiens, hoc loco vocem illam, Fecit, ad eius essentiam referet, ne impius esse deprehendatur, tum primùm asserens Dei Verbum extitisse, cùm & homo factum est. Fecit igitur sic accipiendum est, vt significet, declarauit. Quemadmodum & ipse Petrus antea cum Iudæis loquens demonstrabat, Iesum, inquiens, Nazerenum virum declaratum à
Act. 2. Deo iustum in vos virtutibus, & prodigiis, & signis, quemadmodum & vos scitis. Factis ergo declarans dignitatem patris in se existentem Dominus fit credentium in eum, & ipse quoque declaratur esse Christus. Itaque Iudæis non
Io. 10. credentibus dicebat. Et si mihi nõ creditis operibus meis credite, vt sciatis, me esse in patre, & patrem in me. Et rursum, Nisi facio, inquit, opera patris mei, ne credatis mihi. Si autem ex eo, quòd potest facere opera patris sui, & habere in seipso patrem, & ipse vicissim esse in patre, Deus verus declaratur, hac ratione factus est in seipsum credentiũ Dominus, & Christus apparuit. Quod autẽ à Deo factus Dominus dicitur, & id rectè habet. Dum.n.ex factis agnoscitur germanus, & verus filius Dei, dominatur iis, qui iam propriam ipsius dignitatem non credebant, & paternæ vocis testimonio Deus comprobatur. Posteaquam.n.cognitus est esse Dei filius, factus est Dominus, nõ quòd tum primum Dominus esse cœperit. Semper.n.Deus & Dominus fuit, sed quia cùm à credentibus agnitus est Dominus tunc eorum Dominus factus est.

Ex eodem libro in illa verba: Clarifica filium tuum.

QVodam loco patrem suum alloquens Christus, Io. 17.
Pater, inquit, venit hora, clarifica filium tuum. Si planè nouit aduenisse horam, quã dicit aduenisse, quid prohibet, eũ & illam nosse, quã vt homo quidem ex humanitatis decoro se dicit ignorare, cũ tamen vt Deus nihil prorsus ignoret? Non igitur propter hoc dictum, incusandum est Dei Verbum, nec temere illi inurenda vlla ignorantię nota, sed potius eius benignitas admirabilis existimanda, quòd propter suam erga nos Charitatem, ita sese demittere nõ recusarit, vt affectiones nostras omnes susciperet, quarũ vna est ignorãtia. Attamẽ ex istis, qui Christum oppugnant, quæramus, cur seruator Angelos & filiũ nominans spiritus mentionem nõ fecerit. Neque.n.dixit, spiritus non nouit, sed Angeli non norunt non nouit filius. & id absolutè, non.n.adiunxit, Dei. Perspicuum est, eum dixisse, Angelos ignorare, quia creati sunt: Noluisse aũt Apostolis arcanam diuini consilij rationem indicare. Quis.n. Rom. 2.
nouit mentem Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Ne videretur autem ipsos celare, néue tristitia illos afficeret, etiam se negauit id scire, humanius quidem de se vt de homine loquens, sibi tamen omnium scientiam reseruans vt Deo. Quamobrem nec spiritum dixit ignorare. Si.n.spi 1. Cor. 2.
ritus, vt scriptum est, scrutatur etiam profunda Dei, nouit vtique omnia, quæ potest facere, à filio accipiens. Ille.n.in Ioan. 16.
quit, ex me accipiet. Quomodo igitur ignoret Verbũ, cùm omnia cognoscentem spiritum clargiatur?

Ex eodem libro in ea verba: De illa autem die aut hora.

SI omnia, quæ pater habet, filij sunt, vt ipse filius ait, pater autem diem & horam illam cognitam habet, eam nimirum & filius nouit. Sic.n.verum esse constabit dictum illud: Omnia, quæ pater habet, mea sunt.

Ex eodem libro in ea verba & omnia dedit in manu eius.

A Patre non dicitur accepisse filius, propterea quòd non habuerit. Nam, cùm sit proprium ipsius Verbum & splendor, habet omnia naturaliter, quę patris sunt, præter vnum id, quòd non dicitur pater. Ob id autem se accepisse dicit à patre, vt tanquam Deus euertat suspiciones Hæreticorum. Ne quis.n.filium videns omnia patris habentem ex maxima illa similitudine, & nulla re diuersa eiusdem naturæ ratione putaret eundẽ esse patrem, & in Sabellij errorem incideret, à patre se dixit accepisse, quæ naturaliter habet, vt illis verbis ostendens, vnum esse qui dat, & alterum, qui accipit, duas personas non nomine solùm, sed suis distinctas proprietatibus indicaret. Attamẽ cùm proprius patris sit, & ex illius essentia emanet, omnia quæ patris sunt, habet naturaliter, ab ipso autem se accepisse dicit, quoniam ab ipso proueniens habet omnia, quæ illi adsunt.

Et hæc.

SEruatorẽ dixisse reperimus: sicut pater habet vitam in semetipso sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Io. 5.
Quæ sic intelligenda sunt. Ex eo, quòd dicit, Dedit, habere se à patre significat, naturaliter, seq; persona distinctum ab illo, qui dedit, & numero alium esse. Ex eo, autem quòd dicit, vt pater habet. Sic & filius habet, planè

demonstrat, quemadmodum pater in seipso vitam habet ab omni æternitate, sic & filium ab omni æternitate in seipso vitam habere.

Et hæc.

SI quis splendori ex sole prouenienti dicendi tribueret facultatem, isq; tunc ita loqueretur. Lux omnia mihi, quæ sua sunt, dedit: Illustro enim, quemadmodum & illa: possemus'ne merito dicere, splendorem vnquam illustrandi vim non habuisse? Quòd si semper illustrare volens, quoniam omnia, quæ lucis sunt, habet, & ab ipsa nascitur luce, ab ea se dicit accepisse, nónne absurdum est, non amplius aliquid, q̃ quod exemplo eiusmodi continetur, de Verbo Dei cogitare. Omnia enim habens naturaliter à patre, se ab eo accepisse dicit, quoniam ex illo cum omnibus, quæ habet, genitum est.

Ex eodem libro aduersus Arianos responsio ex illis verbis: Vt cognoscant te solum verum Deum.

Io. 17. ECce, inquit, filius ipse solum esse verum Deum patrẽ ipsum confitetur. Quinetiam pater ipse ita locutus reperitur: Ego Deus primus, Ego, & post hæc, & non est Deus præter me. Quõ igitur vos primo, & soli, & vero Deo, & patri, filium, tanq̃ & ipse sit Deus, adiungitis? Illud primum sciendum est, patrem non ideo ita locutum esse, vt filium tolleret. Qua enim ratione queat ad hoc incitari? Nisi forte hominum more cum filio pugnat, vt Dauid cũ filiis suis. Tunc.n. eiusmodi indignatio probabilis videat̃. Quòd si nulla in natura diuina seditio, nulla pugna esse potest, sed potius apparet, filium semper tribuere gloriam patri, quæ ratio est, vt patrem, quo filium tolleret, ea verba dixisse suspicemur, ac non potius, vt falsos Deos euerteret, ita locutum esse fateamur? quid? Quòd seruator, cùm dixisset, Vt cognoscãt te verum Deum, de se statim subiicit, & quem misisti, Iesum Christum, vt qui non sit à patris essentia separatus, quãtum ad Diuinitatis rationem attinet, sed semper cum patre coniunctus?

Ex eodem libro in illa verba: Iesus autem proficiebat.

QVod in aliqua re ꝓficit, ab illa diuersum est. Quare si in sapientia proficere dicitur, non ipsa crescebat sapientia, sed in ea crescebat eius humanitas.
Luc. 2. Cùm enim quotidie magis in ipso Diuinitas patefieret, & declararetur, ipse semper admirabilior spectantibus videbatur. Hoc autem significant illa verba: Proficiebat in sapientia.

In eadem verba.

IN sapientia proficiebat humanitas hoc modo: Sapiẽtia (id est Dei Verbum) hominis naturam induta factis & operibus admirandis templum à se delectum, & assumptum oculis intuentium diuinum reddens proficere faciebat. Atque ita humanitas diuina per sapientiam effecta proficiebat.

Et hæc.

QVoniam crescere, carnis est proprium, in ipsa dicitur crescere, cuius affectiones proprias acceperat, nullius enim, nisi ipsius Verbi erat caro. Quamobrem vt ipsum dicimus carne passum, licet caro sola passa sit, quia quãquam vti Deus passum non est, caro tamen, quæ passa est, ipsius fuit, sic etiam dicitur crescere, nullum vti Deus accipiens incrementum, sed quoniã in ipso proprium crescit corpus ipsius.

Ex eodem libro, in ea verba Pater clarifica me.

NOnne, inquiunt, absurdum est, filium patris essentia similem dicere, qui gloriam ab ipso postulat, Pater, inquiens, clarifica me ea gloria, q̃ habui, antequam Io.
mundus fieret, apud te? Si.n. habet quod petit, frustra petit, si non habet, perspicuum est, ipsum non esse tantum, quantus est is, qui illam præbet. Qui verborum vim, & significationem diligenter exquirunt, inueniunt verbũ hoc, gloria, apud Græcos dupliciter accipi. Modo.n. honorẽ, modo opinionem, & cognitionem significat. Quãobrem si quis eorum ex te quæreret, ecquid de sole, aut de elementis sentires, illáne creata duceres, necne, ea voce, qua nunc vtitur Christus, vteretur. Itaq; cũ dicit: Pater clarifica me ea gloria, quã habui ante te prius, q̃ mundus esset, perinde est, ac si dicat, Ego salutis humanæ gratia factus homo, talis existimor, qualis ex hac hominis specie videor, nec populus me filium esse ante secula cognoscit, clarifica igitur me, pater, hoc est, illustra me, talem hominibus cognitionem infundens, qualem habere debent de illo, qui sit ante secula, habebunt autem si intelligent, me esse lumen de lumine, & veritatem ex patre vero. Hoc per inductionem maximè nobis patefiet. Clarifica.n. me, inquit, hoc est, perspicuum me fac, & manifestum, qñ & ego nomen tuum hominibus patefeci. Si igitur, quod ipse fecit, id sibi postulat, clarificauit autem patrem, nomen illius hominibus patefaciens, sic etiam ipse vult à patre clarificari, dum per patrem ab hominibus cognoscitur. Atque ita Christum impugnantium oratio inepta esse deprehenditur, cum dicũt, honore & gloria filium indigere.

Ex eodem libro, Apostolorum sententiæ sexdecim quibus filium natura Deum nõ autem factum, aut creatum esse demonstrat.

AD eos, qui in propriis erroribus obstinate perseuerant, nec volunt resipiscere, & improbitatis opera tanq̃ indissolubili vinculo deuinciunt, secundum Ro.
duritiam tuam, inquit Paulus, & impœnitẽs cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, & iustitiæ, & reuelationis Dei, qui reddet vnicuiq; iuxta opera sua. Idẽ rursum alio loco, omnes, inquit, nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, 2.Co.
siue bonum, siue malum. Si omnes sistemur ad tribunal Christi. Pater.n. non iudicat quenquam, sed omne iudiciũ dedit filio. Io.5.
Et ipse pro suis cuique factis præmia tribuet, qũo non est Deus, cùm Paulus dicat, reuelationem fore iusti iudicij Dei? Nempe sententiam latam iri, in singulos eorum, qui ab ipso iudicabuntur: cùm improbos quidem sic appellabit: Discedite à me maledicti in ignem æternũ. Mat.
Pietatis autem erga se studiosos, & amãtes alloquetur hoc modo: Venite benedicti patris mei, & quæ sequuntur.

Eos, qui iustificantur per fidem in Christum alloquens 2.
Paulus, Arbitramur.n. inquit, iustificari hoĩem per fidem, sine operibus legis. Ro.
An Iudæorum Deus tantum? Nónne & gentium? Immo & gentiũ. Qm̃ quidem vnus est Deus, qui iustificabat circũcisionem ex fide, & præputiũ ꝑ fidẽ, Quod quidẽ inuenimus à Christo fieri. Promittens.n. iustificare credentes in se, Io.6.
Amen, inquit, dico vobis, q̃ credit in me non iudicat̃, sed habet vitam æternã. Quare si Dei solius est proprium iustificare, iustificat aũt Christus, qũo nõ est natura Deus? Si autem natura Deus, non igitur factus.

3. De patre nostro Abraham ita quodam loco Paulus ait:
Rom. 4. Qui pater est omnium sicut scriptum est. Quia patrē mul-
Gen. 17 tarum gentium posui te coram Deo, in quem credidisti,
qui viuificat mortuos. Cùm igitur Dei sit, mortuos viuifi-
Io. 14. care, Christus autem dicat, Ego sum vita: Et rursum, Qui
Ioan. 6. credit in me, habet vitam æternam, & ego suscitabo eum
Io. 11. in nouissimo die; Et rursum, Ego sum resurrectio, & vita,
quis mentis compos non fateatur, eum eiusdem esse essen
tiæ cum patre, germanumq́; & verissimum filium, & om-
nia in seipso, quæ patris sunt propria, naturaliter ferre? Qđ
si ita est, Deus est, non autem creatus, aut factus.
4. Se Diuinorum Mysteriorum dispensatorem ac mini-
strum ostendens Paulus, Audacius, inquit, scripsi vobis ex
parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gra-
Rom. 15. tiam, quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Ie-
su in gentibus sanctificans Euangelium Dei, vt fiat obla-
tio gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto. Ecce
iterum hic accepisse affirmat se in gratiæ parte, vt sit mi-
nister Iesu Christi. Ac sacræ deinde administrationis ra-
tionem exponens ait, in Euangelium Dei. Atqui Chri-
stum Iesum prædicans, atque denuntians nouit natura
Deum esse Iesum. Non enim appellasset Deum, nisi na-
tura esset Deus. Neque tantopere gloriaretur, Placuit,
inquiens, Deo, reuelare filium suum per me, si creatus, &
factus esset.
5. Si enim, inquit, cognouissent, nunquam Dominum glo
1. Cor. 1. riæ crucifixissent si gloriæ Dñs est, qui cruci suffixus fuit pro
nobis, quomodo non & natura Deus est? Aut quomodo
Esa. 6. creatus, aut factus est ille, quem Seraphim decantant, &
celebrant, dicētes plenum esse cœlum, & terrā gloria eius,
eumq́; Dominum Sabaoth appellantes. Nam quòd hæc
de ipso dicant, non est dubium, siquidem, vt Paulus ait, est
gloriæ Dominus.
6. Sic nos, inquit, existimet homo, vt ministros Christi, &
1. Cor. 4. dispensatores Mysteriorum Dei. Si filij mysterium Paulus
vocat mysterium Dei, quomodo non erit natura Deus?
Aut quomodo in eorū, qui creati sunt, numero collocabi-
tur, qui per Apostolos pædicatur? Aut quomodo nō dicet
verum is, qui Dei mysterium appellat Euāgelium Christi?
Col. 1. & magna cum fiducia, Neq; enim, inquit, ego ab homine
illud accepi, neq; didici, sed à Deo nimirum? Cùm igitur
is, qui diuinitus edoctus est, Deum esse filium tradat, quis
aliter docentes ferat?
7. Quare nolite, inquit, ante tempus iudicare, donec ve-
1. Cor. 4. niat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum,
& manifestauit consilia cordium, & tunc laus erit vnicui-
que à Deo. At in Euangeliis legimus Christum secundi ad
uentus tempore à dextris quidem oues, à sinistris autem
Matt. 25. hædos collocaturum, missurumq́; in ignem æternum ope
rarios iniquitatis. Illis autem, qui dextrum obtinebunt lo-
cum, cum laude præmia tributurum, eos sic alloquentem:
Venite benedicti patris mei, accipite paratum vobis re-
gnum à constitutione mundi. Cùm igitur virtutis studio-
sos Deus sit collaudaturus, eorum autem Christus erit ipse
laudator, quomodo factus est, ac nō potius Deus ex Deo,
ex patris existens essentia, & propterea Deus, quemadmo
dum & is, à quo genitus est?
8. Nolumus enim, inquit, vos ignorare fratres, de tribu-
2. Cor. 1. latione, quæ facta est nobis in Asia, quia supra modum,
supra virtutem grauati sumus adeo, vt tæderet nos etiam
viuere. Sed ipsi in nobis ipsis respōsum mortis habuimus,
vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat
mortuos. Ecce rursum hic dicit esse Deum, qui mortuos
in vitam reuocat. Hoc autem Christus efficit, modo,
Ego sum, inquiens, resurrectio & vita, Modo, Qui credit, Ioan. 11.
inquiens, in me, habet vitam æternam, & ego suscitabo Io. 6.
eum in nouissimo die. Filius ergo est natura Deus, cùm ea
præstet, quæ Deo soli conueniunt. Non igitur creatus, aut
factus est.
Deo, inquit, gratias, qui semper triumphat nos in Chri 9.
sto Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos. Qui 2. Cor. 2.
Apostolicis & Euangelicis prædicationibus manifesta-
tur, quis alius est, nisi Christus? Ipse nimirum est odor
notitiæ Dei, & patris. Nemo enim, inquit, venit ad pa-
trem, nisi per me. Et rursum, Qui vidit me, inquit, vidit Ioā. 14.
patrem. Cùm igitur sit odor patris, non est essentia diuer-
sus ab eo, sed quemadmodum bonus odor florum natu-
raliter ab ipsis proueniens indicat floris genus, vnde tan-
quam ex patre natus est, sic & filius essentiæ paternæ ex
qua ipse est quidam veluti odor genitorem declarat suum.
Non igitur factus, nec creatus, quando nec eiusmodi pa-
ter est.
Notum vobis facio, fratres, Euangelium quod euan- 10.
gelizatum est à me, quia non est secundum hominem, ne- Gal. 1.
que enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed
per reuelationem Iesu Christi. Videamus ergo quid de fi-
lio dicat, qui ab eo mysterium ipsius accepit. Iesus Chri-
stus, inquit, heri & hodie, ipse & in secula. Ecce, q̄ aperte
in natura immobili, & incommutabili filium esse fateatur,
quod proprium est solius Dei, & patris, nulli autem rei
adest procreatæ. Si solus igitur Deus & pater est immuta-
bilis, eiusdem autem naturæ & filius est, semper existens
id, quod est is, à quo ipse genitus est, quomodo erit vnus
ex iis, qui facti sunt, qui essentiæ ratione, quam nulla vis
orationis assequi potest, solus ei, qui ipsum genuit, similis
est, & id existit natura, quod pater est, hoc vno excepto,
quod non est pater?
Fratres, obsecro vos, nihil me læsistis, scitis autem, 11.
quod per infirmitatem carnis euangelizaui vobis prius, Gal. 4.
Et tentationem, in carne mea non despexistis neque spre-
uistis, sed sicut Angelum Dei accepistis me, sicut Christum
Iesum. Galatarum pietatem erga Deum & amorem in se
Paulus commendans, & vehementer admirans sicut An-
gelum Dei, inquit, accepistis me, & quod maius est, ad-
dens, sicut, inquit, Christum Iesum. Quantum autem Chri
stus Angelis præstet, ipse doceat, cùm autem, inquiens in-
troducit primogenitum in mundum, dicit, & adorēt eum Heb. 1.
omnes Angeli Dei. Et rursum, cui enim dixit aliquando
Angelorum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te? Et rur- Psal. 98.
sum, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Psal. 109
donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.
Scriptum est item de illo: Qui facit Angelos suos spiritus, Psal. 102.
& ministros suos flammam ignis. Cùm igitur tanta sit dif-
ferentia, vt filius quidem adoretur, Angeli autem seruiant
ei: Et ille quidem vt Rex, & filius, & Dominus sedeat, hi
vero ad exequenda mittantur munera, quomodo non
est Deus, quem & Angeli natura Deum agnoscunt? Si
enim, vt inconsiderate isti dicunt, factus est, apparet, non
solum nos, sed ipsas cœlestes decipi virtutes, adorantes
rem creatam præter creatorem. Quòd si absurdum est
dicere, sanctos Angelos errare. Sed vera potius in illis est
cognitio Dei, & adorant eum, vt natura filium, non igi-
tur creatus aut factus est. Quod enim factum est, non po-
test esse natura Deus.
Quamobrem fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, 12.
qua libertate Christus nos liberauit, state. Si Domini est li- Gal. 4.
berare, Christus autem liberat nos, & à iugo seruitutis exi-
mit, in adoptionem vocans, nō est ipse seruus sed filius, &

Dominus,& quod ipse per naturam est, id dignis per gratiam elargitur.

13. Ephe. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium,& per omnes, & in omnibus. Cùm vnus sit Dominus Deus, & pater, quomodo filius si factus, & creatus est, erit Deus? Quæ.n.creata sunt naturam habere seruilē, perspicuum est. Prȩterea si fides est vna, quomodo qui credit in filium, in patrem credit, si vt temere quidam opinanī, à communione patris naturali seiungitur? Vere igitur Domini,& Dei patris filius est Dominus,& qui in ipsum credit, in patrē credit, cùm ex patre, & in patre filius naturaliter existat, & in se vicissim ipse patrem habeat, simulq́; cum patre Deus consideratur, & collaudatur, atq; ita credentium fides ad vnam Diuinitatem colendam cócurrit. Quomodo igitur in rerũ, quæ creatæ sunt, numero ponatur filius, qui vti verus essentiæ fructus omnia habet cum patre communia, non autē, vti nos, est, qui tanquam surculi quidam insiti sumus,& adoptati?

14. Ephe. 5. Estote imitatores Dei, sicut filij charissmi, & ambulate in charitate, sicut Christus dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis. Vide rursum hic, quomodo quē Deum nouit, Christum appellet. Cùm.n.dixisset, oportere nos esse imitatores Dei, statim ipsum subiicit, & docet, quemadmodũ debeamus illum imitari, sicut, inquiens, & Christus dilexit nos,& seipsum tradit pro nobis. Cùm igitur Christus & natura sit, & appelletur Deus ab eo, cui creditum est Euangelium à Deo & patre, quis aliter docentes sustineat? Qui autem est natura Deus, quomodo creatus, factusúe sit?

15. Ephe. 5. Hoc.n.scitote, intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, qui est idolorũ cultor, nō habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. Ecce rursum Christum nominans statim ipsum vocat etiā Deum, tanquam Deus & pater in ipso regnet, & ipse vicissim in patre. Sic enim & Christus indicabat, Deum vt patrem alloquens,& omnia, inquiens, mea tua sunt, & tua mea. Vnum autem omnium est regnum commune filio cũ patre,& patri cum filio, simul cum ipsis nimirum regnante, & spiritu sancto. Sic.n.sancta & adorata Trinitas ad vnam reducitur naturam Diuinitatis. Quomodo igitur creatum factumúe sit Verbum, quod in patre,& cum patre regnat?

16. Ephe. 5. Nemo vos seducat inanibus verbis. propter hȩc.n.venit ira Dei in filios inobedientiæ. Inobedientiæ filij sunt oĩno, qui à seruatoris legibus peccantes recedunt. Quòd si is, Mat. 25. qui contumacibus istis irascetur, ipse est seruator, qui, di-Luc. 13. scedite, inquit maledicti à me in ignem æternum, Si Deum hunc beatus Paulus & nouit,& verbis his probat, quis graue eorum, qui eum creatũ,& factum esse contendunt, feret impudentiam?

Eiusdem ex commentariis in Ioannis Euangelium aduersus Arianos dicentes diuersum intimum Dei Verbum a filio.

ALium, inquiunt, esse deprehendimus filium, q̃ sit intimum Verbum. Idq́; non propriis nobis opinionibus, sed scripturæ testimoniis adducti persuademus. Cùm.n.filiũ audimus ita patrem alloquentem: Pater Io. 17. clarifica filium tuũ. Patremq́; vicissim ita respondentem: Et clarificaui, & iterum clarificabo, nónne in Verbo respondisse patrē filio concedemus? Quomodo igitur Verbum illud, quo pater filio respondet, non diuersum sit ab ipso filio? Quid istis miserius esse potest, si proprie, & verè fuisse patris putant illam vocem quam non seruator solus, sed ipsa Iudæorum multitudo, & discipulorum cœtus audiuit? Aequius erat, præstãtiora quædam,& Deo magis conuenientia cogitare, q̃ ea, quæ supra nos sunt, legibus nostris subiicere. Nã aures corporeas ictu suo vox corporea verberat. Cõsilium autem patris, quod inexplicabili voce tacite,& tanq̃ in mente versatur, solus filius qui in ipso naturaliter, vtpote sapientia ipsius, est, nouit. Deum verò voce, quæ cum strepitu pronuntietur, vti, planè est incredibile, si tamen volumus, præstantissimam illam naturam rebus procreatis antecellere. Quãquam & ipse Dominus noster Iesus Christus non dixit, eam esse Dei,& patris, neque se, vt patris consilium intelligeret, interpretis indigere. Itaque, Non propter me, inquit, hæc vox facta est, sed propter vos. Alioquin debuisset dicere. Audiuistis mecum vocem patris? Nunc autem dicit, se illius vocis non eguisse, sed propter ipsos factam esse affirmat, non autem à patre pronuntiatam. Quòd si omnia per ipsum Deus,& pr̃ agit, per ipsum nimirum & illa facta est. Ipse.n.erat vox nõ sibi patris voluntatem explicans, quam vti filius nouerat, sed auribus circunstantium, vt crederent.

Et hæc.

AVdi Euangelistam dicentem: Hoc erat in principio apud Deum. Sic enim ea, quæ supra dixerat tãquam in summam quandam redegit. Addens aũt illud: Hoc, videtur quodammodo clamare: Quod est in principio, quod est apud patrem Verbũ, & Deus ex Deo, hoc illud est, de quo in præsentia scribere constituimus. Non frustra mihi videtur hæc verba addidisse. Hoc erat in principio apud Deum. Diuino.n.spiritu ad eorum, quæ futura erant, cognitionem percipiendã illustratus, non ignorauit, vt mihi quidem videtur, & vt verè licet loqui, quosdam fore p̄ditionis operarios, Diaboli laqueos, filios mortis, qui dicerent aliud esse intimum illud in Deo & patre Verbum, cui similis admodum sit filius, & Verbum hoc, per quod omnia Deus agit, vt verbi verbũ, & imago imaginis,& splendoris splēdor intelligatur. Proinde quasi iam tum impios istos homines audiret, execrãdis ipsorum opinionibus scriptisq́; merito commotus Beatus Euãgelista, cùm definisset, & copiose, vt oportebat, declarasset, vnũ, & solum,& verum ex Deo,& in Deo, & apud Deum esse Verbum, terribili voce clamat, Hoc, inquiēs, in principio erat apud Deum, vt filius nimirum apud patrē, vt intimus, & ex ipsius essentia, vt Vnigenitus. Hoc, inquam, cùm Dei nullum sit aliud Verbum.

Eiusdem ex Thesauri libro primo in ea verba: sic dedit & filio vitam habere in semetipso.

SEd quomodo potest, inquiunt, filius esse similis patri, aut post ipsum non esse, cùm ab eo aliquid accipiat? sic enim ipsemet loquitur: Quemadmodum pater vitã habet in semetipso, sic dedit & filio, vitam habere in semetipso. Essentiæ verbi nihil officit, ò viri optimi, q̀ à patre aliquid accipiat. Neq;.n.in eo, quod accipit, habet vt sit. Sed cùm prius existat & sit, accipit. Ex patre enim genitus accipit omnia, quæ patris sunt propria. Vt si lux è sole proueniens aliquid ab eo dicatur accipere, quoniam quicquid in ipsa est, id solis eam parientis esse constat. Neque solem ante splendorem esse concludent necessario, q̃m ipse ab illo sine vlla diuisione progrediens quodammodo accipit, vt ipsius ferat proprietatem. Semper enim cum ipso erat lux, & ex ipso manans, quæ illi adsunt, naturaliter tulit. Nó igitur ex eo, quòd accipit aliquid à patre, necessario sequitur,

quitur, vt patre sit filius tempore posterior. Nã ei, qui est, atque existit, dabit aliquis, non ei qui nondum existit, nec natus est.

In eadem verba.

Io. 6. SI filius natura nõ est Deus, quomodo verum dicit, Qui
Io. 8. credit, inquiens, in me, habet vitam æternam? Et rur-
Io 11. sum, Qui credit in me, non gustabit mortem in æternum? Dicendum.n.erat, Qui credit in me, accipiet vitam à me, quam dedit mihi pater. Et, Eum qui credit in me, nõ permittet pater, mortem gustare. Nunc autem non ita loquitur, sed vitam in se credentibus pollicetur, tanquam eã ipse per naturam & essentiã habeat. Quare non debemus existimare, filium à patre vitã, quasi eam non haberet, accepisse. Id.n.esset absurdissimum. Sed vt ante dictum est, illũ ex patre proficiscentem omnia, quæ ipsius sunt, naturaliter esse consecuta. Et ideo tanquam acceperit, imago & splendor ipsius consideratur. Vnum autem eorum, quæ patris sunt, est etiam vita.

In eadem verba.

Ioan. 5. CVm filius dicit: sicut pater habet vitã in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso, aperte declarat certissimam & expressam similitudinem, quam habet cum patre. Sic.n.vitã habet, vt pater, hoc est, naturalem & per essentiam. Nam illud, Dedit, adiungens, ortum suum ex patre naturalem & per essentiã significat. Neque.n.pater ita dedit vt sibi aliquid eorum, quæ habet, adimeret, filioq; non habenti daret, id quod in corporeis sectionibus solet contingere, in quibus & interuallũ vnius ab altero, & locus, & diuisio requiritur. Sed quemadmodũ arbor fructui ex se nato naturalem suam tribuit qualitatẽ, sic filius intelligitur accepisse à patre, quæ pater habet. Cũ sit illa omnia, quæ pater est, præter id vnum, quòd non est pater.

In eadem verba.

Ioan. 14. QVi vidit me, inquit Christus, vidit patrẽ. Quamobrem, si, quemadmodum colligis, per gratiam, non autem per essentiam habet, vt vita sit idẽ dicetur etiam de patre. Quam quidem rationem si vt absurdum vis euitare, contrarium fatearis, necesse est, nempe filium vitam esse per naturam.

In eadem verba.

Ioan. 5. SI filius non, vt pater, per naturam est vita, quomodo eandem, quam ipse pater, actionem habet? Quodã.n. loco Christus ait: sicut pater, quos vult, viuificat, sic & filius, quos vult, viuificat. Neque.n.dicent aliter illos viuificari, qui à patre viuificãtur, q̃ eos, qui idem accipiunt à filio. Sic.n.inquit, patrem viuificare, sicut filius viuificat, q̃ pater habet, eandem habere se actionem significans. Non igitur ei, qui se genuit, dissimilis est, sed vt pater, sic & filius vita per naturam dicitur.

In eadem verba.

1. Tim. 6. QVæ Deo & patri per naturam atque essentiam adsunt proprietates Paulus commemorans, solus, inquit, habens immortalitatem. Si igitur non aliud immortalitatem esse definiet, nisi vitam, filius autem ipsa
Io. 14. est, Ego enim, inquit, sum vita, Pater habet vitam in se, filium nimirum, nec aliud quicquam præter ipsum. Et ipse vicissim pater, cùm vita sit, se filio dedit, non tanq̃ corpus degens in corpore, neq; filio propriam ita cedens personã, vt in ipso deinceps hbeat, vt sit, sed id existens, quod est, nempe pater & Deus, eiusdem essentiæ naturæq; vinculo cum verbo ex se proueniente arcana rõne coniungitur.

In eandem sententiam.

QVæcunque patri per naturam & essentiam adesse dicuntur, ea omnia est filius. Solus verus Deus dicitur pater, quia solus habet filium dicentem: Ego sum veritas. Solus capiens, & potẽs, q̃m filiũ habet eiusmo Io. 14
di. Chrs.n.Dei virtus, & Dei sapientia. Solus dr̃ lucem habitans inaccessam, quia in seipso filium habet, dicentem, 1. Cor. 1. 1. Tim. 6
Ego sum lux mundi. Solus habere dicitur immortalitatem, Ioan. 8.
habet.n.in se filium dicentem, Ego sum vita. Itaq; si quic- 1. Tim. 6
quid est patris proprium, id filius est, cùm vitam habere dr̃ Io. 14.
in semetipso, filium habere demonstratur, nec aliud quicquam preterea. Ipse vicissim existens in filio per expressam & nulla re discrepantem essentiæ similitudinem, cùm vita per naturam sit, seipsum filio dedit.

In eandem sententiam.

CVm per naturã sit filius vita, quatenus homo factus est, eam se à patre dicit accipere. Hoc aũt in sequentibus aperte confirmabit, potestatem sibi traditam exponens. Et potestatem, inquit, dedit ei, vt & iudicium fa Io. 5.
ceret, quia filius hominis est. Quòd si, quia filius est, propterea dicitur accepisse iudicandi potestatem, eandem rationem repetẽtes dicemus, Quoniam filius hominis factus similitudinem eorũ gerit, qui omnia à Deo accipiunt, propterea dicitur & vitã accepisse, sola & nuda diuina natura seruans, vt nec rei cuiusquam particeps fiat, & omnibus omnia possit dilargiri.

Eiusdem ex libro de sancta Trinitate.

QVòd autem omnia possit præstare, quæ pater potest, aliis item rationibus licet intelligere. Nunc.n. Io. 5.
dicit, Pater meus vsq; modo operatur & ego ope ror. Nunc autem sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, Io. 5.
sic & filius quos vult, viuificat. Quos vult, inquit, non aũt quos iussus est. Quos vult, non autem, quos illi mandatur. Hoc.n.est serui, illud Domini. Et alibi, Nisi facio, inquit, Io. 10.
opera patris mei nolite credere mihi, si aũt facio, etsi mihi nõ vultis credere, operibus credite, & cognoscite, patrem in me esse, & me in patre. Videte & hic rursum patris & filij æqualitatem. Pater enim, inquit, in me est, & ego in patre. Quod in re maiori, atque minori contingere, aut reperiri non potest. Exempli gratia. Omnes res procreatas, quę vel videntur, vel non videntur in se ipso circunscribit omnium Deus, immo verò manu complectitur vniuersas. In manu enim eius, inquit, sunt omnes fines terræ. Et rursum, Psal. 94.
qui continet, inquit, orbem terræ, & omnes habitantes in ea sicut locustas. Et alibi, quis mensus est, inquit, aquam manu, & cœlum palma, & terram pugillo? Rerum igitur Esa. 40.
vniuersitatem, vt dixi, in manu continet, omnium procreator, ipse autem ab eis comprehendi non potest. Quamobrem patet, quæ inæqualia sunt, non posse vicissim se cõprehendere. Quòd diuersum est, vt certe est, capit autem filius patrem, & pater filium, omni profecto inæqualitatis ratione reiecta in patre & filio cognoscitur æqualitas.

Ex eodem libro.

QVantus, bone Deus, Hæreticorũ est stupor, quãto laborant insaniæ morbo, q detestandæ Arij & Eunomij doctrinæ sunt hæredes? Magna præterea in eorum stupore atq; insania viget impudentia. Missionem enim, seu legationem diuinam, humanãq; commemorãt, & eum qui misit, illo, qui missus est, honorationem esse cõtendunt. Tanta est ipsorum in scripturis imperitia. Nec animaduertũt Iacob in Mesopotamiam ab Isaac quidem

missum esse, nec tamen ob id, quantum ad naturam pertinet, minorem eo, à quo missus fuerat, extitisse. Ioseph rursum à Iacob ille quidem missus est, vt fratres inuiseret, nec propterea tamen eum quisquam natura patre inferiorem dicet, quòd patris mandato obediens, quo missus fuerat, profectus est. At licet naturæ ratione mittentibus inferiores, inquient, non sint illi, quos fuisse missos dicis, paternæ tñ cedunt dignitati. Immò reperimus, ò stulti, & dignitate præstantiores ab inferioribus mitti, neque tamen iccirco suam amittunt dignitatem. Ionathas enim Regis filius à Dauide missus est, is, qui cum patre regnabat, ab eo, qui ne seruum quidem iam audebat se profiteri. Quouiam igitur hic quidem misit, ille autem missus est, nec qui missus est, adhuc erat Rex, vt vos definitis, nec qui misit, adhuc erat exul, sed missi dignitas admittentem se Dauidem descendit, & mittentis calamitas descendit ad missum Ionatham. Sed quid oportet humana recensere, cùm inueniamus Deum ab homine mitti? Qui enim cum Iacob luctabatur, dimitte me, inquit, quia crepusculum ascendit. Iacob autem ad eum, non dimittam te, respondit, nisi bene dixeris mihi. Quid ad hæc sapientes isti fidei artifices respondebunt? Quãquam ex Domini verbis animaduertimus, & patrem ipsum, qui miserat, simul esse cum filio qui missus fuerat. Solus enim, inquit, non sum, sed ego, & qui misit me, pater. Et non dimisit me solum pater meus. Et alio loco: Pater in me manens ipse facit opera. Si igitur in ipso, & cum ipso erat, qui illum miserat, vbi est abiectior eius, qui missus est, conditio? Vnde autem, aut quo mittatur is, qui implet omnia? Mitti enim significat loci mutationem. Quòd si pater & filius omnia continent, nec pater procul abest ab illis, ad quos missus est filius, nec filius, ex vno in alium locum transcendit. Reliquum igitur est, vt p hãc legationem, seu missionem nihil aliud cogitemus, nisi humanitatem assumptam indicari.

Gen. 32.

Io. 8.

Io. 14.

Eiusdem & hæc.

Io. 17.

PAter venit hora, clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te. O singularem atque incredibilem Hæreticorum stoliditatem. Maior, inquiunt, est, qui gloria afficit, q̃ ille, qui afficitur gloria. Pater autem afficit, filius afficitur, maior igitur filio pater. Si filius nõ solum affectus est gloria, sed ipse vicissim gloria patrem affecit, quomodo vnus altero maior dici potest? Nam si ex istorum sententia sequitur, vt qui gloria afficit, maior sit, minor quidem est filius, dum afficitur gloria, maior autem, dum patrem afficit. Verùm hæc dicere summi stuporis, atque dementiæ est. Ex his enim verbis non patrem filio maiorem esse discimus, aut contra, sed Patris & filij æqualitatem intelligimus. Nam vt pater gloria & afficit filium, & afficitur à filio: Sic filius gloria tum afficitur à patre, tum patrem afficit. Quòd autem dum afficitur gloria, nihil accipiat, quod antea non haberet, docet hoc loco, clarifica me, inquiens, pater ea gloria, quam habui ante, quàm mũdus fieret, apud te. Si autem ante, quàm mundus fieret, hanc gloriam habuit, quomodo petit, vt accipiat, quod semper habuit?

Eiusdem & hæc.

Io. 17.

DEinde se non solum gloria affici declarans, sed etiã patrem afficere, Manifestaui, inquit, nomen tuum hominibus. Et paulo post ora obstruens Hęreticorum, omnia mea, inquit, tua sunt, & tua mea. Communem non diuidit principatum, nec alia sibi, alia patri dicit conuenire. Sed quoniam isti contumeliis execrandis Vnigenitum afficientes dicunt ipsum quidem accipere, patrem autem dare, demonstat, se vna cum patre rerum omnium imperium obtinere, omnia mea, inquiens, tua sunt, & tua mea. Quibus verbis nõ regnum diuisum, sed communem significat potestatem.

Eiusdem ex Thesauri. Cap. VI. libri primi.

QVod pariendi naturam habet, non assecutus est, cùm aliquando non haberet, nec illam amittet, & desinet parere. Ignis quidem natura sibi insitã gignit caliditatem, atque splendorem, neq; ex non calido calidus efficitur, neq: cessat gignere, quæ naturaliter ipsius sunt propria. Sed simul atque ignis est, & ea cum ipso sunt. Quòd si in rebus procreatis à Deo talis perspicitur gignẽdi ratio, nónne impium est, non ipsi Deo omnibus partibus maiora tribuere?

Eiusdem & hæc.

SI filius ex patre nascens cum ipso per naturam æternus non erat, sed ei contigit, vt esset, & gignenti nimirum contigit, vt fieret pater, atque ita in illo mutatio quædam apparet. Quod enim per vos non erat, id per vos postea factus est. At natura diuina nullam immutationem admittit. Non igitur Deo contingit, vt fieret pater, sed Verbum ex ipso prodiens semper cum illo fuit, vt in igne caliditas, quæ ex igne proueniens cum illo semper existit.

Eiusdem & hæc.

SI Deus, inquiunt, in sua amplitudine perfectus est, & nihil deest naturæ ipsius, superuacaneum est, filium tanquam Diuinitatis eius plenitudinem adiungere. Perfectus quidem est pater in amplitudine propria, nec vllus, qui sapiat, hoc negabit, sed pfectus est, non quia Deus solum est, sed etiam pater. Quòd si illi ademeris, vt pater sit, diuinæ naturæ tolles fœcunditatem, nec amplius perfectionem habebit, si desit illi gignẽdi vis. Fœcunditas ergo perfectionis indicium est, & filius à patre sine tempore genitus declarat ipsum esse perfectum.

Eiusdem & hæc.

SI patris essentiæ natura non adest, vt filium tanq̃ fructum arbor fœcunda gignat, atque vt eum nõ gignat, perfecta tamen est, superuacaneum fuit, hoc illi addere. Immo verò hoc illa indiguit. Quomodo autem perfectus sit, qui aliqua eget re? Aut quomodo absurdum non est, naturæ diuinæ, quasi natura perfectionẽ non habeat, quicquam adiungere?

Ex capite sexto eiusdem libri.

COgitationem tuam, vir optime, parumper à corporibus, & corporum affectionibus reuoca. De Deo. n. nobis est sermo. Ne opineris Deum hominũ more parientẽ fluxu diminui, nec posse parere sine detrimento, sed in Verbũ ex se proueniens quodammodo diuidi. Quid enim hac execranda ratione prohibebit in reliquis etiam, quæ ille habet, vti? Si. n. vt homo cum fluxu parit, creabit etiam vt homo cum labore. Quòd si absurdum est, Neque enim, vt homo, creat, nec profecto gignit, vt homo, sed in hoc etiam naturã hominis superat, sine diuisione gignens vt Deus.

Eiusdem & hæc.

PAter sine vlla diuisione, atque interuallo filiũ ex se tanquam lumen emisit, vt sol ex se prouenientem splendorem. Verùm splendor essentiam per se constantem, & perfe

perfectam in se non habet, sed in sole. Filius autem Dei ex hoc exemplo nihil aliud habens, nisi quòd sine diuisione, atque interuallo ex patre prodit, ꝑpria subsistit persona, non a patre seiunctus, sed in patre & cum patre. At dicere sectionem, aut abscisionem in eius ortu contigisse, summæ dementiæ signum est. In loco enim non includitur Deus. Quod autem in loco non est, quomodo diuisionem accipiet? Vbi enim iacebit id, quod abscindetur, aut vnde, & quò succedet? Hæc enim vt corporibus congruunt, sic à rebus corpore vacantibus sunt remotissima. Desinãt igitur in diuinam gignendi rationem impiè quidam fluxus diuisionesq; conferre. Sectio nanq; non cadit in naturam illam excellentissimam, quæ nullas corporum affectiones suscipit, & quemadmodum creat admirabili quadam ratione, sic etiam aliter, quàm nos gignit.

Eiusdem & hæc.

Verbum, quod ore pronuntiamus, in mẽte gignitur, & aliud videtur esse, quàm id, quod in corde versatur, quatenus ex ore, tanquàm ex profundo & abdito quodam loco in lucem emittitur, attamen in ipso item corde est omnino simile. Licet enim in hoc verbo, quod enuntiatur, intimam animi cogitationem, & in ipso vicissim animo verbum tacitum intueri. Sic & filius Dei sine diuisione ex patre proueniens, proprietatis eius figura, similitudoq; est, Verbum per propriam existens personam, viuens ex viuente patre.

Eiusdem & hæc.

Pater sine diuisione filium gignit ex se, vt si sapiens mechanicam, aut geometricam, aut quãuis aliam sapientem cogitationem pariat. Hi nanq; videntur esse quidam sapientiæ fœtus, & sic natura res habet. Artificiosa tamen cogitatio non seiungitur à sapientia, sed ex ipsa, & in ipsa est, & sapiẽtiæ, vndè nata est, similitudinem refert. Talis est ortus filii, qui sine diuisione ex patre genitus in propria subsistit persona, præstantiori tamen ratione, quàm vt vllo posit exemplo demonstrari.

Ex capite septimo eiusdem libri.

Si consilio dicitis filium genitum, & voluntatem ortum eius antecessisse contenditis, cur non hæc à scriptura dici declaratis, quæ de aliis rebus omnibus procreatis dicuntur? In his enim voluntas præcedit, vt ex illis scripturæ verbis colligi potest: Faciamus hominem: Et, omnia, quæcunq; voluit fecit. In Dei autem Verbo, nec voluntas, nec consilium præcessit. Itaque de illo non dicũtur ea, sed hæc potius: Erat, & est.

Eiusdem & hæc.

1.Cor. 1. Paulus seruatorem nostrum Iesum Christum Dei virtutem & sapientiam appellat. Si igitur sapientia & virtus est patris Verbum ex ipso & in ipso existens, in eo nimirum & per illud ipse vult & facit omnia. Quomodo igitur consilio & voluntate factum id, in quo patris consilium voluntasq; consistit: Aut enim aliam verbis sapientiã confingere necesse est, qua pater consulens & volens filiũ fecerit, (quòd tamen vos non pudet comminisci) Aut si alia sapientia non est, sed ipse solus est patris sapientia, ipse nimirum est etiam patris voluntas atque consilium, in sapientia.n.sita est voluntas Dei. Quamobrem rõnes vestræ futiles sunt, & argumenta vestra inania stultaq; ruunt.

Eiusdem & hæc.

Si ea, quæ voluntate fiunt, egent tempore, quo de illis consilium capiatur, licet spatium illud sit per q̃ exiguũ, quomodo temporum effector filius erit, cuius ortũ voluntas per vos & consilium antecedit? sed temporum author est. Erat igitur. Et ante ortum illius est nihil. Heb. 1.

Eiusdem & hæc.

Si sapientia patris est filius, vt verè est, quomodo tẽpus esse potuit, cùm in ipso non esset sapientia? Quòd si ab omni æternitate in patre est, semper enim sapiens est pater, quomodo cogitari potest quicquàm antiquius eo, quod semper est? aut quomodo voluntas intercedere, quæ filium aliquando non existentem adducat, qui simul cum genitore ipsius vt eius sapientia æternus est? Non voluntate igitur, sed natura filiũ gignit. Hoc.n.illi magis congruit.

Eiusdem & hæc.

Si nulla voluntas in vllo est sine verbo, hoc est, sine ratione illa, quæ tacitè in animo versatur, Filius autẽ est Verbum patris, illius ergo volũtas est. Quomodo igitur voluntas in voluntate erit, aut Verbum in Verbo? Omnia ergo est filius patri, & Verbum, & voluntas, & sapientia, & nihil est ante ipsum in patre.

Eiusdem & hęc.

Quemadmodum non ex voluntate habemus nos, vt patres simus eorum, qui ex nobis sunt, sed ex natura. Sic etiam Deus non voluntate, sed natura pater est. Et quemadmodum filii ex nobis procreati nobis natura similes omnino sunt, sic etiam filius non extrinsecus, sed ex eẽntia patris genitus similis est in omnibus genitori. Et quemadmodum pater non ex voluntate pater est, ita nec filius est ex voluntate, sed per naturam, cùm sit splẽdor, & figura illius, qui se genuit. Heb. 1.

Vehementer absurdum, & periculosum est, dicere filiũ voluntate genitum esse. Qui enim non voluntate pater, & Deus est, is nec voluntate habet ex essentia sua prouenieus Verbum, sed naturaliter. Sic enim est figura ipsius, & imago non falsa.

Ex eodem libro.

Canit quodam loco Dauid: Sedes tua Deus in seculũ seculi. Deinde ait: Propterea vnxit te Deus Deus Psal. 44. tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. At Verbum erat, etiam antequàm vngeretur, & cum patre regnabat. Quomodo igitur in Regem vngitur, & sanctificatur, qui semper regnat, & sanctus est? Quemadmodum igitur cùm semper sit, tamen nouissimis temporibus regnasse dicitur, si, & altissimus semper existens, tamen dicitur exaltari propter assumptã humanitatẽ. Propter nos enim exaltatur, & vngitur, & sanctificatur, vt gratia per ipsum naturæ data deinceps in omnes defluat & in vniuersum genus humanum sibi coniunctum diffundatur. Sic & ipse seruator dixit in Ioannis Euangelio: Ego sanctifico me ipsum pro eis, vt & ipsi sancti sint. Quæcũque enim in Christo sunt, ad nos Ioan. 17. perueniunt, cùm non pro se sanctitatem assumpserit, quippe qui erat author sanctitatis, sed vt eam per se naturæ humanæ conciliaret, tanquàm via & principium bonorum, quæ ad nos erant peruẽtura. Quapropter, ego, inquit, sum via, per quam ad vos gratia diuina descendit, quæ quidem

gratia primùm in Christo naturam nostram sublimem, & sanctam, & diuinam efficit.

Ex secundo Thesauri libro.

VNdiq; impietatis occasionem arripiunt Christi aduersarii, & vnum illud sibi tanq̃ signum proponunt, vt temerè conuitia iactent in filium Dei. Audientes
Ioan. 10. enim ipsum dicentem: Ego & pater vnum sumus, non credunt, & conantur ea verba in alium sensum torquere, non concedentes, vt vnum cum patre sit, atque ita quod præclarè, rectæq; dictum est, de moliri student, atque peruertere. Quæ verò in Euangeliis ab eo tãquàm homine vel tolerata, vel dicta, vel facta repererint, vt flere, mœrore affici & reliqua eiusdem generis humanæ naturæ conuenientia, ea nõ referunt ad humanitatem, sed Verbo statim tribuentes, ex his colligunt, eum non esse Deum, qui talia perpessus sit, atque ita in rerum, quæ creatæ sunt, numero locant, earum effectorem. Aut igitur filio concede, vt sit vnũ cum patre, nec Verbum, quatenus per se Verbum est, & inæqualitate cum patre lugere, aut tristitia affici, aut pauere deprehendes, aut si non credis, te ad Iudæorum numerum ascribe. Si enim non credis ei dicenti, se esse vnum cum patre, nec, si mœrere se dixerit, credes. Sic igit, vt dictum est, in Iudæorum numero deprehenderis, nihil eorum omnino, quæ à seruatore dicta sunt, suscipiens.

Eiusdem ex commentariis in Euangelium Ioannis, Filium patre minorem non esse.

SI minor est filius, maior autem pater, diuersa ratione, & pro sua vterq; mẽsura sanctitatem in nobis efficiet. Et pater quidem magis, filius autem minus, & pro viribus suis nos sanctos reddet. Erit igitur & spiritus duplex, minor in filio, in patre maior. Et alii perfectè sancti redduntur à patre, alii à filio minus perfectè. Hæc & alia multa incommoda consequentur. Vnus enim est spiritus sanctus. Vna perfecta sanctitas, quæ à patre per filium naturaliter exhibetur. Non ergo minor, qui eandem perfectam cum patre perfecto actionem habet, eũdemq; in se ipso gignentis spiritum bonum, viuum, in sua subsistentem persona, quem habet pater.

Eiusdem & hæc.

SI in forma, & æqualitate patris erat filius, vt Paulus ait,
Philip. 2. quomodo minor est? Neque enim humanæ carnis assumptio, & exinanitio spoliat naturali filium dignitate, cũ
Matt. 16. illam secundo suo è cœlis aduentu sit habiturus. Veniet.n. vt ipsemet dixit, in gloria patris sui. Quomodo igitur patre minor, qui in gloria est perfecti patris.

Eiusdem & hęc.

SI Dominus est pater, & filius est Dominus, quomodo patre filius minor? Non erit perfectè liber, si minor est imperio, nec plenam in se obtinet dignitatem. Præterea si lux est pater, & lux similiter est filius, quomodo minor est patre? Lux enim (si minor est) erit imperfecta, & parte ali-
Ioan. 1. qua à tenebris occupabitur, Et mendax erit Euangelista,
Ioan. 14. & tenebræ, inquiens, eam non comprehenderunt. Ad hæc si pater est vita, & filius item est vita, quomodo patre minor est filius? Sin imperfectè vita, & ideò minor, perfecta in nobis vita non erit, licet in interiori homine Christus inhabitet, Et aliqua parte quodammodo erunt mortui, qui in ipsum crediderunt. Quæ quidem quoniam à nobis, vt absurda, sunt procul reiicienda, perfectum esse dicimus filium, & patri perfecto æqualem propter essentiæ nulla in parte diuersam similitudinem.

Eiusdem & hęc.

AEqualem se Deo & patri declarans Christus quodã loco discipulos suos sic alloquitur: Qui vidit me, vidit patrem. Quomodo qui natura talis est vt ipse vera dicens affirmat, patre minor erit, vt quidam temerè opinantur? Si enim minor existens in se ipso patrem exprimit, cùm nulla intercedat immutatio, illud ipsum in patrem recidet, quippe qui in imagine nẽpe in filio cernatur expressus. Sed hoc absurdum est. Non igitur filius minor, in quo pater perfectus exprimitur.

Eiusdem & hęc.

QVomodo filius minor, quem ea, quæ patris sunt, habere constat. Verè enim dicit, omnia, quæ pater habet, mea sunt. Et rursum Deum, & patrẽ alloquẽs, omnia, inquit, mea tua sunt, & tua mea. Si enim, vt temerè quidam sentiunt, minor est filius, cùm vera pronuntiet hic patrem alloquens: Omnia mea tua sunt, & tua mea: Cadet & in patrem, vt minor sit, & in filium, vt maior, cùm rerum ordo diuersus non sit, & in vtroque ea cernantur, quæ alterius sunt, & quod patris est, id etiam filii sit, & contrà. Nihil igitur prohibebit, & patrem filio minorem dicere, & patre maiorem filium. Quæ quidem cùm vel cogitare sit absurdissimum, sequitur, vt ęqualis patri sit filius, qui omnes cum patre communes habet essentiæ dignitates.

Eiusdem & hęc.

QVodam loco seruator, sicut ipse in patre est, sic patrem in se esse dicit. Nullo autem pacto cogitandum est, vt corpus in corpore, aut vas in vase, sic filium in patre, aut patrem in filio esse. Sic igitur pater in filio, & filius in patre est, vt in eiusdem essentiæ eiusdemq; naturæ certissima similitudine. Vt siquis propriam in imagine similitudinem verè & singulariter expressam intuens admirationeq; plenus aliquos alloqueretur, Hęc inquiens, effigies in me est, & ego in illa. Aut si caliditas ex igne naturaliter proueniens vocem ad hunc modum emitteret: Ego in igne, & ignis in me est. Vtrunque enim eorum, quæ dicta sunt, cogitatione quidem diuidi potest, natura tamẽ vnum est, & vnum ex altero sine vlla sectione ꝓficiscitur. Quanuis enim animus ea vicissim distinguat, vnum tamẽ atque idem vtraque esse perspiciuntur, quantum ad essentiam pertinet. Si igitur propter eiusdem essentiæ perfectissimam atque immutabilem in imagine similitudinem pater in filio est, quomodo maior pater, vt isti putant, in minore filio esse, & perspici potest? cùm ergo pater omnino sit in filio, filius planè perfectus est, qui perfectum capiẽs, figura & imago est magni patris.

Eiusdem ex libro de sancta Trinitate.

VErùm vt patris & filii demonstremus æqualitatem, ad Domini doctrinam accedamus. Nemo, inquit, nouit filium nisi pater, neque patrem nouit quisquã nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Quid hisce verbis clarius? Par, inquit, nobis cognitio est. Cognosco patrem à patre cognitus. Cognoscit me pater à me cognitus. Omnes autem res procreatæ ab hac arcẽtur cognitione. Quo-

modo enim quæ naturæ nostræ non sunt participes cognitionis participes sint? Paruam tamen quidam notitiam assequuntur. Ego enim illis, quoad eorum natura capit, tanquam in speculo atq; ænigmate patris notitiam impertio. Hæc ex Domini doctrina didicimus. Quem igitur hic maius, & minus locum habet?

Eiusdem ex Thesauri Cap. x. primi libri.

QVodam loco Christus ait: Pater, qui misit me, maior me est. De ipso rursum diuinæ scripturæ testimoniũ hoc legimus: Nõ rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Quomodo simul & æqualis sit, & maiorẽ habeat patrem, diligenter inuestigandum est. Hæc enim videntur sibi vicissim repugnare. Sed ea nos piè ponderantes neq; filium, quia maior sit pater, æqualem negabimus, nec patrem, quòd æqualis sit filius, non maiorem esse dicemus, sed pia interpretatione vtrunq; confirmabimus. Cùm igitur Diuinitatis natura simplex sit, & incomposita, nunquã in patrem & filiũ cogitatione distingui potuisset, nisi adhibita quadam non in ipsa essentia, sed extrinsecus differentia, qua vtraq; persona in propria manens hypostasi propter eandem vtriusque naturam in vna Diuinitate coniungeretur, adeò, vt nulla patris, filiiq; confusio, aut permixtio fieret. Quòd quidem accideret, si patris filiiq; personæ propter exquisitam similitudinem, quæ geminas illas videri non sineret, in vnam hypostasim concurrerent. Hinc. n. iam quidam eundem esse patrem & filium, nõ duas autem distinctas personas suspicati sunt. Quoniam igitur & naturam gignentem, & ex ipsa genitam hypostasim cognoscere nos oportebat, iccircò scriptura patris, & filii nomina nobis proposuit, vt lumen ex lumine, & vtrunque in sua hypostasi, & eandem in vtroque essentiam intelligamus. Nostram verò consuetudinem imitata patrem maiorem vocat, vt vndiq; personas distinctas, & vnã ex altera cognoscamus. Sed testatur eadem æqualitatem, ne quam essentiæ patris & filii dissimilitudinem esse suspicemur. Filius ergo cùm essentiæ ratione æqualis sit patri, & in omnibus similis, maiorem ipsum appellat, vt principium sine principio, quo declaret, se ex illo esse licet vnam, eandemq; cum illo naturam habeat.

Ioan. 14.
Philip. 2.

Eiusdem & hæc.

QVæ eiusdem essentię naturæq; sunt, inter se propriè comparantur. Quæ autem haud ita se habent, sed essentia naturaq; differunt, propriè comparari inter se nequeũt. Nemo enim nisi imperitus, & mẽte captus hominis naturam indagans bouem homine maiorem diceret, aut si bouis naturam vellet intelligere, boue maiorẽ esse hominem affirmaret. Quæ enim, vt diximus, natura & specie coniuncta sunt, aptè cõparationem admittunt. Quare si filius cum patre per vos ita comparatur, vt vnus minor, alter maior dicatur esse, filius essentia nimirum patri coniunctus est, non autem ab illo diuersus. sic enim essentiæ ratio postulat. Quandoquidem homo, quatenus homo, homine maior non est. Aequalis igitur patri filius & eiusdem essentiæ. Habita autem assumptæ carnis ratione maiorem esse credemus patrem. Homo enim iam factus, sicut homo locutus est.

Ex primo Thesauri libro Cap. IX.

QVod ex aliqua causa existit aut natum est, inquit, causa illa posterius est, à qua habet vt sit. Quare filius, qui patrem causam habet, erit patre posterior, essentiaq; dissimilis. Aut siquis obstinatius eiusdem essentiæ filiũ esse contendet, sequetur, vt Diuinitas, quæ vna est, sectionem admittat, & duas in partes diuidatur. Aliter enim eiusdem essentiæ non potest esse. Nondum animaduertit ebrius iste Christi oppugnator, quàm temerè de natura diuina nugas effundat. Secari, & interuallo distare proprium est corporum. Diuina autem essentia sectionem & diuisionem nullam admittit, quæ non in loco est, nec ab vllo comprehendi potest, sed arcana quadam ratione, quam verbis non possumus explicare, consistens filium ex se nullo interiecto spatio tanquàm lucem emisit. Aliter enim perfecta esse non posset, nisi filium fœcunda genuisset. Nec mundum præterea procreasset, nisi filium ex se sine spatio peperisset, per quem creat & facit omnia. Itaque filius sine vlla sectione & fluxu genitus est, non quemadmodum vos opinamini, sed vt ex igne caliditas, sic filius sine diuisione ex gignentis processit essentia.

Eiusdem & hæc.

SI eiusdem est, inquiunt, essentiæ filius cum patre, cur non & ipse, vt pater, bonus est? Sic enim quodam loco Christus cuidam respondet: Cur me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus Deus. Vnum dicens, se ipsum exclusit, vt licet bonus sit, non tamen ita bonus, vt pater. Cùm scriptura Christum appellet Dominum, dabis ne, ipsum verè Dominum esse, an hoc item, vt alia negabis? si non esse Dominum dices, à diuinis scripturis dissenties, & à spiritu, qui in illis hæc loquitur: sin scripturis assentiens Dominum esse concedes, deprehenderis, eum Dominum dicere, & adorare, quem eiusdem esse cum patre & Deo negas essentiæ, & ei, qui creatus est, non natura Deus, deseruire. Qui enim essentia diuersus est à Deo, non est natura Deus. Cuius rei testis est scriptura diuina, Dominus Deus tuus, inquiens, Dominus vnus est. Vna enim Diuinitatis natura, quam solam esse adorandam ex illis scripturæ verbis intelligis: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quare si propterea quòd vnus bonus esse dicitur Deus & pater, excludendus est filius, vt non sit bonus, quemadmodum pater, excludetur etiam, vt nõ sit Dominus & Deus, quia Dominus vnus esse dicitur Deus & pater. Quomõ igitur adoras eum, qui nec Dominus, nec Deus est? Quòd si, qa Dominus & Deus est pater, filius item quoniam ex illo per naturam existit, proprietatem eandem habet, vt sit vna cum patre Dominus & Deus, habebit prorsus & hoc, vt bonus sit, cum patris proprietas in hac quoque re, sicut in aliis, in ipso sit.

Luc. 18.
Deute. 6.

Eiusdem & hæc.

MVlta de patre & filio dicunt diuinæ scripturæ. Nec nominum differentia diuidit eorum essentiæ rationem vllo modo, vt vlla dissimilitudo ꝑpterea consequatur: Vna enim Diuinitas est patris & filii. Quamobrẽ licet vterq; varia nominum ratione significetur, neuter tamen proprium habet quicquã, quod non sit in altero, sed omnia quæ de vno dicuntur, de vtroq; dici possunt, præter patris & filii tum appellationẽ, tum ipsam rem. Pater enim semper est pater, & filius nũquàm esse potest. Et filius semper est filius, & pater nunquàm esse potest. Siquis autem vnius appellationem alteri, conuenire non posse contenderit, is in magnum incidet malum. Quid enim aget, cùm Magnus Paulus dicat: Vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia. Ecce patri tribuit, vt Deus & vnus sit, Filio autem vt sit Dominus &

1. Cor. 8.

vnus. Num propterea filius non erit Deus, quoniam pater Deus & vnus nominatur? Aut quia filius Dominus & vnus dicitur, propterea pater non erit Dominus? Absit. Pater enim Deus cùm sit, filius item est Deus. Vicissimq; cùm filius Dominus sit, pater item est Dominus. Si qua.n. essentiæ differentia personam vtranq; diuideret, nec eas in vnam naturæ rationem conuenire permitteret, tunc, opinor, propria vnius appellatio alteri non congrueret. Nunc autem cùm omnia, quæ patris sunt propria, in filio perspicua sint, & quæ rursus filii sunt, in patre cernantur, cùm nihil eandem vnius naturæ rationem impediat, erit & ipse bonus, vt pater, & ob id vnius essentiæ.

Et hæc.

SI discrimen aliquod naturale filium arcet, eumq; à patris essentia alienum esse declarat, quomodo vel ea ipse quæ patris propria sunt, vel pater, quæ filii sunt, propria, gerit? Vera enim dicit filius patrem alloquens ad hunc modum: Omnia tua mea sunt, & mea tua. Quòd si omnia, & vnum omnium est id, quod est summè bonum, filius habebit etiam hoc, quod naturæ paternæ proprium est, vt qui ex ipso patre existit. Qui autem ea, quæ essentiæ paternæ propria sunt, habet, is eiusdem est prorsus essentiæ. Ioan. 17.

Et hæc.

SI, quoniam pater ex causa nulla est, filius autē patrem causam habet, ob id filius natura cū patre non est eiusdem essentiæ, quid prohibet dicere, Cain non esse eiusdem essentiæ cum Adam, quandò Adam ex nullo natus est homine, sed ipse fuit primus homo, Cain autē Adam, ex quo natus est, causam habet? Quod si mentitur qui ita dicit, eiusdem enim essentiæ cum Adam est Cain, filius omnino est eiusdem essentiæ cum patre, licet ipsum existendi causam habeat, cum ab ipso sine tempore prodeat, & cum ipso sit ab omni æternitate.

Et hæc.

FRustra, qui Christum oppugnant, eum non esse eiusdem essentiæ cum patre, ex eo, quod pater ingenitus sit, ipse autem genitus, argumentantur. Si enim quælibet differentia naturam in rebus differentem efficit, & à mutua communitate, naturaliq; similitudine genera diuidit, separent etiam, vt ita dicam, Paulum à Petro, quantum pertinet ad rationem essentiæ, quandò singularem & in indiuiduo habent inter se differentiam, qua fit, vt vnus eorū sit Petrus, alter Paulus: Quid? quòd videmus, ea sepe ratione essentiæ coniuncta esse, quæ aliis de causis sunt inter se dissimillima. Nam inter hominem album & nigrum magnum est discrimen, quod tamen eorum essentiam non dirimit. Quòd si in nobis ipsis non qualibet differentia fit, vt essentia discrepemus, quid prohibet filium eiusdem esse, cum patre essentiæ, quanuis eo distincti sint, quòd vnus ingenitus est, alter genitus? Vna enim in ipsis Diuinitas ex patre ingenito in filium genitum decurrit.

Et hæc.

SI pater cœpit filium gignere, hoc illi accessit, & quod initio non habebat, posterius accepit. At cui aliqua fit accessio, id perfectum nō erat, sed imperfectum. Qđ de patre cogitare nefas est. Perfecta enim est eius essentia. Non igitur hoc illi accessit, vt gigneret, nec cœpit gignere. Qđ si nō cœpit gignere, filius ex ipso genitus simul cū illo æternus est, & quēadmodum si existēdi principium habuisset, eiusdem essentiæ non esset cū patre, ita cùm in tempore principiū nō habet, eiusdem est prorsus essentiæ.

Et hæc.

SI pater cœpit, & destitit filium gignere, vt Christi hostes opinantur, mutatus est. Quòd si Diuinitas præstantior est, quàm vt vllam mutationem suscipiat, non cœpit nec destitit filium gignere. sed sine tempore erat in patre seculorum & temporum effector filius. Et quoniam æternus, ideò eiusdem etiam essentiæ.

Et hęc.

QVemadmodum veritatis inimici dicentes ortum filii & principium & finem habuisse excludunt eū à patris similitudine, ita nos nullū in eius ortu principium aut finem admittentes in patris absolutissima similitudine constituimus. Quod autem in omnibus simile est, id eandem obtinet essentiam. Iob

Quomodo, inquiunt, potest eiusdem essentiæ ratio in patre filioq; seruari, si pater ingenitus est, filius autem genitus? Necesse enim esset nulla re differre genitum ab ingenito. Quòd si nulla re differunt, quid vetat patrem genitum, & filium ingenitum dicere? Qui imperitè sic argumentantur, nobis item ad hæc respondeant, quomō nequeat eiusdem essentiæ ratio in patre filioq; seruari, si filius est patris imago certissima, & in se patrem ostēdit expressum. Quis enim dubitat, neminem posse aliam in alia naturam intueri? Quis hominem conspicatus, equum se dicat inspexisse? In illis enim, quæ eandem naturam obtinent, æqualium sit demonstratio, non in iis, quæ natura diuersa sunt. Quare si Philippo patrem videre cupienti Christus se ipsum ostendit, Qui vidit me, inquiens, vidit patrem, necesse est, filium eiusdem essentiæ cum patre, & substantiæ ipsius figuram esse absolutissimam confiteri. Io. 1. Io Ioa Hł Ioa

Et hæc.

SI, quemadmodum vos errantes, & in errorem alios adducentes opinamini, non ex essentia patris filius prodiit, sed extrinsecus, est autem ipse sapientia, & potentia patris, pater natura nec sapiens, nec potens est. At pater natura sapiens & potens est, filium igitur ex patris essentia, & iccircò eiusdem etiam essentiæ cum illo esse, necesse est confiteri. Phil

Et quatuor sequentia capita filium esse demonstrant eiusdem essentię cum patre. Io.

IN lege inquit vestra scriptum est: Duorum hominū testimonium esse verum. Deinde subiicit: Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me qui misit me, pater. Imaginem igitur cōtuentes agnoscemus exemplar eius. Duorum, inquit, hominum testimonium verum est. Duorum autem hominum naturā esse vnam omnes confitentur. Quare patris & filii essentiā esse vnam omnes agnoscere possunt & confiteri. Sicut.n. illic duo homines, ita hic Deus, & Deus, pater & filius, qui ipsis etiam hominibus eandem naturam ostendunt. Neq; enim verus Deus diuersam à vero Deo naturam habeat, neque filius ab illo differentem, cùm Dei sit filius. His audītis Iudæi quæsiuerunt: Vbi est pater tuus? Quibus respondit Iesus: Neque me nostis, neque patrem meum. Si me nō uissetis, & patrem meum vtiq; cognouissetis. Videte, quo- Ioan

modo hic rursum eandem ostēdat essentiam. si me, inquit, nouissetis, & patrem meum vtique cognouissetis. Quæ.n. essentia discrepant, non cognoscuntur, vnum ex altero. Peregrina enim & aliena sese mutuò non significant. Quę autem naturam communem habent sese vicissim indicāt. Ex vno enim homine omnem hominum naturā licet perspicere. Et ex vna oue vniuersum ouium genus. Non autē ex ouibus leones, aut ex leonibus oues, nec ex hominibus Angelos, aut ex Angelis homines cognoscimus. Vnumquodq; enim animal propriam naturam ostendit. Quare si Vnigenitus filius Dei creatus, & ex non existente, diuersaq; natura factus est, quomodo in se ipso patrem indicat? Quòd si per filium agnoscitur pater, & qui filium nouit, patrem etiam simul nouit. Vinciatur omnis lingua maledica,
Iob.29. & execrāda, & adhęreat, vt ait Propheta, gutturi suo. Nos verò Trinitatis adoratores exquisitam hinc filii eandem cum patre essentiam habentis notitiam capiamus, considerantes fieri non potuisse, vt in filio pater agnosceretur. nisi eiusdem esset essentiæ. Et adoremus seruatorem nostrum adorationis nostræ fructum percepturi, quem pater ipse nobis largietur, vt Dominus ipse testatur, qui mihi, in-
Io. 12. quiens, ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Et admirandus Ioannes de rebus diuinis loquens, Qui credit
1.Io. 5. inquit, in filium, vitā habet æternam. Qui aūt filio non credit, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super ipsum.

2. Si eiusdem, inquiunt, essentiæ est Verbum cum patre, quid prohibet patrem, vt eiusdem essentiæ cū Verbo, Verbum esse? Quæ sunt eiusdem naturæ vicissim vnum in aliud non commutantur. Neque enim Adam, quod eiusdem essentiæ sit cum Cain, ideò mutatur in Cain, nec rursus Cain in Adam transfertur, vt ex Cain euadat Adam, sed cum vnum sint propter eiusdem naturæ rationem, duæ tamen, in sua vtraque hypostasi, manent personæ, secundum quā ille quidem genuit, hic autem est genitus.

3. Illud: Viuo ego propter patrem, non diuersę filiū essen-
Ioan. 6. tiæ, sed eiusdem potius indicat esse cum patre. Vt enim si quis hominis filius diceret, Ego sum ratione præditus propter patrem, & patrem vtique ratione præditum declararet, sic & filius & Deus, Viuo, inquit, ego propter patrem, qui vita nimirum est, quibus verbis filius & Verbum patrem causam indicauit.

4. Vnde filius dictus est eiusdem essentię cum patre? Paulus ait: Qui cum in forma Dei esset nō rapinam arbitratus
Phil. 2. est, esse se ęqualem Deo. Cùm Dei forma, diuina intelligatur natura, adiuncta etiam æqualitate, meritò dictus est eiusdem essentię. Qui enim æqualem naturam habet, ęqua
Io.10. lem item habet essentiam. Et ipse Christus, Ego, inquiens & pater vnum sumus, eandem naturam, & ideò æqualem item essentiam ostendit.

Eiusdem ex Thesauri cap.1.lib.1. De ingenito capita. VIII.

INgenitum multis modis accipitur. significat enim & id, quod nondum factum est, sed tamen fieri potest, vt ex ligno nauigium, aut ex ære statua. Et id, quod nec factū est vnquàm nec fieri potest. Exempli gratia Triangulum nunquàm factum est quadrangulum, nec potest fieri. Simul.n. & trianguli figura deletur, & aliud quiddam, præter illud, quod erat, fit, & appellatur. Et id, quod cùm sit, à nullo tamen genitum est.

2. Vox hęc: Ingenitum est ex earum numero, quę multipli ci ratione pronuntiantur, & inter illa, quæ sunt ambigua, meritò collocatur. Essentiarum autem definitiones nō ex verbis ambiguis & multa significantibus conficiuntur. Neque enim ex his perspicuum, & certum, ac definitum quicquàm esse potest. Proinde cùm ingenitum, vt diximus, sit eiusmodi, non potest esse definitio.

Si definitio est, quæ quid quicque natura sit, non autem 3.
quid non sit, explicat, Hæc autem vox ingenitum, nō quid Deus sit, sed quid non sit, aperit, non est definitio.

Si vocabulum hoc ingenitum est definitio, definitionis 4.
formam, nempe mutuam cum definito conuersionem suscipiat. Exempli gratia, si quis hominem definiat, esse animal ratione præditum, mortiq; obnoxium, oratio ex altera parte commutata respondet hoc modo: si quod animal ratione præditum est, mortiq; obnoxium, id prorsus est homo. Si ingenitum igitur, vt diximus, est definitio, ne recuset mutuam hanc conuersionem. Si enim ingenitum est essentia, quicquid est essentia, erit ingenitum. Quod non est verum. Neque enim omnis essentia ingenita, sed Deus solus hoc habet eximium. Nō ergo ingenitū definitio, sed id tantū significat, nempe Deum non esse genitum.

Si ingenitum est essentia, essentiæ verò nihil contrariū, 5.
nihil ingenito contrarium. At contrarium ingenito genitum, essentiæ verò contrarium nihil, non ergo ingenitum essentia.

Si ingenitum essentia est, & genitum essentia erit neces 6.
sariò. Quòd si vtrunque essentia, non erit ingenito contrarium genitum, sed idem. essentia enim essentiæ non est contraria.

Si ingenitum, & immortale, & alia eiusmodi sunt essen- 7.
tia Dei. Hæc autem vocibus diuersa sunt, necesse est, illam essentiam ex diuersis illis vocibus ita componi, vt ipse de illa propriè dicantur. Aut si non componitur, sequitur, vt voces hæ non essentiam eius, sed quæ adsunt essentiæ, significent.

Si in Deo tantùm, vt aiunt, ingenitum est essentia, illius 8.
erit etiam definitio, cuius solùm est proprium ingenitum, At essentia Dei non potest definiri, non ergo Dei propriū nomen est illud, ingenitum.

Item contra Arianos, Damasceni Cap. LXXXXV. *valde necessarium.*

SCiendum est, filium naturam ignorantem, & seruam assumpsisse. Hominis nanq; natura serua est Dei effectoris sui, nec rerum futurarū notitiam habet. Quamobrem si (vt scribit Gregorius ille Theologus) cogitatione seiunxeris id, quod videtur, ab eo quod intelligitur, serua & ignara dicenda est illa caro. Attamen ob indissolubilem eiusdem personæ coniunctionem, anima Domini futurorum cognitionem lucrata est, quemadmodum & reliquas diuinas dotes. Sicut enim hominum caro natura sua non viuificat, Domini autem caro ipsi Deo Verbo per personam copulata à naturali quidem non recesit mortalitate, sed tamen propter illam cum Verbo personæ coniunctionem viuificans reddita est, nec possumus negare, illam & fuisse, & semper esse viuificam, sic humana natura per essentiam non habet, vt futura cognoscat, sed anima Domini cum Deo Verbo in eadem persona coniuncta futurorum, vt dixi, peritiam vna cum reliquis diuinis dotibus est consecuta, Neque tamen ignorandum est, non posse nos illum seruum appellare. Hæc enim vocabula seruus & Dominus, vt pater & filius, eorum sunt propria, quæ cum altero conferuntur, nec essentiam, sed habitum significāt. Nam, (quemadmodum etiam de ignorantia diximus) si tenui ac subtili quadam animi cogitatione, quod creatum

est, ab eo, quod creatum non est, separaueris, seruam inuenies carnem, nisi cum Deo Verbo coniungatur. Semel autem ei in persona coniuncta, quomodo amplius serua sit? Vnus enim est Christus, proptereaq; non potest idem esse seruus & Dominus. Hæc enim nō simpliciter dici solent, sed habita alterius ratione, quo cum cōferūtur. Cuius ergo seruus erit? Patris ne? Non igitur omnia, quæ pater habet, filii sunt, si patris est seruus, sui autem ipsius minimè. Quomodo autem de nobis dicit Apostolus: Quare nō amplius seruus es, sed filius, eorum nimirum vnus, qui per illum adoptati sunt, si ipse seruus est? Hac igitur serui appellatiōe nominatur, non quòd ipse sit seruus, sed quia propter nos serui formam suscepit, & nobiscum seruus voluit appellari. Cùm enim esset affectionum expers, illis factus est pro nobis obnoxius, & nostræ salutis minister fuit. Qui verò seruum illum asserunt, Christum vnū in duos dissecat, quemadmodum Nestorius fecit. Nos autem Dominum ipsum, & rerum omnium principem, Christum vnum, eundem Deum simul, atque hominem, & omnia scientem (in eo enim sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ) confitemur.

Euthymii Dogmaticæ Panopliæ
Prioris voluminis.
Finis.

EVTHYMII MONACHI ZIGABENI DOGMATICAE PANOPLIAE

Volumen ſecundum.



Ne quis hunc uſquam alius ſuæ ditionis locorum impune librum imprimat, alibi'ue impreſſum uendat, & Pontificis Maximi, & Veneti Senatus Illuſtrißimi Decreto cautum eſt.

VENETIIS,
Apud Hieronymum Scotum.
1555

OPTIMO AC SAPIENTISSIMO VERONAE PONTIFICI ALOISIO LIPOMANO PETRVS FRANCISCVS ZINVS S.D.

ALTERVM Euthymii Panopliæ uolumen, quod multis annis in tenebris iacuit, singulari duorum huius ætatis luminum Ioannis Saluiati, & Marcelli Ceruini Cardinalium amplissimorum benignitate lucem iam intuebitur. Precibus enim tuis, & commodo publico adducti, pater optimè, ac sapientissime, bina mihi eius uoluminis græca exemplaria commodarunt, ex quibus in Latinum à nobis conuersum, ad te, ut unà cum priori uolumine tanquam cum fratre charissimo in apertum proferatur, accedit, serius profectò, quam uel tua bene de Christiana Rep. merendi cupiditas, uel meum tibi omnibus in rebus obsequendi studium postulabat. Quod tu non negligentiæ meæ, sed occupationibus assignabis, immò uerò humanitati tuæ, qui dum eximia liberalitate studiis nostris perfugium paras, præclarum mihi negotium potius, quam optatum otium peperisti. Sacrum enim agellum hunc mihi saluberrimum illum quidem, & amœnissimum largitus es, sed eiusmodi tamen, ut in eo colendo totum ferè tempus insumendum sit, nihil, aut parum admodum ad legendum scribendumq; spatii relinquatur. Itaque desperarem omnino me quicquam posthac in literarum studiis effecturum, nisi mihi exemplo tuo animos adderes, meq; planè confirmares, qui cùm diligentissimè, quantum ad religionem attinet, urbem amplissimam & celeberrimam gubernes ac regas, tantos tamen sacris in studiis progressus facis, ut nihil aliud agere, & otiosissimus esse uideare. Idem spiritus, qui tantum tibi diuinæ gratiæ largitur suæ, paululum etiam mihi fortasse eiusdem gratiæ impertietur, & quicquid impertietur, id erit totum & proprium tuum. Vale. Ex oppido Lonati Kalen. Augusti. M D LIIII.

INDEX EORVM,
quæ hoc uolumine continentur.

EVTHYMII MONACHI ZIGABENI DOGMATICAE PANOPLIAE

VOLVMEN II.

TITVLVS DVODECIMVS

De Spiritu sancto.

Magni Athanasij, ex Oratione de Christi aduentu in carne.

CVM in Esaias dixisset Dominus Filios genui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, in Euangelio dicit, Quod genitum est ex carne, caro est, & quod genitum est ex spiritu, spiritus est. Et rursum, Spiritus vbi vult, spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat, sic est omnis, qui genitus est ex spiritu. Et cum scriptura Deum ignem vocet, Deus (inquiens) noster, ignis consumens est, eadem loquens de Spiritu sancto, Apparuerunt (inquit) dispertitæ linguæ tanquam ignis, sederuntq; super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui aliis linguis, prout spiritus dabat illis eloqui. Ac Dominus quidem, se, quatenus homo est, vocari bonum recusat, Quid me, inquiens, bonum dicis? nemo bonus, nisi vnus Deus. Scriptura autem non veretur bonum vocare Spiritum sanctum. Spiritus, inquiens, tuus ille bonus deducet me in terra recta. Et Ezechiel Propheta veterem populum accusans dicebat. Contristauerunt me in omnibus his, dicit Dominus. Paulus autem ad nouum populum scribens, Nolite, inquit, contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis. Et Dauid de Iudæis, Irritauerunt, inquit, Deũ in deserto. Esaias autem de eisdem loquens, non obedierunt, inquit, & irritauerũt Spiritum sanctum. Et Dominus de se loquens ad Satanam. Non tentabis, inquit, Dominũ Deum tuum. Petrus autem ad Sapphiram, Quid conuenit, inquit, vobis tentare spiritum Domini? Atque adeo, quo clarius intelligas, Spiritum sanctum esse Deum, Audi Petrum ita loquentem, Anania cur impleuit Satanas cor tuũ, vt mentireris Spiritui sancto, & fraudares de pretio agri? Non es mentitus hoĩbus, sed Deo. Si is, q̃ mentitur Spiritui sancto, mentitur Deo, Spiritus sanctus nimirum est Deus.

Eiusdem Epistola ad Serapionem Episcopum de Spiritu sancto.

TVO cum dolore scribis, charissime, & verè optatissime, quosdam ab Arianis propter eorum maladicta in filium Dei, ita recessisse, vt iidem tamen de Spiritu sancto male sentiant, eumq; nõ modo creatum, sed vnum è spiritibus ministrantibus asserant, & gradu tantum ab Angelis differẽtem. Horum stultitiam merito quis admiretur, qui cùm Dei filium creatum esse negent, & in hoc rectè sentiant, spiritum filij creatum esse vel audire queant. Etenim si propter vnitatem Verbi cum Patre sic ex rerum procreatarum numero filium eximunt, vt ipsum procreatorem, & effectorem illarum, vti re vera est, esse velint, cur Spiritum sanctum, qui eandem vnitatem habet cum filio, quam filius habet cum Patre, creatum esse contendunt? Nec animaduertunt, se, quemadmodum à Patre filium non seiungentes, Deum vnum esse conseruant, ita à Verbo spiritum seiungentes non amplius vnam in Trinitate Diuinitatem seruare, cùm illam dissecent, & cum aliena, diuersaq;, natura commisceant, & rebus procreatis exæquent. Ex quo Trinitas non vnum esse, sed ex duabus, eisq; differentibus naturis constare, & composita esse declaratur, propter spiritus diuersitatem, quam isti sibi confinxerunt. Quamobrem male de Spiritu sancto sentientes, ne de filio quidem rectè sentiunt. Nam si de Verbo rectè sentirent, sanam item de spiritu sententiam retinerent, qui proficiscitur à Patre, & filij proprius est, à quo illũ accipiunt. Spiritui enim vt magnus ille Martyr Stephanus dicebat, resistentes, filium etiam negant, & qui filium negant, ij nec patrem habent. Vnde igitur, ò miseri, tanta vobis audacia, vt id, quod à Domino dictum est, Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem neq: in hoc seculo, neque in futuro, non formidetis? Ariani quidem, Verbi aduentum in carne, et ea, quæ propter illum dicta sunt, non intelligentes, occasionem arripuerunt, vt in hæresim suã inciderent, & cum Deo pugnare, ac verè de terra inaniter loqui deprehenderentur. Vos autem quomodo decepti estis? à quibus hæc accepistis? aut quænam erroris vestri causa fuit? Legimus, inquiunt, apud Amos Prophetam Deum ita loquentem, Ecce ego firmans tonitrum, & creans spiritum & hominibus nuntians Christum meum, faciens auroram, & nebulam, & conscendens excelsa terræ, & Deus omnipotens nomẽ illi. Hoc, inquiunt, adducti testimonio in Arianorum opinionem descendimus, qui Spiritum sanctum creatum esse dicunt. Vos ergo, quæ sunt apud Amos, legistis, illud autem, quod est in prouerbiis, Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua, non legistis? An legistis quidem, & quemadmodum veritas habet, sic interpretamini, vt verbum negetis creatum esse, Amos autem Prophetæ verba non eodem modo interpretamini, sed cum simpliciter spiritum auditis, dici Spiritum sanctum existimatis? Atqui sapientia perspicuè in prouerbiis dicit: Creauit me. Et tamen vos, ac rectè quidem facientes, ita dictum illud exponitis, vt sapientiam rerum procreatricem extra res procreatas collocetis. Hæc autem Prophetæ verba nullo certo indicio Spiritum sanctum ostendunt, sed simpliciter spiritũ dicunt. Cur igitur, cum & in scripturis complures sint spiritus differentiæ, & ex his verbis rectè possit sententia colligi, vos vt homines litigiosi, aut serpentis Arianici morsu saucij à Propheta dici Spiritum sanctum arbitramini? Id mihi saltem respondete, vtrum in aliquo scripturæ loco Spiritum sanctum inueneritis, simpliciter spiritum dici, an vbique vel Dei spiritus dicatur, vel Patris, vel meus, vel Christi, vel filij, vel à me, quod à Deo significat, vel cum articulo coniunctus, ne simpliciter spiritus intelligatur flatus, aut ventus, sed ille ipse Spiritus sanctus, vel paracle-

tus, vel veritatis, nempe filij dicentis, Ego sum veritas. Quod quidem ideo factum est, ne simpliciter spiritum audientes Spiritum sanctum dici putaretis. Excipiantur ea loca, in quibus cum Spiritus sancti mentio iam facta sit, iterum nominatur, & in quibus, cum ante didiceris de Spiritu sancto verba fieri, tanquam idem repetatur, & memoretur, licet spiritus tantum audias, ignorare non potes de quo sermo sit institutus, presertim si articulus etiam adhibeatur. Nullum enim omnino locum inuenies, vbi sine articulo, aut sine aliqua eiusmodi adiectione significetur Spiritus sanctus. Nam quòd Paulus ad Galatas scribens, Hoc solum, inquit, volo à vobis discere, ex operibus legis spiritum accepistis, aut ex auditu fidei? perspicuum est, eos Spiritum sanctum accepisse, qui credentibus datur, & iis, qui per lauacri regenerationem renascuntur. Et in priore epistola, quàm ad Thessalonicéses scripsit, spiritum, inquit, nolite extinguere. Sciebant enim & ipsi Paulum de illo spiritu, quem acceperant, loqui, ne per negligentiam extinguerent Spiritus sancti gratiam, quam acceperant. Sic item in Euangeliis accipienda sunt ea loca, in quibus de Seruatore, tanquam de homine propter carnem, quam induerat, loquuntur Euangelistæ. vt cum dicunt, Iesus autem plenus Spiritu regressus est à Iordane? &, Tunc Iesus ductus est in desertum à Spiritu. Lucas enim antea dixerat. factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, Iesu baptizato, & orante, apertum est cœlum, & descendit Spiritus sanctus corporea specie sicut columba super ipsum. Sic illi, apud quos est Spiritus sanctus, quoties sine adiunctione ponitur, non dubitant Spirtum sanctum intelligi, præsertim si articulus adsit. Vos autem dicite, an in aliquo scripturæ loco Spiritum sanctũ, simpliciter spũm dici, id, quod vobis propositum est, inueneritis, sine illa adiectione, quam supra diximus, aut illa obseruatione, cuius mentionem fecimus. Hoc profecto dicere non poteritis. nusquam enim ita scriptum reperietur. Attamen dicitur etiam hominis spiritus. Nocte enim inquit Dauid, meditabar cũ corde meo, & fodiebat me spiritus meus. Et ventorum flatus, spiritus appellantur. Quinetiam si diuinas scripturas versetis, diuinorum sermonum sensum, ac mentem vocari spiritum animaduertetis. Cùm Paulus dicat, Qui & idoneos ministros nos fecit noui testamenti, non literæ sed spiritus, Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat. Dicta enim literis expressa sunt. eorum autem sensus, & mens, spiritus appellatur. Sic & lex spiritualis dicit. Ne seruiamus, inquit idem Paulus vetustati literæ, sed in nouitate spiritus. Et gratias agens, Lex enim inquit spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati. Iam Philippus cùm vellet Eunuchum à litera ad spiritum traducere, Nunquid intelligis, inquit, quæ legis? Talem etiam spiritum habuisse Chaleb Dei testimonio cõprobatur: Quoniam, inquit, fuit alius in eo spiritus, & secutus est me, intro ducam eum in terram hanc, quam circuiuit. Alia.n. mente, quam reliqui, locutus Chaleb gratus fuit Deo. Eiusmodi cor vt haberet populus, præcipiebat Deus per Ezechielem, Facite vobis, inquiens, cor nouũ, & spiritum nouum. Cùm igitur iam variis modis spiritus accipiatur, rectius ageretis, si cum spiritum creatum auditis, aliquo modo eorum, quos comemorauimus, intelligeretis. Sic apud Esaiam scriptum est, Consensit Aram cum Ephraim, & cõmota est anima eius & anima populi eius, quemadmodum in sylua lignum à spiritu mouetur. Eiusmodi fuit & ille spiritus, quem propter Ionam Dominus excitauit. Vétorum.n. spiritus tonitrum consequuntur. Vt in illa pluuia, quæ fuit tempore Acab, cùm obscuratum est cœlum nubibus, & spiritus. At enim, inquiunt, quia scriptura Christum nominat, consentaneum est, vt spiritum hunc non alium, nisi Spiritum sanctum intelligamus. Immo verò quoniam spiritum tanquam alienum, naturaq; diuersum secernitis à filio, cùm Christum quidem creatum negetis, spiritum autem creatum asseratis, absurdum est, quæ natura sunt dissimilia, ea simul nominare. Quæ enim societas aut similitudo potest esse rei procratę cũ procreatore? Alioquin eodem pacto potestis numerare, & coniungere cum filio ea, quæ per filium facta, creataq; sunt. Aequius igitur erat, vt quod scriptum est, de spiritu ventorum, quemadmodum diximus, intelligeretis. Verum quoniam ea re vos excusatis, quòd Christi fit mentio, necesse est, vt locũ hunc diligentius expendamus, & sensu magis proprio spiritum creatum dici demonstremus. Quid igitur est Christum suum hominibus nuntiare, nisi ipsum hominem fieri vt perinde sit, ac si dixisset, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, & cæterea, quæ de ipsius peregrinatione scripta sunt? Diuino autem assumptæ carnis ꝑ Verbum consilio nuntiato, quem debemus spiritum creatum existimare, nisi spiritum hominum, qui recreatur, & renouatur? Hoc enim per Ezechielem Prophetam promisit Deus, Et dabo, inquiens, vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo vobis, & auferam cor lapideum è carne vestra, & dabo vobis cor carneũ, & spiritum nouum dabo in vobis. Ecquando perfectum hoc est, nisi cùm Dominus veniens per gratiam omnia renouauit? Ecce enim & in his verbis spirituum differentia. Nam & spiritus noster is est, qui renouatur, & Spiritum sanctum non simpliciter sed spiritum suum appellat Deus, in quo & spiritus nostri renouantur. Vt Dauid etiam in Psalmo centesimo tertio canit, Emittes, inquiens, spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terre. Quòd si Dei spiritu renouantur, non Spiritus sanctus profectò, sed spiritus noster est is, qui nunc creari dicebatur. Quòd si filium, proptera quòd omnia per verbum facta sunt, creatum esse negatis, & rectè quidem nónne contumeliosi estis, cùm spiritum creatum dicitis, in quo per filium omnia perficit, & renouat pater? Proinde cùm hoc loco scriptum sit spiritum creari, nihil est, cur opinionis errore ducti Spiritum sanctum dici vobis persuadeatis, quia Spiritus sanctus non creatur, sed noster spiritus, qui in ipso renouatur. Quod facilè ostendit Dauid, cùm precaretur, Cor mundũ, inquiens crea in me Dñe, & spiritum rectum inoua in visceribus meis. Cùm igitur creatus spiritus sic intelligatur, firmatum tonitrum possumus fidelem sermonem, & immobilem spiritus legem interpretari, cuius cùm vellet Dominus Iacobum & Ioannem ministros esse, eos Boanerges, hoc est tonitrus filios appellauit. Quare Ioannes verè de cœlo tonat, In principio, inquiens, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Prius enim vmbram habebat lex futurorum bonorũ. At cùm Christus hoĩbus nunciatus est, & aduenit, Ego, inquiens, qui loquebar, adsum, tunc vt Paulus ait, vox eius commouit terram, cùm antea denunciasset, Ad huc semel inquiens, mouebo non modo terram, sed etiam cœlum. Illud autem, Ad huc semel, significat eorum, qui mouentur, mutationem, vt maneant quæ non mouentur. At isti verè mobiles cum Arianis consentientes, & maledicta contra diuinitatem cum illis ita partientes vt illi filium, ipsi verò spiritum creatum afferant, ausi sunt, vt ipsi aiunt, sibi rursum modo inuenire, & perperam interpretari Apostoli verba, quæ rectè ille ad Timotheum scripsit, Testificor, inquiens, coràm Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis, vt hæc serues

sine

sine præiudicio nihil faciens in alteram partem declinans. Deum, & Christum, inquiunt, nominauit, deinde Angelos. Itaque necesse est, vt in Angelorum numero spiritus ponatur. est enim ex ordine ipsorum, ita tamen, vt sit omnium maximus. Primùm dicimus istius impietatis inuentum esse Valentini. Quamobrem ea, quæ Valentini sunt, istos loqui non est obscurum. Dicebat enim Valentinus cùm Paracletus mitteretur, vna cùm illo æquales ipsius Angelos fuisse missos. Deinde cùm spiritum ad Angelos deducant, non animaduertunt, se Angelos in Trinitate collocare. Nam si, vt ipsi sentiunt, Angeli cum Patre, & filio sunt, in Trinitate nimirum sunt Angeli, nec amplius sunt spiritus ministrãtes in ministerium misi, neque sanctificantur, sed ipsi potius sanctificant. Quæ porrò istorum væcordia est? Vbínam in scripturis inuenerunt Spiritum, Angelum dici? Paracletus enim (vt ea, quæ dicta sunt, repetam) dictus est, & spiritus adoptionis, & spiritus sanctificationis, & Dei spiritus, & spiritus Christi. Nusquam verò dicitur Angelus, neq; Archangelus, neque spiritus administrationis, quales sunt Angeli, sed filij potius, & ipsius minister est Gabriel, qui Mariã alloquens, Spiritus sanctus superueniet, inquit, in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quòd si spiritus in scripturis Angelus nõ appellatur, qũo stulta istorũ audacia defendi potest? Qñ ille ipse Valentinus, qui impiam istam peruersitatẽ dissemi nauit. hunc Paracletum, illos autem Angelos nominat. Sed ecce, inquiunt, quid apud Zachariam Prophetã scriptum sit. Hæc dicit Angelus, qui loquebat in me, Ex quo patet, spiritum in Propheta loquentem ab ipso Angelum vocari. Hæc isti non dicerent, si verba Prophetę diligentius consi derassent. Ipse.n. Zacharias cùm Candelabri visum explicasset, & respondit, inquit, Angelus, qui loquebatur in me, & ait, Nunquid nescis, quid sint hæc? & dixi, Non Domine mi. Et ait ad me, dicens, Hoc est verbũ Domini ad Zorobabel, dicens, Non in exercitu magno, nec in robore, sed in spiritu meo dicit Dominus omnipotens. Angelus ergo, qui loquebatur, vt ex his perspicuum fit, non erat Spiritus sanctus, sed ipse quidem Angelus erat, Spiritus sanctus autẽ erat omnipotentis spiritus, qui & Angelũ ministrum habet, nec à Diuinitate, nec à Verbi potentia segregatur. Verum quoniam isti dictum Apostolicum obiiciunt, qui post Christum electos Angelos commemorauit, dicant, Quis ex omnibus his cũ Trinitate constituatur, neque.n. omnes Angeli sunt vnus numero: aut quis eorum ad Iordanem in columbæ specie descenderit, millia.n. millium, & innumerabilia sunt millia Angelorũ, qui ministrant, Cur igitur cœlis apertis dictum nõ est, Et ex electis Angelis vnus descendit, sed Spiritus sanctus? Aut cur ipse Dominus cum de Mundi consumatione verba faceret ad discipulos, distinguẽs, dixit, Mittet filius hominis Angelos suos, & antea dictũ est, Angeli ministrabant ei, & rursum ipse, Venient, inquit, Angeli, discipulis verò spiritum tribuens, Accipite, inquit, Spiritũ sanctum, & eos ad promulgandum Euangelium mittens, Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti? Non enim Angelum in Diuinitate collocauit, neque nos sibi, & patri in re procreata cõiunxit, sed in Spititu sancto. Quem cùm ipse promitteret, non dixit se missurum Angelum, sed spiritũ veritatis, qui à patre procedit. Et Moses, qui Angelos creatos esse nõ ignorabat, Spiritum sanctum autẽ cum patre, filioq; coniunctũ, cùm Deus ipsi loqueretur, vade, inquiens, descende hinc tu, & populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti, in terram, quam me daturum iurauì Abrahã, Isaac, & Iacob, dicens semini vestro dabo ipsam, & mittam ante faciem tuam Angelum meũ, & eiiciet Chananæum, recusauit, nisi tu, inquiens, nobiscũ proficiscaris, ne me deducas hinc. Nolebat enim, rem creatam populũ antecedere, ne populus eã, posthabito creatore, disceret adorare. Itaque Angelũ recusans, precabatur, vt ipse Deus Dux esset populi. Cui promittens Deus, Et hoc, inquit, quod dixisti, faciam: inuenisti enim gratiam in conspectu meo. Quid? Vos'ne soli ex omnibus ignoratis, quòd apud Esaiam scriptum est? Vbi est (inquit) qui posuit in ipsis Spiritum sanctum, qui dextera duxit Mosem? Et paulopost, Descendit, inquit, Spiritus à Domino, & Dux eorum fuit. Quis non ex his perspicit veritatem? Etenim cùm Deus promisisset se ducem eorum futurum, Ecce non Angelum dicitur mittere, sed spiritum suum, qui est super omnes Angelos, & ipse spiritus populum ducit. Ex quo patet, spiritum non esse creatum, neque esse Angelum, sed supra res omnes creatas, & patris diuinitati coniunctum. Deus enim per verbum in spiritu populũ ducebat. Et viri sancti sic alloquuntur Deum, Duxisti tanquam oues populum tuum. Et duxit eos in spe, & non timuerunt. Hunc etiam laudibus celebrant. dicentes, Qui duxit populum suum in solitudine, quoniam in seculum misericordia eius. Magnus autem Moses assiduè dicit, Dominus Deus est, qui incedit ante faciem vestram. Quamobrem constat, Dei spiritum non esse Angelum, neque creatum, sed potius esse diuinitatis eius. Nam cùm spiritus esset in populo, Deus per filium in spiritu erat in ipso. Verùm, vt hæc inquient etiam ipsi, concedamus, Cur post Christum Apostolus, Spiritum sanctum non nominauit, sed electos Angelos? Poterit eos vicissim alius interogare, cur Paulus non Archangelos, nec Seraphim, nec Cherubim, nec Dominationes, nec Thronos, nec aliud quicquam, sed electos tantum Angelos nominarit? Num quia de his tantum mentionem fecit, propterea soli sunt Angelis, Seraphim autem non sunt, neque Cherubim, neque Archangeli, neque Dominationes, non Throni, non Principatus, non aliud quicquam? Verùm ita res habet. Necesse est vt Apostolum calumnientur, quòd non hoc modo, sed illo scripserit, scripturas autem diuinas ignorent, & iccirco aberrent à veritate. Ecce enim apud Esaiam scriptum est, Et nunc Dominus misit me, & spiritus eius. Apud Aggeum autem, Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus. Et confortare Iesu fili Iosedec, dicit Dominus. Et confortetur omnis populus terræ, dicit Dominus, & facite, quoniam ego vobiscum sum dicit Dominus omnipotens. Et spiritus meus stetit in medio vestri. Et apud vtrunque Prophetam de solo Domino, deq; spiritu mentio fit. Quid igitur & de hoc dicent? si enim, quia Paulus de Christo mentionem faciens, spiritum non nominauit, nominauit autem electos spiritus, iccirco spiritum inter Angelos constituunt, reliquum est, vt in hæc prophetica verba incidentes audacius etiam de illo, qui silentio prætermissus est, rationem ineant. Siue enim Dominum dixerint esse filium, quid de patre dicent? Siue patrem asserent Dominum, quid dicent de filio? Quod enim ex eorum ratione consequitur, vel cogitare nefarium est. Necesse est enim, vt eum qui silentio est prætermissus, vel esse negent, vel in rerum procreatarum numero collocent. Præterea quid ad hoc illi, qui sunt eorum studiosi responbebunt? Iudex quidam erat in Ciuitate quadam, qui nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur. Nũ quia post Deum hominẽ nominauit, tertius est filius post hominem? Ad hæc si Paulum in eadem epistola audiuerint ita loquentem. Pręcipio tibi coram Deo, qui viuificat oĩa & Christo Iesu, qui testi-

moniũ reddidit sub Pontio Pilato bonam confeſsionem, vt ſerues mandatum ſine macula irreprehenſibile, an quia nunc de Angelis, & ſpiritu ſiluit, de ſpiritu, deq; Angelis dubitant? profectò dubitant. Talia.n. de ſpiritu maledicta cogitarunt. Quòd ſi ea ſcripturę verba in Exodo legerint, Timuit populus Dominum, & crediderunt Deo, & Moſi ſeruo eius, num vna cum Deo Moſem numerabunt, & ſecundum Deum nõ cogitabunt filiũ, ſed Moſem ſolum? Quid ſi Iacob Patriarchã audiuerint benedicentẽ Ioſeph, atque ita dicentem, Deus, qui paſcit me ab adoloſcentia mea vſque in pręſentem diem, et Angelus, qui eruit me de cunctis malis, bñdicat pueris iſtis, quoniam ſecundũ Deũ Angelum nominauit, ideo primus erit Angelus, nõ autem filius? aut Angelus vna cum filio numerabitur? At apoſto lica fides non eſt huiuſmodi, nec qui Chriſtianus eſt, hæc patiaẽ. Sancta enim, & beata Trinitas ſeparari nõ poteſt, ſed ſecum tota coniuncta eſt. Et dicto patre, Verbum eius conſequitur, &, qui in filio eſt, ſpiritus. Sin filius nominetur, in filio eſt pater, & Verbum nõ eſt extra ſpiritum. Vna enim eſt ex patre gratia per filium in ſpiritu ſancto completa, & vna diuinitas eſt, & vnus Deus eſt, qui ſuper omnia & per omnia, & in omnibus eſt. Sic.n. & Paulus cùm diceret, Teſtificor corã Deo, & Ieſu Chriſto, ſciebat, ſpiritum à filio nõ ſeparari, ſed in Chriſto ſpiritum eſſe, quemadmodum in patre filium. Diuinarum igitur ſcripturarum talis mihi videtur eſſe ſenſus, quo haud rectè de ſpritu ſentientium maledicentia confutatur. ſed ipſi pertinaci contentione pugnant contra veritatem, non tamen ex ſcripturis. Nihil.n. pro ſe in illis inueniunt, ſed ex abundantia cordis eructantes, rurſus, ſi creatus nõ eſt, inquiunt, neque vnus ex Angelis, ſed ex patre procedit, ergo filius eſt etiam ipſe, atque ita duo ſunt fratres ſpiritus, & Verbum. Quod ſi ſpiritus frater eſt, quomodo Verbũ eſt vnigenitum? aut quo modo non ſunt æquales? ſed verbum quidam poſt patrem genitum eſt, ſpiritus vero poſt filium nominatur? Ad hæc ſi ex patre eſt, cur nõ ipſe quoq; genitus dicitur, aut filius, ſed ſimpliciter Spiritus ſanctus? Quòd ſi filij ſpiritus eſt, pater eſt auus ipſius ſpiritus. Inanes has fundunt nugas homines abiecti, & ſcrutari volunt profunda Dei, quę nemo niſi Dei ſpiritus nouit. Ad iſta quidem ipſorum maledicta nos reſpondere non oportebat. Sed eos, quemadmodũ iubet Apoſtolus, poſt ſuperiorem ad monitionem, vt hæreticos auerſari. Verùm ne ſilentium noſtrum illis impudentiæ afferat occaſionem, audiant. Quemadmodum non licet, de patre patrem aliũ dicere, ita de filio dicere fratrem eſt nefas. Ante patrem enim, vt ſcriptum eſt, Deus alius non eſt genitus. Nec alius eſt filius, cùm ſit vnigenitus. Itaque & ſolus, & vnus pater, ſolius, & vnius filij pater eſt. Et de ſola diuinitate pater & filius ſemper fuit, & eſt. Ex hominibus enim licet aliquis dicatur pater, alterius tamen filius fuit, Et qui filius eſt, alterius dicitur eſſe pater. Nam Abraham, qui Tharre filius fuit, factus eſt pater Iſaac, & Iſaac, qui fuit filius Abrahã factus eſt pater Iacob. Atque ita ſe habet hominum natura. Sunt.n. mutuæ inter ſe partes. Et qui generatur, habet partem patris, vt ipſe quoque fiat pater alterius. De diuinitate verò haud ita res habet. Neque.n. ſicut homo, Deus eſt, neque natura ipſius partes ſuſcipit. Quãobrem nec ipſe diuiditur, dum filium generat, quo filius quoq; fiat alterius pater. Quandoquidem ne ipſe quidem ex patre eſt, Nec filius patris eſt pars. Itaque non generat, ſicut ipſe genitus eſt. ſed totus eſt imago totius, & ſplẽdor. Et in ipſa diuinitate pater propriè pater eſt, & filius propriè filius eſt. Et in his pater ſemper fuit pater, & filius ſemper filius. Et quemadmodum pater nunquam eſſe filius queat, ita nec filius pater. Et quemadmodum nunquam ceſſabit pater eſſe ſolus pater, ita nec filius ceſſabit eſſe filius. Furor igitur eſt, vel cogitare, vel dicere de filio quidẽ fratrem, aut auum de patre. Et in ſcripturis iccircò ſpiritus non appellatur filius, ne frater dicatur. Nec filius filij, ne pater eſſe auus intelligatur.

Ex eadem Epiſtola.

FOns, & lux dicitur pater. Me enim, inquit, reliquerunt fontem aquæ viuæ. Et rurſum in Baruch, Quid eſt inquit Iſrael, quòd in terra inimicorũ es? Reliquiſti fontem ſapientię. Et Ioãnes Deus, inquit, noſter lux eſt. Sed filius etiã, quo fonti reſpondeat, fluuius dicit̃. Fluuius, inquit, Dei repletus eſt aquis. Splendor autem, quo reſpondeat luci. Qui cùm ſit, inquit, Paulus, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Cùm igitur Pr̃ ſit lux, filius aũt ſplendor ipſius (eadẽ.n. de his ſępius dicere non grauamur) licet etiam in filio videre ſpiritum, in quo illuminamur. Vt det, inquit, vobis ſpiritum ſapientiæ, & reuelationis in cognitione ipſius illuminatos oculos cordis. Porrò cùm illuminamur ſpiritu, Chriſtus eſt, qui in ipſo illuminat. Erat.n. inquit, lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in mundum. Præterea cùm pater ſit fons, filius autem fluuius dicatur, nos dicimur ſpiritum bibere. ſcriptum enim eſt, Quoniam omnes nos vno ſpiritu potati ſumus. Cùm autem potamur ſpiritu, Chriſtum bibimus. Bibebant.n. inquit, ex conſequenti eos petra, petra autem erat Chriſtus. Ad hæc cùm Chriſtus verus ſit filius, nos ſpiritum accipientes, efficimur filij. Non enim accepiſtis, inquit, ſpiritum ſeruitutis in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. Cùm autem per ſpiritum adoptemur, in Chriſto nimirum declaramur filij Dei. Quotquot enim acceperunt eum, poteſtatem dedit eis filios Dei fieri. Deinde cùm pater, vt Paulus ait, ſit ſolus ſapiẽs Deus filius eſt ſapientia ipſius. Chriſtus.n. Dei virtus & Dei ſapientia. Iã cùm filius ſapientia ſit, nos ſapientiæ ſpiritum accipientes filium habemus, & in ipſo ſapientes euadimus. Sic enim ſcriptum eſt in Pſalmo centeſimo quadrageſimo quinto, Dominus ſoluit compeditos, Dominus ſapientes efficit cęcos. Et cùm ſpiritus datus ſit nobis, Nam Seruator, accipite, inquit, Spiritum ſanctum, Deus in nobis eſt, ſic.n. Ioannes ſcripſit, ſi diligimus inuicem, Deus in nobis manet. In hoc cognoſcimus, quòd in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quòd ex ſpiritu ſuo dedit nobis. Sed cùm Deus in nobis ſit, erit & filius in nobis, dicente filio, Ego, & pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Præterea cùm filius ſit vita, Ego enim, inquit, ſum vita, vitam accipere dicimur in ſpiritu, Qui enim ſuſcitauit, inquit, Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitantem ipſius ſpiritum in vobis. At cùm per ſpiritum viuificemur, ipſe Chriſtus dicitur in nobis viuere, Viuo autem, inquit, non amplius ego, ſed viuit in me Chriſtus. Et rurſum, quemadmodum filius quæ quidem faciebat opera, ea dicebat patrem facere. Pater enim, inquit, in me manens ipſe facit opera. Credite mihi, quòd ego in patre, & pater in me eſt. ſin minus, propter ipſa opera mihi credite. Sic Paulus, quæ quidem in virtute ſpiritus faciebat, ea dicebat eſſe Chriſti opera. Non enim audebunt, inquit, aliquid loqui eorũ, quę operatus eſt Chriſtus per me ad obedientiam gentium in opere, & ſermone, in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti. Qui ſanè ordo, atque coniunctio cùm in Trinitate ſit, ecquis poſthac filium à Patre, aut à filio,

lio, patre e spiritum separabit? aut quis erit tam audax vt Trinitatẽ sibi ipsam dissimilem, naturaq; diuersam dicat? aut aliam habere patrem essentiam, aliam filium, aut à filio spiritum esse alienum?

Ex eadem Epistola.

SIcut vnigena proles est filius, sic etiam spiritus à filio datus, & missus, est vnus ipse quoque non multi, neque è multis vnus, sed solus ipse Spiritus sanctus. Nam cùm vnus sit filius, Verbum vnum, oportet, vt vna quoque sit vita, perfecta, & plena, sanctificans, & illustrans, quę ipsius est actio atque munus. Filius quidem à patre mittitur, sed ipse mittit spiritum. Si enim inquit, ego abiero, mittam Paracletum. Ac filius quidem clarificat patrem, Pater, inquiens, ego te clarificaui, Spiritus autem filium clarificat. Ille enim, inquit, me clarificabit. Et filius, quæ, inquit, audiui à patre, illa etiam loquor in mũdo. Spiritus autem à filio accipit. Ex me enim, inquit, accipiet, & annuntiabit vobis. Et filius quidem venit in nomine patris. De Spiritu sancto autem, quem mittet, inquit, pater in nomine meo. Itaque cum talem habeat ordinem, & naturam cum filio spiritus, qualem habet cum patre filius, qui fieri potest, vt qui spiritum creatum dicit, non idem necessariò de filio sentiat? Nam si filii spiritus creatus est, sequitur vt patris quoque verbum creatum asserant. Quò d si cum Ario quidem sentire se negant, de spiritu autem talia dicunt, fugiant etiam ipsius verba, nec impiè de spiritu sentiant. Quemadmodũ enim filius in patre existens, in quo est etiam pater, creatus non est, sed proprius essentiæ patris, id enim & vos dicere simulatis, sic item spiritum in filio existentem, in quo & filius est, nefas est inter res procreatas numerare, à filioq; seiungere, atque ita Trinitatem imperfectam constituere.

Ex eadem epistola.

SPiritus viuificare dicitur. Qui suscitauit, inquit, Iesum Christũ à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra per inhabitantem spiritum in nobis. Et dominus est ipsa vita, & vitæ princeps, vt ait Petrus. Dominus autẽ, aqua, inquit, quam ego dabo ei, fiet in ipso fons aquæ salientis in vitam æternam. Hoc autem dixit de spiritu, quẽ erant accepturi credentes in eum. Res autem procreatæ, vt dictũ est, per ipsum viuificantur. Quod autem vitæ nõ particeps sit, sed vitam tribuit, & res procreatas viuificat, quam cum rebus generatis habeat, cognationem? aut quomodo sit omnino in rerum procreatarum numero, quæ in illo viuicantur à Verbo? Vnctio dicitur spiritus, & signaculum. Ioannes enim scribit, & vos vnctio, quam accepistis ab ipso, manet in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos de omnibus. In Esaia autem propheta scriptũ est. Spiritus Domini super me, eo quòd vnxit me. Paulus verò, In quo, inquit. cùm credideritis, signati estis in diem redemptionis. Quòd si res procreatæ hoc signãtur, & vnguntur, & de omnibus docentur, spiritus autem vnctio & signaculum est, in quo Verbum vngit, & signat omnia, quæ similitudo, aut proprietas vnctionis, et signaculi cum rebus, quę vnguntur, & signantur, esse queat? Hac igitur ratione non erit vnum ex omnibus. Neque enim vnctio ex rerum, quæ vnguntur, neque signaculum ex rerum, quæ signantur, potest esse numero: sed vngentis, & signantis Verbi proprius est hic spiritus. Vnctio enim vngentis suauitatem & spiritũ habet. Et qui vnguntur, huius dicũtur esse participes. Christi bonus odor sumus. Signaculum verò formam Christi signantis habet: & huius participes fiunt, qui signãtur, cùm ex eo formentur. Dicente Paulo Filioli mei, quos iterũ parturio donec formetur Christus in Vobis. Sic autem signati meritò participes etiam efficimur, vt Petrus ait, naturæ diuinæ. Atque ita Verbi particeps fit in Patre omnis res procreata. Et per spiritum dicimur oẽs Dei participes. Quòd si spiritus communione efficimur diuinæ naturæ participes, insanit planè, qui spiritui naturam creatam tribuit, nõ autem naturã Dei. Propter hoc enim & in hominibus est: & per ipsum diuini fiunt. Quòd si diuinos efficit, nõ est dubium, quin eius natura, sit Dei. Et clarius adhuc ad hãc hæresim confutandam in centesimo tertio Psalmo, vt supra diximus, canitur, Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Paulus verò per lauacrum, inquit, regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nobis abũde per Iesum Christum. Quòd si pater per Verbum in spiritu sancto omnia creat, & renouat, quæ nã creanti cum rebus creatis similitudo, aut cognatio sit? Hoc enim maledictum attingit etiam filium. Quare qui spiritũ creatum asserunt, ii filium quoque, per quem omnia creantur, creatum esse contendunt. Imago filii spiritus dicitur, et est: quos enim præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filii sui. Proinde cùm filium ipsi quoque creatum non esse concedant, ne imago quidem ipsius creata erit. Qualis enim imago est, talem esse ipsum quoque, cuius est imago, necesse est. Itaq; merito, & rectè verbũ creatũ negãt quãdoquidẽ est imago Patris. Qui verò inter res pro creatas spiritum numerat, idem inter eas filium locat. & eodem maledicto patri detrahit, quo violat imaginem ipsius. Non ergò è rerum procreatarum numero spiritus est. eumq; filii proprium esse potius, quàm alienum à Deo demonstrauimus. Porrò quod ad argutam illam ipsorũ quæstionem attinet, qua, si ex Deo, inquiũt, est spiritus, cur nõ dicitur ipse quoque filius? licet eam audacem, & petulantẽ esse superius ostenderimus, idem tamen nunc etiam declaremus. Quanuis.n.in scripturis nõ dicatur filius, tamẽ Dei spiritus & in ipso Deo, & ex ipso Deo dicitur. Quare cùm filius, quoniam ex Deo est, proprius sit essentiæ ipsius, & spiritum qui ex Deo dicitur, proprium esse secũdum essentiam filii, necesse est. Itaque cùm Dominus sit filius ipse spiritus dicitur spiritus adoptionis. Non enim inquit, accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis. Præterea cùm filius sit sapientia, & veritas, sapientiæ spiritum legimus, & veritatis. Esaias.n.ipsum sapiẽtiæ spiritum, seruator autem veritatis spiritum vocat. Ad hæc cùm filius Dei sit virtus, & Dominus gloriæ, spiritus dicitur Virtutis spiritus, & spiritus gloriæ: Si enim probris, inqt, Petrus, afficiamur in nomine Christi, beati, quoniam gloriæ virtutisq; spiritus super nos requieuit. Ex quo patet perfectam in hoc esse Trinitatem. In hoc igitur, filius homines gloria afficit, diuinosq; reddit, & adoptatos adducit ad Patrem. Qui verò simul cum Verbo eos afficit gloria, non est alienus à filio, alioquin alium quærere spiritum necesse sit, vt hic in Christo cum Deo coniungatur. Quod quidem absurdum est. Non igitur spiritus est è rerũ, quæ generatæ sunt, numero, sed patris est proprius diuinitatis. Quòd autem supra res procreatas sit spiritus, & à rerũ, quæ generatæ sunt, natura diuersus, diuinitatisq; proprius, ex his item licet intelligere. Corrumpi, immutariq; nequit spiritus sanctus. Petrus.n.in incoruptibilitate, inquit, & quiete modesti quietiq; spiritus. In libro autem sapientiæ scriptum est, Incorruptus.n.spiritus tuus est. Et nemo nouit, quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei, qui in ipso est. Non est autem apud Deum, vt Iacobus ait, transmutatio, aut vicissitudinis obũbratio. Itaque cùm in Deo sit spiritus

ſanctus, meritò nec corrumpi, nec immutari, inuertiq; poteſt. Rerum verò quæ generatæ, creatæq; ſunt, natura commutatur, quippe quæ ſit extra eſſentiam Dei, & ex nihilo conſtet. Omnis.n.homo, inquit mendax, Et omnes peccauerunt, & inferiores ſunt gloria Dei. Et de Angelis dictum eſt. Et Angelos, qui non ſeruauerunt principium ſuum, ſed proprium habitaculũ dereliquerunt. Et in libro Iob. Si aſtra non ſunt pura in conſpectu eius. Paulus autem neſcitis, inquit, quod Angelos iudicabimus, quanto magis quæ ſunt ſecularia? At.n.& Diabolus cùm eſſet in medio Cherubim, & ſimilitudinis ſignum effectus, de cœlis excidit tãquam fulgur. Quòd ſi res procreatæ talem habent naturam, & de Angelis hæc ſcripta ſunt, ſpiritus verò vnus eſt, & immutari non poteſt, & cum filio, qui non mutatur, ſemper immutabilis manet, quę ſimilitudo ipſi immutabili cum iis, quæ mutantur, eſſe queat? Patet igitur, ſpiritum nec creatum eſſe, neque omnino ex Angelorum eſſentia, qui mutabiles ſunt, ſed imago Verbi, & patris proprius eſt. Præterea Domini ſpiritus repleuit orbem terrarum. Sic.n. canit & Dauid, Quò ibo à ſpiritu tuo. Et rurſum in ſapientiæ libro ſcriptum eſt, Incorruptus.n.ſpiritus tuus eſt in omnibus. Quæ verò generata ſunt omnia diuerſis in locis diſpertita continentur. Sol quidẽ, & luna, & ſtellæ in firmamento. Nubes aũt in aere. Et hominibus poſuit fines gentium. Angeli porro mittuntur in in miniſterium. Et venerunt Angeli vt ſtarent in conſpectu Domini, quemadmodum in libro Iob ſcriptũ eſt. & dormiuit Iacob Patriarha, & vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumẽ illius tangens cœlum, Angelos quoq; Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam. Quamobrem ſi ſpiritus oĩa replet, Angeli verò vtpotè minores in loco ſunt, & quò mittunẽ, illic adſunt, ſpiritum nec creatũ, nec Angelum, ſed Angelorum natura præſtantiorẽ eſſe, perſpicuum eſt, contra q̃ vos affirmatis. Ex his rurſus Spiritum ſanctũ videre licet. Comunicantur ſpiritus, non autem particeps fit. eadẽ.n. repetere non grauabor. Impoſsibile.n.eſt inquit, eos, qui ſemel illuminati ſunt, guſtaueruntq; donũ cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, & guſtauerunt bonum Dei verbum &c. Angeli verò, & reliquæ res procreatæ participes ſunt ſpiritus. Quapropter hæ quidem excidere etiam poſſunt, cùm participes ſint, ſpiritus autẽ ſemper eſt idem.

Ex eadem & hoc.

EVntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti. Apoſtoli autem profecti ſic docuerunt. Et hæc in omnem terram, quæ ſub cœlo eſt, promulgata eſt prædicatio. Itaque cùm fidei fundamentum hoc habeat Eccleſia, dicant nobis rurſum iſti, atq; reſpondeat, Eſt ne Trinitas, an dualitus? ſi dualitas, cum rebus procreatis ſpiritus à vobis numeretur. Sin Trinitas eſt, vt verè eſt, oſtenſum autem eſt, hanc non eſſe diſtractam, neque diſsimilem, neceſſe eſt, vnam huius eſſe ſanctitatem, & vnam huius æternitatem, immutabilemq; naturam. Quemadmodum enim fides, quæ in ipſam traditur, Deo coniungit. Qui verò ſubtrahit aliquid è Trinitate, & qui in ſolo patris nomine, aut in ſolo filij nomine, aut in patris, & filij nomine, remoto ſpiritu baptizatur, nihil accipit, ſed inanis & imperfectus tum ipſe, tum qui videtur tradere, permanet. ſiquidem in Trinitate perfectio eſt, Ita qui filium à patre ſegregat, aut ſpiritum collocat inter res procreatas, is nec filium, nec patrem habet, ſed impius eſt, & infideli deterior, & quiduis potius, quàm chriſtianus. & iure id quidem. Sicut enim vnum eſt baptiſma in patre, & filio, & Spiritu ſancto traditum, & vna fides eſt in ipſam nimirum Trinitatem, vt ait Apoſtolus, ſic ſancta Trinitas in ſeipſa cùm ſit, & ſecum ipſa coniuncta, nihil habet in ſe, quod creatum ſit. Et ipſa Trinitatis indiuiſa vnitas, & vna in ipſam fides eſt. Sin autem, vt vos homines mutabilis excogitaſtis, haud ita res habet, ſed ſomniaſtis Spiritum ſanctum eſſe creatum dicere, iam noneſt vna veſtra fides, nec vnum baptiſma, ſed duo. Vnum quidem in patrem, & filium, alterum in Angelum, qui creatus eſt, & nihil vobis reliquum eſt tuti, nihil veri. Quæ.n.ſocietas rei procreatæ cum procreatore? aut quæ cõiunctio rebus inferioribus, quę creatæ ſunt, cum Verbo, quod eas creauit? Id ſciens Beatus Paulus non, vti vos, ſanctam diſtrahit trinitatem, ſed eius vnitatem docens de rebus ſpiritalibus ad Corinthios ſcribit, omnia ad vnũ Deũ referẽs patrem, Diuiſiones, inquit, gratiarũ ſunt, idem aũt ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autẽ dominus. Et diuiſiones operationũ ſunt, idem aũt Deus, qui operatur omnia in omnibus. Quæ.n.ſpiritus ſingulis diſtribuit, ea à patre per Verbũ præbet. Omnia nanque patris ſunt filij. Quamobrem gratiæ, quæ à filio dantur in ſpiritu, patris ſunt. Et cùm ſpiritus in nobis ſit, in hoc etiam ipſo patre eſt, Et ſic intelligendum eſt illud, Ego, & pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus, vt dictum eſt. Vbi enim lux, illic & ſplendor, & vbi ſplendor, illic & ipſius actio, & lucida gratia. Quod quidem rurſum Apoſtolus docens, in ſecunda ad Corinthios epiſtola ſcribit, Gratia, inquiens, Domini noſtri Ieſu Chriſti & charitas Dei, & cõmunicatio ſancti ſpiritus cum omnibus vobis. Gratia.n. & munus in Trinitate datur à patre per filium in Spiritu ſancto. Sicut enim ex patre per filium eſt gratia, quæ tribuitur, ſic largitionis communio in nobis eſſe non poteſt, niſi in Spiritu ſancto. Huius.n.compotes habemus patris charitatem, & filij gratiam, & ipſius ſpiritus communicationem. Vna profecto & ex his Trinitatis actio demonſtratur. Neque enim Apoſtolus varia, & diuiſa cuiuſque munera eſſe ſignificat, ſed quæ tribuuntur, in Trinitate tribui, omniaq; ex vno eſſe Deo. Cùm igitur creatus non ſit, ſed ita cum filio coniunctus, vt ipſe filius cum patre cõiunctus eſt, & cum patre ac filio glorificetur, Deuſq; cum Verbo, & patre probetur eſſe, eaq; agere, quæ pater, & filius agunt, nónne qui creatum eſſe contendit, is contra Deum ſe impiè gerit? Nihil enim eſt, quod non per Verbum in ſpiritu fiat, & peragatur, id quod etiam in pſalmis canimus, Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Et in Pſalmo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, Emittet verbum ſuum, vt liquefaciet ea, flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Et iuſtificati ſumus, vt Paulus ait, in nomine Domini noſtri, & in ſpiritu Dei noſtri. Spiritus.n.à Verbo ſeiungi non poteſt. Nimirum cùm Chriſtus dicat, Ego & pater veniemus, ſimul etiam ſpiritus venit, non aliter, q̃ ipſe filius. Paulus autem ad Epheſios ſcribit, Vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum ſanctum ſuum, in interiorẽ hominem habitare Chriſtum. At cùm filius in nobis ſit, eſt etiam pater, dicente filio, Ego in patre, & pater in me eſt. Itaq; cùm in Prophetis ſit verbum, in ipſo Spiritu ſancto vaticinantur. Cùm enim ſcriptura dicat, Et factum eſt verbum Domini ad aliquem Prophetam, ſignificat eum in Spiritu ſancto vaticinari. Apud Zachariam enim ſcriptum eſt, Verũtamen verba mea, & legitima mea ſuſcipite, quæ ego præcipio in ſpiritu meo ſeruis meis Prophetis. Et pauloposſt populum accuſans dicebat, Et cor ſuũ contumax inſtituerunt, ne legibus meis obedirent, & verbis,

quæ mandauit Dominus omnipotēs in ſpiritu ſuo. Petrus autem in actibus, viri fratres, inquit, oportuit impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus. Et paulopoſt, Iſtorum autem hominum inſtabilium fabuloſa, fictaq;, & aliud credendum proponens doctrina diſcrepat à ſcripturis, & cum illorum, qui Ario fauent, inſania conſentit. Et par eſt, eos ita reſpondere, quo ſimpliciores decipiant. Sed gratia Deo, quòd tegentes ſe non latuerunt, ficta contradictione. Nam & in eorum odium inciderunt, vt qui verè cum ſpiritu pugnarent. Et paulopoſt, Relicti ſunt mortui, deſerti, & ſpiritu vacui. Nā vt beatus ait Apoſtolus, animales homines cùm ſint, non potuerunt percipere, quæ ſunt ſpiritus Dei. Quoniam ſpiritaliter iudicati ſunt. Qui verò, quæ veritatis ſunt, ſentiunt, iudicant illi quidem omnia, ſed ipſi à nemine iudicantur: quippe qui in ſeipſis Dn̄m habent, ſeipſum illis & patrem in ſpiritu retegentem. Ipſe nāque Dominus Ieſus Chriſtus per ſe docuit Samaritanam, & per illam nos, quæ ſit ſanctæ perfectio Trinitatis, vna nimirum diuinitas, quæ ſeiungi, diſtrahiq; non poteſt: Crede, inquiens, mihi, quia venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate. Etenim pater tales quærit, qui adorent ſe. Quoniā ſpiritus eſt Deus, & qui adorant ipſum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Quibus ex verbis intelligimus filium quidē ipſum eſſe veritatem, vt ipſe docuit, Ego ſum, inquiens, veritas. De quo & Propheta Dauid precabatur, Emitte inquiens, lucem tuam, & veritatem tuam. Porrò veri adoratores patrem quidem adorant, ſed in ſpiritu, & veritate confitētes filium, & in filio ſpiritum. Nam à filio non ſeiungitur ſpiritus, vt ne filius quidem a Patre. Veritas ipſa teſtatur, Mittam inquiens, vobis paracletum, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, quem mundus non poteſt accipere.

Item de Spiritu ſancto. Baſilii Magni ex oratione quarta, qua contra Eunomium diſputauit.

QVemadmodum filius patre poſterior eſt ordine, in enumeratione enim præpoſitus eſt pater, Baptizantes eos, inquit, in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, Dignitate præterea, ex patre enim filius, nō ex filio pater, natura verò æqualis, Ego enim, inquit, & pater vnum ſumus, Sic & Spiritus ſanctus ordine quidem filio poſterior eſt, vt ex connumeratione decalaratum eſt, Dignitate etiam profectò. ſpiritus enim filij dicitur, vt qui per filium præbetur. Miſit enim, inquit, Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra. Nō autem filius dicitur ipſius ſpiritus. Natura tamen æqualis eſt patri, & filio. Quibus enim eadē eſt actio, iis eadem eſt etiam natura. At Eunomius eum annumerationis ordini adiungens tertię ipſum naturę pronuntiauit.

Ex eadem oratione.

QVæ creata ſunt, aut eſſentia, aut conſilio mutationem admittunt. At Spiritus ſanctus nec eſſentia, nec actione mutari, vertiúe poteſt. nō igitur creatus eſt.

Ex eadem oratione.

QVę creata ſunt, ideo ſunt ſancta, quia ſancta fiunt, At Spiritus ſanctus non eſt ex eorum numero, quæ ſanctitatem accipiunt, ſed ipſe tribuit ſanctitatem, Non igitur creatus eſt.

Ex eadem oratione.

QVæ creata ſunt, creatoris ſunt ſerua. Sic.n. Propheta Deum alloquitur, Omnia ſeruiunt tibi. Porrò qui ſeruus eſt, libertatem alteri, & adoptionem, quā ipſe natura nō habet, largiri nō poteſt. At Spūs ſanctus libertatem, & adoptionem elargitur. Quippe qui clamat in cordibus noſtris, Abba pater. Quare non iam ſeruus, ſed liber, atque ideo creatus non eſt.

Ex eadem oratione.

NIhil creatum eſt, quod per eſſentiam ſanctum ſit. Quod.n. eſſentia ſanctum eſt, externa non eget ſanctificatione. Hac autem non eget ſpiritus, qui per eſſentiam ſanctus eſt, non ergo creatus.

Ex eadem oratione.

OPus autem, inquit, manuum eius annunciat firmamentum, & alio loco, opera manuum tuarum ſunt cœli. Quę verò ſint Dei corpore carentis incorporeæ manus, quibus firmamentum cœloſq; conſtituit, ipſe Propheta declarat, Verbo, inquiēs, Dn̄i cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorū. Ac quemadmodum hoc in Deo verbum non pronuntiatur, ſed viuit atque ſubſiſtit, & omnia facit, ſic etiam ſpiritus in Deo non eſt aer, qui diffundatur, & diſſoluatur, ſed virtus ſanctificans, quæ ineſt, & exiſtit, & in ſua conſtat perſona.

Ex eadem oratione.

DIgitus ille Dei, qui in Aegypto puluerem in animalia conmutuit, primam animalium declarans generationē, paracletus erat, ſpiritus ille veritatis. Cùm enim tres Euangeliſtæ ſcribant, filium ad Iudæos dixiſſe, ſi ego in ſpiritu Dei eiicio demonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Lucas refert eum dixiſſe, ſi ego in digito Dei eiicio Demonia profecto peruenit in vos regnum. Itaque & quæ per Moſem in Aegypto facta ſunt ſigna, digito facta ſunt Dei, & admiranda Dei ſigna, ſpiritu perfecta ſunt. Porrò Dei digitus in his ſignis, quæ à Moſe, & à Domino ſunt confecta, dictus eſt ſpiritus nō quòd parua quædam uirtus ſit in Deo, vt in corpore digitus, ſed quòd in diuiſione gratiarum eius, vna quædam illarum eſt gratia ſignorum & curationum iccirco vnam hanc, non autem vniuerſas ſpiritus gratias appellat digitum Dei. Alij.n. per ſpiritū datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundū eundem ſpiritum, alij gratia curationum in vno ſpiritu, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij intrepretatio ſermonum. hæc autem omnia operatur vnus, & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Dixerit aliquis has omnes, & alias, quæcunque ſunt ſpiritus gratię, eſſe tanquam corpus ipſius, ſingulas autem ipſarum digitū appellari. Atque hunc quidem huiuſce verbi vſum ne deſpexeris. Nam cùm dixiſſet, hæc omnia ſpiritus operatur, vt vult, de Deo idem ait, Diuiſiones operationum ſunt, idem autē Deus, qui operatur omnia in omnibus. Quòd ſi operatur omnia Deus, vt vult, & hæc omnia operatur vnus & idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult, quomodo diuerſitas eſſentiæ ſit, vbi eadem actionis vis? Diuerſis enim eſſentiis ex Eunomij ſententia diuerſas eſſe actiones oportebat. At eandem ſpiritui auctoritatem ac poteſtatem ſeruator eſſe teſtificans, ſpiritus, inquit, vbi vult, ſpirat.

Ex eadem oratione.

DEi proprium est dimittere peccata. cùm ipse dicat, Ego sum, qui deleo peccata tua. Et si fuerint peccata vestra vti vermiculus, dealbabuntur tanq̃ nix, sin fuerint vt coccinum, tanq̃ lana, alba erunt. Dominus verò insufflans Apostolis. Accipite, inquit, Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Si nullius igitur est, vt profecto non est, nisi solius Dei, Spiritus autem sanctus ea per Apostolos dimittit, Spiritus sanctus nimirum est Deus, & eandem, quam pater, & filius actionem habet.

Ex eadem oratione.

VAde Damascum, & ibi dicetur tibi, quoniam vas electionis mihi es. Dominus igitur Paulo cùm apparuisset, locutus est. At eidem Damascum ingresso Ananias ait, Saule frater, respice, Deus Patrũ elegit te. Ac ne vox illa Deus de Christo intelligatur, subiicit, vt facias voluntatem eius, & cognoscas iustum ipsius Iesum. Ipse vere vocationem, & electionem scriptam relinquens, Paulus, inquit, seruus Iesu Christi vocatus Apostolus. Deinde vocationi aliud quiddam adiungit, segregatus, inquiens, in Euãgelium Dei. Quòd autem ille, à quo segregatus est, fuerit Spiritus sanctus, Actus Apostolorum ostenderunt, vbi scriptum est, Ieiunantibus autem Apostolis, & orantibus dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod vocaui eos. Quòd si Paulum elegit Dominus Deus patrum, Quem autem hic elegit, hunc segregat Spiritus sanctus, naturæ vtens auctoritate, quo essentitæ diuersitas in Trinitate, in qua eadem actionis vis inuenitur?

Ex eadem oratione.

ESaias Propheta, Vidi, inquit, Dñm Sabaoth sedentẽ in solio alto, & sublimi, & Seraphim stabant in circuitu eius. Sex alæ vni, & sex alæ alteri. Et paulopost, Et ait Dñs ad me. Vade, vt dic populo huic, Aure audite, & nolite intelligere: Et videntes videte, & nolite cognoscere. incrassatum.n. est cor populi huius, & quæ sequuntur. Ex situ quidem, atque ordine verborum Prophetæ constat, eum, qui super omnia pater est, illi apparuisse, & ipsum fuisse allocutũ. At filius tonitrus, qui sublimia, tonitruq; terribiliora loquitur, cuius proprium est non illud, Non erat, sed illud, in principio erat Verbum, filium dicit apparuisse, & Prophetam allocutum esse. Sic enim in Euangelio à se conscripto dicit, Propterea nõ poterant Iudæi credere in Iesum, quia de ipsis dixit Esaias, Excæcati sunt oculi eorũ, & induratum est ipsorum cor, ne videant oculis, & corde intelligant, & cõuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius. Paulus verò visionem hanc, & vaticinium tribuit Spiritui sancto. Bene, inquiens, Spiritus sanctus locutus est per Esaiam Prophetam ad patres nostros, Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius. Hæc si cognouissent, & rectè intellexissent, qui in perniciem suam sapientes sunt, Spiritum sanctum à Diuinitate non seiunxissent.

Ex eadem oratione.

SPiritus sanctus, Christus, & Dominus appellatur, dicente Paulo Apostolo, Si quis autem spiritum Christi non habet, hic nõ est eius: Si autem Christus in vobis, spiritus habitationem Christi demonstrat. Dicit autem rursum, Dominus autem spiritus est, vbi autem spiritus Domini ibi libertas. Quare Domini spiritus Dominus, non igitur seruus, nec creatus.

Ex eadem.

AT si Dei quidem imago filius est, inquiens, Spiritus autem imago filij, cur non filius filij spiritus dictus est? Hoc.n. vt argumento firmissimo ad impietatem tuam confirmandam vsus es. Vis enim vt aut filius, aut creatus intelligatur. Et quoniam filius non est appellatus, impiè creatum asseris rerum procreatarum auctorem, & procreatorem. Respondemus igitur, si filij filius appellaretur, ea loquendi ratio Trinitatem Diuinitatis & suspicioné multitudinis pareret. Promptum enim esset suspicari, si filius ex filio genitus esset, alium rursus ex hoc, atque ita multos deinceps filios esse genitos. Iccircò spiritum quidem ex Deo esse Paulus apertè pronuntiauit, dicens, nos spiritũ qui ex Deo est, accepisse & hunc fuisse per filium declaratum, planum fecit, dum eum filij spiritum, quẽadmodum & patris appellauit, & Christi mentem, quemadmodum & Dei spiritum. At filij filium nominare noluit, vt vnus sit pater Deus, qui semper maneat pater, & semper existat id, quod est, vnus item filius æterna genitus generatione, qui sine principio cum patre est, verus Dei filius, semper id, qđ est, manẽs, nempe Deus, Verbum, & Dominus, vnus quoque Spiritus sanctus, verè Spiritus sanctus, vt scriptum est, qui cum patre, & filio collaudatur.

Ex eadem oratione.

AT spiritum, inquis, Deus facit, & facit per filium, & illis verbis, omnia per ipsum facta sunt, Spiritus etiã tibi videtur contineri, atque ita Trinitas tibi redigitur ad dualitatem. Si enim cum aliis rebus spiritus numeratur, quomodo cum patre, & filio? aut quomodo Trinitas est Trinitas, nisi cum patre, & filio spiritus numeratur? Et quomodo per Trinitatem baptismus constituitur, ex quo mundus sanctitatem suscipit vniuersus? Quinetiam cum aqua numerari spiritum asseris, quòd vt aqua, sic ipse quoque creatus sit. Sic.n. Dominum loqui, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu. Et quasi hoc parum sit, tu spiritum etiam cum gehennæ igne collocas, propterea q̃ Ioannes dixerit, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Si dignitatem aquæ Spritui sancto tribuis, qm̃ spiritus aduentu, aqua efficitur sancta, quem impietati relinquis locum? Eodem enim numero habes id, quod sanctificat, & quod sanctificatur. Et quoniam ad nostrorum corporum purgationem aquam adhibet, eodem, quo aquã pretio, spiritum æstimandum putas. Medendi facultatẽ quanuis rebus ex materia constãtibus vtatur, non tamen iis æqualem ducis, sed earum dominam, & diuinum spiritum vtentem aqua, ad peccatorum maculas expurgandas, in abiectam aquæ humilitatem deturbas? Et cùm Apostoli dicant, Hæc dicit Spiritus sanctus, Prophetæ dicunt, hæc dicit Dominus: & Domini tentationem appellant spiritus tentationem: cùm eos, qui tentabant, sic alloquitur Petrus, Quid conuenit vobis tentare Spiritum sanctũ? Et ad eosdem, Non mentitus es, inquit, hominibus, sed Deo. Quòd si rursus Apostoli dicant, Visum est Spiritui sancto, & nobis, non auctoritatem spiritus sibi arrogantes, sed ei sese subiicientes, vt qui ab ipso spiritu acceperint auctoritatem, tu quasi vnum iudicium, & sensum suum esse dixerint, & spiritus, atque vnam auctoritatem, conaris spiritum ipsum in rerum creatarum ordinem redigere, quod perinde est ac si Deum Mosi diceres æqualẽ esse, qm̃ scriptum est, Credidit populus Deo, & Mosi

& Mosi seruo eius? At magna est inter Dominum, & seruum differentia. quam quidem & scriptor indicauit, subiiciens, Mosi seruo eius. Deus enim, vt Dominus est, & qui Mosem mittit. Moses verò vt seruus, & qui mittitur. Sic etiam spiritui tanq̃ Domino visum est, leges Ecclesiæ præscribere, Apostolis verò tanquam seruis eius visum est, ea, quæ pronuntiarunt, mandata dare. Non autem spiritus seruus, sed Dominus, inquit, est: & vbi spiritus Domini, ibi libertas. Ac præceptis quidē in seruitutem redigitur Israel cum timore commonitus, Ecclesia verò Christianorum adoptatur, sancta per charitatem effecta. Ideo Paulus. Nō enim, inquit, accipistis spiritum seruitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Non is profectò, qui seruum accipit, filius ipse è seruo constituitur, Nec quisquam ex eo, quòd serui particeps factus esset, Deum auderet patrem appellare. Nec qui seruus est, quæ Dei sunt, omnia facit vt vult. Nec spiritus præsentiam, si seruus, & creatus esset, ad omnia peruenire diceret. Dauid, faciem ipsum, ac Dei manum appellans: Quò ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiã? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in profundum maris. Etenim illic manus tua deducet me, & deducet me dextera tua. Spiritus enim est, qui replet vniuersa, sicut scriptum est: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.

Ex eadem.

SEd cur, inquis, cùm dixisset: Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, non addidit, & Spiritum sanctum non seiungens eum ab ipsis duobus, sed potius cum illis coniungens, ostendensq́; à patre, & filio spiritum non separari. Qm̃ & quando Paulus ait, Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis, nullo pacto sine patre sanctitatem induxit, sed in filio patrem etiam indicauit. Et quando dixit, Vobis enim reuelauit Deus per spiritum suum, non subtraxit filium dicentem, Nec patrem nouit quisquam, nisi filius, & cui filius reuelauerit. Quãuis autem patrem non nominet, tamen in filij appellatione genitorem etiam indicat. Et quãuis non nominet filium, eum tamen in patris nomine demonstrat. Ita cùm spiritus non nominatur, in Christo, qui largitur ipsum, atque impertit, intelligitur. An quando dicunt Apostoli. Hæc dicit Spiritus sanctus, solum Spiritum sanctum nobis præcipere & futura prænuntiare existimamus, ac non ex patre, per filium, in Spiritu sancto decreta, & vaticinia peruenire? Et cum legimus puerum ex Spiritu sancto natum, arbitramur ne spiritum sine verbo ad pueri personam constituendam accessisse: Atqui Ioannes dicit: Verbum caro factum est, & Verbo carnis assumptionem adscribit. Itaq; ex his omnibus patet, & in Verbo spiritum esse, & Verbum in spiritu, cùm diuinitatis vnitas nō distrahatur, Trinitatem enim trium nominum distinctio numerat, atque constituit. Vnitas verò trinitatis singulis nominibus demonstratur. Quamobrem illud ex ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia, in vno nomine coniunxit, & patris, & filij & Spiritus sancti proprietatē. Vnus enim Deus, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus, per quem omnia, & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia.

Ex eadem.

AT spiritus, inquis, hominis dicitur, vt eo loco, Auferes spiritum eorum, & deficient, & Dei spiritus dicitur, vt ibi, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, Et ventus dicitur spiritus, vt illud, Flabis spiritus eius, & fluēt aquæ. Et alia multa reperies spiritum appellari. Ad hoc igitur, quod aduersarij obiiciunt, respondemus, non fieri nominum similitudine, vt res quoque idem sint. Multa enim sunt, quæ eodem nomine appellantur, quod tamen nomen vni propriè conuenit. Exempli gratia, Dominus, & verè Deus est, qui dicit, Ego sum qui sum, multi tamen dicuntur Dij, & patres, & sapientes, & potentes, & effectores, quæ Deo soli natura semper adsunt. Ingenita item dicuntur, quæ nondum sunt genita, sed tamen futurum est, vt gignantur, & sint. Vt mortuorum resurrectio nondum est, sed tamen est futura. Et annulus, qui ex ferro conficiendus est, nondum est. Ingenita rursus dicuntur, quæ nullo pacto sunt. Verba item multis accipiuntur modis, sed vnum est Dei verbum sempiternum, quod & Deus in Euangelio dicitur, per quod omnia facta sunt. Et Dei filij in scriptura dicuntur multi, vt filios genui, & educaui. Et filius meus primogenitus Israel, qui tamen adoptione, & gratia per verum filium dicuntur filij, non tamen veri, naturaq́; filij: ex natura enim, & veritate res ipsæ censentur.

Ex eadem.

IMago filij dictus est, & digitus Dei, & Dei spiritus, & Verbum, & bonus spiritus, & rectus, & principalis, & spiritus virtutis, Et Dominus, & Deus dictus est Dei spiritus, quemadmodum & Verbum. Si enim cum Deo & Verbo virtutes cœlorum firmat spiritus, quomodo alienus, quem qui accipiunt, sunt Dei templum? Qui & spiritus oris Dei appellatur, & mundi creationis causa simul cum Verbo demonstratur, Qui facit omnia tanquã Deus, quemadmodum vult, vt Apostolus ait? Ille adoptionis spiritus, ille libertatis auctor, qui vbi vult, spirat diuinitatem, quem quidem & spiritum veritatis apertè rerum omnium Dominus vocat. Qui in columbæ specie super ipsum è cœlo descendit. Qui Domini carnem sanctificauit cum virtute nunquam à Deo separatus. Qui nouit, quæ Dei sunt omnia, vt spiritus, qui in nobis est, quæ nostra sunt, humanus, inquam, spiritus, qui in nobis est. Sic & quæ Dei sunt, inquit, nemo nouit, nisi spiritus Dei. Et rursum Seruator, Nemo, inquit, nouit filium, nisi pater, neq; patrem nouit quisquam, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Hoc illi simile est. Et illud huic par, Nobis enim, inquit, Deus per spiritum suum reuelauit. Vide igitur, quomodo pater aliquando reuelat filium, aliquando filius patrem, aliquando spiritus patrem simul, & filium.

In mundi procreatione perspicuum est, patrem cum filio, & spiritu colloqui, quemadmodum Moses humano more colloquentem ipsum inducit, atque dicentem, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Cui enim dicit, faciamus, nisi Verbo, & vnigenito filio, per quem omnia facta sunt, quemadmodum scribit Euangelista, & spiritui, de quo scriptum est, spiritus diuinus, qui fecit me? Ac quanuis oratione non declarauerit, de quibus dicat, aut quos alloquatur, tamen quòd de ipso solum non dicat, patet ex eo, ꝙ ecce, inquit, Adam vt vnus è nobis factus est. Et rursum, Venite, inquit, & descendentes confundamus linguas ipsorum, vt & numerum eorum intelligas. Nemo enim audeat Angelos cum Creatore, & Domino collocare. Neq; rursum Dei persona vna potest intelligi, cùm dicat, tanquam vnus è nobis. Et venite, & descendentes confundamus. Perspicuum

& illud est, quod de Sodomorum euersione dictum est, Pluit Dominus à Domino ignem, & sulfur è cœlo. Et qd' his simile Propheta dixit è persona Dei, Euerti eos, & euertit Deus Sodomam, & Gomorrham. Et aliter humano more loquitur Deus, Seruabo eos in Domino Deo ipsorum. Quod quidem non est dissimile verborum Apostoli, cum ait, Det ipsi Dominus inuenire gratiam à Domino in illa die.

Eiusdem ad eos, qui dicunt sæpe de filio, & patre scriptum esse, de spiritu autem in Baptismo tantum.

SI pater dixerit, In extremis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem, quid dicemus de filio? Neque enim vlla fit de ipso mentio. Et Propheta dixerit, Illic occurrerunt ceruæ, & facies suas mutuo conspexerunt, numero prçterierunt, & nulla ipsarum capta est, quia Dominus præcepit eis, & spiritus eius coëgit illas, vbi filius? Et si dixerit Dauid, Spiritum sanctum tuum ne auferas à me, Vbi filius? Et si idem dixerit, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis, Vbi filius? Quòd si rursus idem dixerit, Spiritus sanctus tuus deducet me in terra recta, Vbi filius? Sin idem dixerit, Et spiritu principali confirma me, Vbi filius? Et cùm dicat Iob, spiritus diuinus, qui fecit me, Vbi filius? Et cùm idem Iob dicat, spiritus est in hominibus, Et spiritus omnipotentis edocet me, Vbi filius? Quòd si dicat Dauid, Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ, Vbi filius? sin dicat, Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam, Vbi filius? Et cùm per Esaiam, Væ, filij desertores, dicit Dominus, fecistis consilium, sed non per me, & pacta sed non per spũm meum, Vbi filius? Et cùm egredietur, inquit, virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus sapientiæ & virtutis, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & implebit eum spiritus timore Dei, quomodo spiritum separabo? Et si dicat, spiritus Domini super me, eo quòd vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, quomodo spiritum separabo? Quam multa verò studiose quærentibus loca reperientur, tum in veteri, tum in nouo testamento, in quibus de spiritu, & filio, & patre mentio fit? Aue gratia plena Dominus tecum. Ecce enim in vtero concipies, & paries filium. Dicente autem Maria, quomodo sciam istud, quoniam virum non cognosco? dicit ei Angelus, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et rursus idem Angelus dicit Ioseph, Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Et rursum Angelus interpretans verba Prophetæ, vt impleatur, inquit, quod dictum est, Ecce puer meus electus, dilectus, in quo complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum. Et in Euangelio scriptum est, Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis, vnde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Et similiter in Euangelio, si ego in spiritu Dei eiicio Dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Et rursus scriptum est, omne peccatum & blasphemia dimittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non dimittetur. Et in baptismate descendit Spiritus sanctus, & mansit super eum, Angeli verò descendentes ministrabant ei, vt intelligas, Angelos quidem descendentes ministrare, quo seruitutem ostendant suam. Spiritus autem mansit super eum, vt cùm mansionem audis, naturæ cognoscas ipsius libertatem. Præterea scriptum est, Iesus autem plenus Spiritu sancto reuersus est à Iordane, & ductus est in spiritu in desertum, diebus quadraginta tentatus à Diabolo. Item, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et rursum, veritatem, inquit, vobis dico, expedit vobis, vt ego vadam, si enim ego non abiero, paracletus non veniet ad vos, spiritus ille veritatis, qui à patre procedit. Quòd si nobis obiecerint, spiritum à seipso non loqui, sed quæcunque audiuerit, respondebimus, ne filium quidem à seipso loqui: Sed qui misit me, inquit, pater, ipse mihi dixit, quid dicam, & loquar. Quæcunque enim spiritus, & filius loquitur, sunt Dei verba. Et iccircò omnis scriptura diuinitus dictata, & vtilis, est à spiritu pronuntiata. Ex hoc enim verè colligimus, spiritum creatum non esse, quando quæ creata sunt, & ratione prædita, modo à seipsis, modo quæ Dei sunt loquuntur. Vt cùm Paulus ait, De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam à Domino consecutus. Matrimonio autem coniunctis præcipio non ego, sed Dominus. Et Propheta, ò Domine, inquit, iudicia tamen loquar ad te, cur viæ impiorum prosperantur: Et rursum hei mihi mater, cur me peperisti? Aliquando autem dicit, Hæc ait Dominus. Et Moses nunc vocis tenuitatem, & linguam impeditam excusat, nunc ait, Hæc dicit Dominus, Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Spiritus verò haud ita se gerit, vt modo quæ sua sunt, modo quæ Dei sunt, eloquatur, sed omnia ipsius verba, Dei sunt. Sic etiam filijs sunt verba Dei. Nec filius à se loquitur. Qui enim misit me, inquit, pater, ille mihi dixit, quid dicam, & quid loquar.

Eiusdem ex triginta Capitum ad Amphilochium capite nono, separatæ de Spiritu sancto sententiæ scripturarum doctrinæ consentaneæ.

SEd iam quales sint communes nostræ de Spiritu sancto sententiæ, quas tum è scripturis collegimus, tum ex non scripta patrum traditione percepimus, expendemus. Primum igitur quis auditis spiritus appellationibus animo non excitatur, & ad supremam illam naturam cogitationem extollit? spiritus enim Dei dictus est & spiritus veritatis, qui à patre procedit. Spiritus rectus, spiritus principalis. Spiritus sanctus, quæ quidem propria ipsius, & singularis est appellatio, & maximè omnium incorporei, planeq; materia vacantis, & diuisionem non admittentis est nomen. Itaque Dominus etiam mulierem illam, quæ Deum in loco adorari existimabat, docens id, quod incorporeum est, loco non includi, Deus, inquit, spiritus est. Quare qui spiritum audit, naturam circunscriptam, aut quæ inuerti, immutariúe possit, aut quæ rebus procreatis omnino sit similis, sibi in animo fingere non potest, sed mẽtem ad sublimia tollens necessario naturã cogitat intelligibilem, virtute infinitam, magnitudine, incõprehensam, nullis temporibus, aut seculis definitam, suis affluentem bonis, ad quem oĩa, quæ sanctitate egent, confugiunt, quem expetunt omnia, quæ ex virtute viuunt, vtpote quæ eius, irrigantur aspiratione, & ad proprium suum, ac naturalem finem adiuuantur, qui alia perficit, cùm ipse nullius indigeat.

geat. Qui instauratione non eget, vt viuat, sed vitam præbet, non accessionibus crescit, sed plenus, rectus, in seipso firmatur, & est vbique, fons sanctitatis, lux intelligibilis, quæ omni potentiæ ratione præditæ ad veritatis inuentionem quasdam veluti faces per se largitur. Ad quem natura nullus, sed bonitate aditus patet. Omnia quidem virtute replet, sed à solis dignis percipitur, nec vna mensura, sed pro ratione fidei vim suam diuidit. Simplex essentia, varius facultatibus, totus singulis præsens, & totus vbique existens, sine læsione diuiditur, & totus communicatur, instar radij solis, qui, cùm eius beneficio vnusquisque tanquam ipse solus præsenti perfruatur, & terram illustrat, & mare, & in aëre permiscetur. Ita nimirum & spiritus singulis, à quibus suscipitur, tanquam solis adest, & sufficientem omnibus atque integram gratiam immittit. Eo fruuntur, qui participes illius fiunt, quantum capit eorum natura, non quantum ipse potest. Coniunctio verò spiritus cum anima fit, non per appropinquationem in loco. Quo modo enim corpore ad corporis expertem accedas? Sed per discessum à vitiis, Quæ quidem vitia ex carnis amicitia postea cum anima contracta, eam à Dei necessitudine abalienauerunt. Oportet igitur, vt homo à turpitudine, quam ex malitia contraxit, purgetur, & ad naturalem pulchritudinem redeat, & tanquam imagini regiæ pristinam formam per purgationem reddat. Hac enim ratione sola licet ad Paracletum appropinquare. Qui tanquam sol, si expurgatos oculos inuenerit, in seipso imaginem tibi inuisibilis ostendet. In hoc autem beato imaginis spectaculo illam exemplaris pulchritudinem, quæ verbis explicari nõ potest, intueberis. Hic cordium ascensum constituit, manu ducit infirmos, proficientes perficit. Hic ab omni labe purgatos illustrans coniunctione sua spiritales reddit. Et quemadmodum splendida & pellucida corpora, si radiis attingantur, tum ipsa fulgent, tum alium ex se splendorem emittunt, sic spiritum ferentes animæ à spiritu illustratæ, tum ipsæ fiunt spiritales, tum in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum prænotio nascitur, mysteriorum cognitio, rerum occultarum comprehensio, gratiarum distributiones, cœlestis conuersatio, cum Angelis tripudia, in Deo permansio, &, quod rerum expetendarum summum est, vt Deus fias.

Eiusdem in eos, qui dicunt cum patre & filio Spiritum sanctum non esse collocandum.

Caput decimum.

NOn est, inquiunt, Spiritus sanctus cum patre, & filio coniungendus, quòd sit & natura diuersus, & inferior dignitate. His æquum est, vt Apostoli verbis respondeamus: Obedire magis oportet Deo, quàm hominibus. Nam si Dominus cùm salutarem baptismum institueret, apertè præcepit discipulis, vt baptizarent omnes gentes in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, nec respuit ipsius societatem, isti verò in eodem cum patre & filio negant ordine collocandum, nónne perspicuè aduersantur mandato Dei? Si enim nullam hoc ordine societatem, & coniunctionem significari dicunt, quidnam illud conuenit existimare? aut quem alium coniunctionis modum magis proprium habent? At qui si Dominus sibi ipsi, & patri spiritum in baptismo non adiunxit, tunc nobis vitio vertant, quòd adiungamus. Nihil enim nos diuersum sentimus, aut loquimur. Sin illic patri, filioq; coniunctus est, & nemo est adeo impudens, qui aliter dicat, ne sic quidem nobis vitio vertant, cùm ea sequamur, quæ scripta sunt. Verùm cùm belli apparatus aduersus nos instructus sit, & omnis eorum cogitatio contra nos intendatur, & maledicorum linguæ, quæ vehementius feriunt, quàm lapides, quibus olim, qui Christum occiderant, Stephanum obruebant, huc tendant, tamen illud eos ne lateat, bellum quidem ad nos videri pertinere, sed altius tamen re vera spectare. Nam machinas illi quidem, & insidias struunt, seq; vt quisque vel vsu, vel virtute præstat, ad ferendum auxilium cohortantur, fides tamen est illa, quæ oppugnatur. Et commune omnium aduersariorum, quique sanam doctrinam oppugnant, propositum est, vt firmamentum fidei in Christum, ea, quæ per manus ab Apostolis tradita sunt, solo æquata delentes, conuellent & labefactent. Itaque vt grati debitores demonstrationes è scripturis postulant, quæ sine scripto à Patribus tradita sunt testimonia, tanquam nullius ponderis reiiciunt. Sed nos veritatem non deseremus, nec timiditate socios in bello prodemus. Si enim, cùm Dominus institutum hoc tanquam necessarium tradiderit, vt cum patre, & filio Spiritum sanctum coniungemus, isti secus sentientes eum seiungunt, & dirimunt, & ad seruilem naturam transferũt, nónne verè maiorem maledicto suo, quàm Domini præcepto tribuunt auctoritatem? Age igitur omni contentione remota sic ea, de quibus disputatio inter nos est instituta, perpendamus. Vnde censemur Christiani? ex fide quiuis respõdebit. Quo autem pacto salutem assequimur? per baptismi nimirum gratiam regenerati. qua enim alia ratione? Cùm igitur salutem hanc per patrem, & filium, & Spiritum sanctum sciamus esse roboratam, quam doctrinæ formam suscepimus, abiiciemus? Vehementer esset ingemiscendum, si longius à salute nostra nunc abesse deprehenderemur, quàm cum credidimus. Siquidem ea, quę tunc accepimus, nunc repudiamus. Eadem est iactura, vel expertem baptismi discedere, vel vnam aliquam traditionis partem imperfectam accepisse. Et qui confessionem, quam in prima institutione deposuimus, omni tempore non seruat, nec in omni vita tanquam tutum propugnaculum complectitur, is à Christi promissis alienum se constituit, quippe qui proprio chirographo, quod in fidei confessione deposuit, aduersatur. Si enim Baptismus mihi fuit principium vitæ, & dies prima illa regenerationis dies, & vox illa nimirum est omnium præstantissima, quam in adoptionis gratia pronũtiaui. Ergo institutum illud, quod me in lucem eduxit, & Dei mihi largitus est gratiam, per quod effectus sum filius Dei, qui prius propter peccatum inimicus extiteram, id ego callidis istorum argumentis deceptus abiiciam? Immo verò & mihi ipse precor, vt cùm hac confessione ad Dominum accedam, & istos moneo, vt integram seruent, fidem in diem Christi, nec spiritum à patre filioq; seiungant, sed quam iam inde ab ipso Baptismo doctrinam complexi sunt, eam & in confessione fidei, & in gloriæ persolutione tueantur, atque conseruent.

Eiusdem.

CVi væ? cui afflictio? cui angustia, & tenebræ? cui æterna condemnatio? nónne iis, qui fidem abnegarunt? Ecquod est autem abnegationis indicium? nónne quòd confessiones proprias improbarunt? Ecquid autem confessi sunt? aut quando? se credere in patrem, & filium & Spiritum sanctum, cùm renuntiantes Diabolo, & Angelis eius salutarem illam vocem emiserunt, Quod igitur congruens in istos nomen à filiis lucis inuentum est? Nónne

præuaricatores appellati sunt, vt qui salutis suæ pacta violauerint? Quo igitur, nisi præuaricatoris nomine, eum, qui Deum, aut Christum abnegauit, appellabo? Quòd autem illi, qui spiritum abnegauit, vis me nomen imponere? nónne hoc idem? vt qui à pactionibus cum Deo factis recesserit? Cùm igitur fidei in spiritum confesio pietatis beatitudinem conciliet, negatio verò subiiciat impietatis condemnationi, nónne horrendum est, si ipsum, non ignis, nō gladij, non crucis, non verberum, non tormentorum formidine territi sed falsis tantummodo illorum, qui spiritum oppugnant, argumentis & rationibus adducti reiiciamus? Si quis Christum confiteatur, & Deum neget, huic Christum nihil profuturum esse testificor. Et qui Deum inuocat Christum autem repudiat, fidem illius inanem esse. Et qui spiritum reiicit, eum frustra in patrem & filium crediturum, quam tamen in eos fidem nisi Spiritus adsit, habere non potest, Neq; enim credit in filium, qui non credit spiritui. Neq; credit in spiritum, qui filio nō credit. Nemo enim potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Et Deum nemo vidit vnquam, sed vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse nobis enarrauit. Cuius quidem, qui talis est, est expers, & veræ adorationis. Neq; enim filium adorare licet, nisi in Spiritu sancto, nec pater, nisi in adoptionis spiritu potest inuocari.

Eiusdem in eos, qui solum baptismum etiam in Dominum satis esse contendunt. Cap. XII.

NEminem verò in errorem inducāt Apostoli verba, qui sæpe in baptismo patris, & filij, & Spiritus sancti mentionem omittit. Neq; iccirco nominum horū inuocationem obseruandam non putet. Quicūq;, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis. Et rursum, Quicunque, inquit, in Christum baptizati estis, in mortem eius baptizati estis. Christi enim appellatio totum complectitur. Nam & Deum, qui vnxit, & filium, qui vnctus est, & spiritum, qui est ipsa vnctio, declarat, vt ex Petro ī Actis didicimus, Iesum à Nazareth, quē vnxit Deus Spiritu sancto. Et apud Esaiam, spiritus Domini super me, in eo quòd vnxit me. Et in Psalmis: Propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. At solius etiam spiritus aliquādo videtur in baptismo fecisse mentionem. Omnes enim, inquit, in vno corpore, in vnum spiritum baptizati sumus. Cui congruit etiam illud, Vos autem baptizabimini spiritu sancto. Et illud, Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto. Non tamen iccircò perfectum baptismum quis dixerit, in quo solum spiritus nomen inuocatum est. Institutum.n. in gratia vitæ largitrice traditum transilire non oportet. Qui enim vitam nostram liberauit à corruptione, dedit nobis renouationis facultatem, quæ causam habet inexplicabilem, & in mysterio continetur, sed magnam animis salutem affert. Quamobrem aliquid addere, aut detrahere, est apertè ab æterna vita decidere. Itaque si spiritus in baptismo à patre filioq; seiunctio baptizanti quidem periculosa est, & inutilis baptismum suscipienti, quomodo tutum est, à patre & filio spiritum separare? Fides autem & baptismus sunt duo salutis modi sic inter se coniuncti, vt diuelli non queant. Siquidem fides per baptismum perficit. baptismus autem per fidem. Et iisdem nominibus vtrunq; completur. Sicut enim credidimus in patrem, & filium, & Spiritum sanctum, ita baptizamur in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Et confesio quidem dux ad salutem præcedit. Baptismus verò pactionem nostram obsignans consequitur.

Eiusdem, cur apud Paulum Angeli cum patre & filio simul accepti sint. Cap. XIII.

AT alia quoque, inquiunt, quāuis cum patre, & filio connumerentur, non tamen conglorificantur omnino. Vt Apostolus in testimonio, quo ad Timotheum vtitur, Angelos etiam adhibet. Testificor, inquiēs, tibi coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis eius, quos è reliquarum rerum procreatarum numero non eximimus, nec cum patre, & filio patimur numerari. Ego verò, licet adeo perspicuè absurda sit ista ratio, vt ne responsione quidem sit digna, respondeo tamen, posse quidem fortasse conseruum, etiam testem adhiberi apud mansuetum, mitemq; iudicem, præsertim cum de æquitate in eos qui iudicantur, agitur, quo æqua iudiciorum sententia confutari minimè posse demonstretur, liberum verò è seruo cōstitui, & vocari filium Dei, & à morte liberari à nemine alio posse, nisi ab eo, qui naturalem ipse possideat coniunctionem, & à seruili conditione sit alienus. Quomodo.n. cum Deo coniungat alium is, qui ab eo ipse seiunctus sit? Aut quomodo qui iugo seruitutis subiectus est, vindicabit alium in libertatem? Quare non pari ratione de spiritu, atque Angelis mentio fit. Sed de spiritu quidem, vt de vitæ Domino, de Angelis verò, vt qui sint conseruorum adiutores, & tanq̃ fideles veritatis testes adhibentur. Soliti sunt enim homines sancti, mandata Dei testibus adhibitis dare. Vt idem hic ad Timotheum ait, Quæ accepisti à me coram multis testibus, ea commenda fidelibus omnibus. Et nunc Angelos testes profert, quoniam eos vna cum iudice nouit affuturos, cum venerit in gloria patris ad iudicandū orbem terrarum in iustitia. Qui enim, inquit, cōfitebitur me coram hominibus, & filius hominis confitebitur eum coram Angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur à me coram Angelis Dei. Et alibi Paulus, in reuelatione, inquit, Domini Iesu Christi è cœlo cum Angelis. Huius rei gratia hinc iam testatur coram Angelis, ad magnum illud iudicium promptas sibi ipse parans demonstrationes.

Cap. XIIII.

AT ne si in ipsum quidem spiritum, inquiunt, baptizemur, æquum propterea est, vt ipse cum Deo collocetur. Nam & in Mosem baptizati sunt quidam in nube & in mari, similiter dubium non est, quin fides etiam in homines iā extiterit. Credidit enim populus Deo & Mosi seruo eius. Cur igitur tantopere spiritum, inquiūt, supra res procreatas extollis & magnificas, cùm eadem iam & hominibus sint attributa? Quid respondebimus? sic in spiritum fidem esse, vt in patrem, & filium. Similiter & baptismum. In Mosem verò & nubem tanq̃ in vmbram & figuram. Nec quia rebus paruis & humanis diuinæ significatæ sunt, propterea diuinarum item naturam esse paruam, quàm figurarum adumbratio plerūq; declarauit. Figura enim rerum, quæ expectantur, est declaratio, similitudine præmonstrans id, quod futurum est. Vt Adam figura erat futuri. Et petræ figura Christum, & petræ aqua vitalem verbi vim significabat. Siquis enim sitit, inquit, veniat ad me, & bibat. Et Manna panem viuum, qui de cœlo descendit. Et serpens, signum fuit salutaris illius mortis, quæ per lignum perfecta est. Quamobrem & qui respiciebant in eum seruabantur. Sic etiam ea, quæ pertinent ad exitum Israelis scripta sunt, vt eos, qui per baptismum seruantur, indicarent. Sic autem seruata sunt Israelitarum primogenita, vt eorum corpora, qui baptizātur, cùm gra-

tia tribueretur iis, qui sanguine essent signati. Mare autẽ, & nubes tunc quidẽ per stuporem ad fidem adducebãt, in futurum verò tanquam figura gratiam futuram præsignificabant. Quis sapiens, & intelliget hæc? Quomodo mare, quod baptismi figuram gerit, ita seiungit à Pharaone, vt baptismus ipse à Diaboli dominatu. obruit illud inimicum in se. Interit & hic inimicitia nostra cum Deo. Populus ex illo incolumis egressus est. Ascendimus & nos ex aqua tanquam viuentes è mortuis, illius, qui nos vocauit, gratia conseruati. Nubes autem doni Spiritus sancti figurã gerit, qui per membrorum mortificationem vitiorum flammam frigefacit. Quid igitur? num quia per figuram in Mosem baptizati sumus, iccircò parua est baptismi gratia? Hoc quidem pacto nihil, quod ad res nostras pertineat, magnum sit, siquidem eam, quæ in earum singulis est, grauitatem calumniemur. Neque enim Dei erga homines Caritas magnum aliquid naturaq; præstantius habebit, qui vnigenitũ tradidit pro peccatis nostris, quandoquidem nec Abrahã proprio pepercit filio. Neq; mors Dñi gloriosa, qm̃ ouis pro Isaac figurã oblationis expleuit. Neq; terribilis descensus ad inferos, qm̃ Ionas tribus diebus & totidem noctibus figuram mortis impleuit. Idẽ igitur facit in baptismo, q vmbræ comparat veritatem, & figuris comparat ea, quæ per figuras signãtur, & per Mosem, & mare totum simul consilium euangelicũ distrahere conatur. Quæ .n. remissio peccatorum? Quæ vitę renouatio in mari? Quę gratia spiritalis per Mosem? Quæ illic peccati internecio? Nõ sunt illi mortui cum Christo. Quocirca nec consurrexerunt. Non tulerunt imaginem cœlestis, non Iesu mortificationem in corpore gestarunt, non exuerunt veterem hominem, non induerunt nouum qui renouatur ad agnitionem secundum imaginẽ eius, à quo creatus est. Quid ergo baptismos comparas, quorum nomen duntaxat commune est, re autem tantum inter se differunt, quantum à veritate somnium, & vmbra atque imago ab iis, quæ per essentiam subsistunt? Quid? quòd fides in Mosem non fidem in spiritum exigui ponderis esse declarat, sed potius in rerum omnium Deũ confessionem extenuat? Credidit enim, inquit, Populus Deo & Mosi seruo eius. Cùm Deo igitur, non cum spiritu coniunctus est. Et figura erat non spiritus, sed Christi. Tunc enim in legis ministerio per se ipsum mediatoris Dei atque hominum figuram gerebat. Neque enim spiritus figura erat Moses dum inter Deum & populum intercederet. Data enim lex est ordinata per Angelos in manu mediatoris, Mosis nimirum, ob precationem populi dicentis, Loquere tu ad nos, & ne loquatur nobis Deus. Itaque fides in eum ad Dominum refertur mediatorem Dei, atque hominum, Qui, si crederetis, inquit, Mosi, crederetis vtiq; & mihi. Paruáne igitur res est fides in Dominum, quia per Mosem ante significata est? Ita ne parua quidem est à spiritus in baptismum gratia, quòd aliquis in Mosem baptizatus sit. Illud præterea possumus dicere, per Mosem in scriptura solere legem intelligi, vt eo in loco. Habent Mosem, & Prophetas. Proinde cùm legis baptismũ diceret, ĩ Mosẽ, inquit, baptizati sunt. Quid igitur gloriationẽ fidei nostrę, & opulentum Dei, ac seruatoris nostri per regenerationẽ, instar inuentutis aquilæ, nos renouans donum contẽnendum ostenditis vos, qui ex vmbra figurisq; veritatem calumniamini? Infantis planè animi, & pueri lacte verè indigentis est, magnũ saluti nostrę mysterium ignorare, quòd ratione, quæ in tradendis disciplinis adhibetur, in exercitatione pietatis sic ad perfectionem deducimur, vt ea primùm quæ faciliora sunt, nobisq; magis ad cognitionem congruentia, tanquam elementa quædam predicamus. cùm Deus res nostras ita moderatur, vt oculos nostros in tenebris versatos paulatim assuefaciat, quo magnam veritatis lucem valeant intueri.

Habita enim imbecillitatis nostræ ratione, quæ altitudinem diuitiarum sapientiæ suæ, & imperuestigabilia iudicia scienriæ non capit, aptum & congruentem hunc nobis institutionis modum ostendit, vt vmbras corporum prius, & solem in aqua cernere assuesceremus, ne puræ lucis spectaculo statim oculi nostri perstringerentur. Pariter enim & lex vmbram habens futurorum, & figuræ prophetarũ, quę sunt ænigmata veritatis, tanquam exercitationes quędam oculorum cordis excogitatæ sunt, quo facilis nobis ad sapientiam in mysterio abditam ascensus foret.

Eiusdem. Nec in rerum intelligibilium procreatione, nec in gubernatione rerum humanarum, nec in iudicio, quod expectatur, nos animo & cogitatione Spiritum sanctum ita complecti, vt a patre, & filio seiungatur. **Cap. XVI.**

AD id igitur, quod initio propositũ est, reuertamur. Nulla prorsus in re Spiritum sanctum à patre & filio separari & seiungi Paulus in eo loco, vbi de linguarũ munere loquitur, ad Corinthios scribens, declarat, si omnes, inquiens, prophetetis, intret autem aliquis infidelis, aut idiota, arguitur ab omnibus, iudicatur ab omnibus, & ita occulta cordis eius manifesta fiunt, atq; ita procidens in faciem adorabit Deum pronuntians, quòd Deus verè in vobis sit, Cùm igĩ ex prophetia, quæ ex diuisione donorum spiritus fit, Deus in Prophetis esse cognoscatur, consultent isti, quem locum tribuant Spiritui sancto. Aequius'ne sit, eum cum Deo collocare, an ad rerũ procreatarum numerum expellere. Et ea, quæ ad sapphiram à Petro dicta sunt, Quid ita conuenit vobis tentare Spiritum sanctum? non mentiti estis hominibus, sed Deo, indicant eandem in Spiritum sanctum, & in Deum esse peccata. Ex quo spiritum in omni actione cum patre, & filio ita coniunctum intelligis, vt separari non posit. Cùm enim agat Deus diuisiones operationum, & Dominus diuisiones ministeriorum, simul adest Spiritus sanctus donorum distributionem pro sua cuique dignitate iure suo disponens. Diuisiones enim inquit, donorum sunt, idem autem spiritus. Et diuisiones ministeriorum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Hæc autem omnia, inquit, operatur vnus, & idem spiritus, diuidens singulis, vti vult. Neque verò, quoniam Apostolus primùm hic spiritus meminit, deinde filij, tertio Dei & patris, oportet omnino inuersum esse ordinem existimare. Ex habitu .n. nostro principium sumpsit, qui dona suscipientes primùm occurrimus distribuenti. Deinde cogitamus eum, qui misit, post ad fontem, & causam bonorum tollimus cogitationem. Ex iis præterea, quæ ab initio creata sunt, Spiritus sancti cum patre, & filio coniunctionem intelligis. Purę enim & intelligibiles, & mũdo superiores illa virtutes & sunt & appellantur sanctæ, ex gratia per Spiritum sanctum data sanctimoniã assecutæ. Quare cùm silentio prætermissa sit ratio, qua cœlestes virtutes creatæ sunt, Qui enim mundi ortum nobis conscripsit, ex rebus illis tantum, quæ sensibus obnoxię sunt, auctorem illius indicauit, tu autem cum eam habeas vim, vt ex iis, quæ videntur, ea, quæ videri nequeunt, colligere valeas, opificem lauda, per quem creata sunt omnia, quæ vel cernuntur oculis, vel cerni non possunt, siue principatus, siue potestates, siue virtutes, siue throni, siue do-

minationes. & si quæ sunt aliæ naturæ ratione prædite, quæ nominatæ non sint. tu mihi in harum procreatione principalem causam cogita patrem, effectricem filium, perfectricem spiritum, vt patris quidem voluntate ministratorij spiritus subsint, actione autem filij ad esse perducantur, spiritus verò præsentia perficiantur. Angelorum autem perfectio est sanctitas, in sanctitateq; permansio. Et nemo putet, me dicere, tres principales essentias, aut actionem filij imperfectam. Vnum enim est rerum omnium principium per filiũ agens, & perficiens in spiritu. Et neque pater, qui omnia in omnibus agit, imperfectam habet actionẽ, nec filius mancam procreationem, non absolutam in spiritu. Sic enim neq; pater filio indigeret, cùm sola ageret volũtate, attamen vult per filium: Neque filius egeret spiritu, ad patris similitudinem operans, attamen & filius per spiritum vult perficere. Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Nec verbum igitur est aëris impressio, significans, vocalibus instrumentis prolata. Nec spiritus est oris halitus spiritalibus partibus expulsus. Sed Verbum quidem, quod apud Deum erat in principio, & Deus erat. Spiritus autem oris Dei, spiritus veritatis, qui à patre procedit. Tria igitur intelligis, mandantem Dominum, efficiens Verbum, confirmantem spiritum. Quid autem aliud sit confirmatio, nisi ex sanctitate perfectio? confirmationis voce constantem & ĩmobilem in bono firmitatem significans? Sanctitas porrò non sine spiritu. Non enim natura sanctæ sunt cœlorum virtutes. alioquin nihil à Spiritu sancto differrent. Sed pro ratione præstantiæ sanctitatis mensuram habent à spiritu. Nam vt cauterium cum igne consideratur, cùm aliud sit materia subiecta, aliud ignis, Sic etiam virtutum cœlestium materia quidem forte sit aëreus spiritus, aut ignis materiæ expers, vt scriptum est, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flãmam ignis. Ex quo fit, vt & in loco sint, & aspectabiles fiant, cùm se dignis hominibus in specie corporum, quæ ipsi habent propria, & sua, conspiciendos præbent; sanctitas verò, cùm extrisecus, non autem ex ipsorum accedat essentia, illis ex spiritus communione perfectionem affert. Ac dignitatem quidem seruant, in bonitate permanentes, quippe qui liberam habeant voluntatem, nunquã tamen excidunt à veri boni posesſione. Quod si ratione spiritum adimas, Angelorum choree dissoluantur. ruant, Archangelorum præfecturæ, & omnia confundantur, perturbata, confusa, incertaq; sit ipsorum vita. Quomodo enim dicent Angeli: Gloria in excelsis Deo nisi à spiritu confirmentur? Nemo enim potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Et nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesum. Quod tamen dicerent improbi, & aduersarij spiritus. Quorum lapsu & defectione ratio nostra confirmatur, quòd virtutes, quas oculis cernere non valemus, sint libera præditæ voluntate, & ex æquo tum ad virtutem, tum ad vitium propensæ & iccircò spiritus auxilio egeant. Ego Gabrielem etiam affirmo nulla alia ratione futura prędicere, nisi prenotione spiritus. Qm̃ ex diuisione donorum spiritus, vnum est prophetia. Et qui visionis mysteria desideriorum viro nuntiare iussus est, vnde edoctus potuisset docere res illas arcanas, nisi à Spiritu sancto, cuius propria est reuelatio mysteriorum? vt scriptum est, Nobis autem Deus reuelauit per spiritum. Throni verò, & Dominationes, & Principatus, & Potestates, quomodo beatam agerent vitam, nisi semper viderent faciem patris, qui in cœlis est, quod sine spititu fieri non potest? Quemadmodum nocte si lumen è domo sustuleris, cæci sint oculi, nec agere queant facultates, & quæ digna, pretiosaq; sunt, ita lateãt, vt aurum pariter, ac ferrum per imprudentiam conculcetur, sic in illa R ep. intelligibili non potest fieri, vt sine spiritu vita illa legitima permaneat, non magis, q̃ in exercitu militaris disciplina, si absit imperator, aut chori concẽtus, nisi præfectus temperet, ac moderetur harmoniam. Quomodo dicent Seraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus, nisi doceantur à spiritu? siue igitur laudant Deum omnes Angeli eius, siue laudant eum omnes virtutes eius, spiritus id præstant auxilio. Siue astant ei millia millium Angelorum & centies centena millia ministrantium virtute spiritus sine reprehensione proprium opus exequuntur. Tota igitur illa supercœlestis & inexplicabilis harmonia, quæ tum in Dei cultu, tum in mutuo virtutum super mundanarum concentu sita est, seruari non potest, nisi spiritus præesset. Sic ergo iis procreandis, quæ non ex progresione, sed ab ipsa statim creatione perfecta sunt, adest Spiritus sanctus, & ad perfectum, & absolutum ipsorum statum suam gratiam confert. Nam dispositiones, quæ ad hominem pertinent, à magno Deo, & seruatore nr̃o Iesu Christo ex bonitate Dei peractas quis per spiritus gratiam negabit fuisse completas? Seu vetera voles considerare, Patriarcharum benedictiones, datum per legislationem auxilium, figuras, prophetias, præclara in bellis facinora, signa per homines iustos perfecta, seu illa quæ ad Domini aduentum in carne dispositum pertinent? Primum enim ipsi carni Domini sic affuit tanq̃ vnctio, vt nunquam seiunctus fuerit, vt scriptũ est, super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est filius meus dilectus. Et, Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto. Ad hæc omnis eius actio præsente spiritu perficiebatur spiritus illi aderat, dum à Diabolo tentaretur. Ductus enim est, inquit, Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur. Aderat & virtutes operanti, nec separabatur. Si enim inquit, in spiriru Dei eiicio Dæmonia. Et à mortuis resurgentem non deseruit. Cùm enim Dominus hominem renouaret, & quam ex afflatu Dei acceptam gratiam amiserat, rursum redderet, quid ait? Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quid? Ecclesiæ gubernatio, nónne planè & sine vlla controuersia per Spiritum sanctum temperatur? Ipse n. inquit, dedit in Ecclesia primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores, postea virtutes, deinde dona curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarũ. Hic enim ordo ex diuisione munerum spiritus est constitutus. Quòd si quis accuratè considerauerit, & in tempore apparitionis Domini è cœlo, quam expectamus, Spiritum sanctum non otiosum fore, vt quidam arbitrantur, inueniet, sed affuturum etiam in illa die reuelationis eius, in qua iudicabit orbem terrarum in iustitia beatus ille & solus potens. Quis enim est adeo ignarus bonorum, quæ dignis à Deo parata sunt, vt iustorum coronam esse spiritus gratiam nesciat, quæ largior, & perfectior exhibebitur, cùm pro rerum ex virtute gestarum ratione spiritalis gloria singulis tribuetur? Nam in splendoribus sanctorum multæ mansiones apud patrem, hoc est, dignitatum differantiæ. Sicut enim stella differt à stella in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Quare qui sancto signati sunt spiritu in diem redemptionis, & quam acceperunt gratiam spiritus, eam integram immaculatãq; seruauerint, ij verba illa sunt audituri: Euge serue bone, & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Et qui studiorum improbitate tristitia Spiritum sanctum affecerunt, aut non ex eo, quod datum illis est, superlucrati fuerint, auferetur ab eis id, quod acceperant, & ad alios beneficium transferetur.

Aut, quemadmodum scribit quidam Euangelistarum, & diuidentur omnino, ita tamen vt diuisio illa de perpetua à spiritus seiunctione intelligatur. Neq; enim corpus ita dissecabitur, vt vna pars supplicio afficiatur, altera liberetur. Fabulosum.n.id sit, nec iusto conueniens iudici, vt cùm totum peccauerit, dimidium puniatur. Neque anima in duas secatur partes, cùm tota per totum peccadi sensum habuerit, & vna cum corpore malum patrarit. Sed diuisio, quemadmodũ diximus, est animæ à spiritu perpetua separatio. Nunc enim licet indignis admixtus non sit, tamen adesse videtur quodammodo illis, qui semel signati sunt, dum salutem ipsorum resipiscentium expectat, Tũc autem prorsus ab anima, quæ gratiam ipsius inquinauit, dirimetur. Ideo non est in inferno, qui confiteatur. nec in morte qui memor sit Dei, cùm spiritus non adsit auxilium. Quomodo igitur vt sine Spũ sancto iudicium perficiatur cogitari potest, cùm ostendat scriptura, ipsum esse præmium iustorũ, primumq; peccatorum supplicium sit, cùm id, quod videtur habere, auferetur? sed maximum spiritus cum patre & filio coniunctionis indicium est, quòd ita se habere cum Deo dicitur, quemadmodum se habet spiritus, qui in nobis est, cum vnoquoq; nostrum. Quis enim, inquit, nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus, qui in ipso est? sic & quę Dei sunt, nemo nouit, nisi spiritus, qui ex Deo est.

Caput. XIX.

SEd hæc, inquiunt, esto. Gloria tamen spiritui non debetur omnino, vt glorificationibus à nobis efferatur. Si socieatas, qua spiritus cum patre, & filio coniunctus est, satis locuples illius dignitatis testimonium non existimatur, vndénam ad eam comprobandam, quæ mentem omnem superat, argumenta capiemus? Attamen si nominum eius significationes, actionumq; magnitudinem, & qua in nos, immò verò in omnes res procreatas beneficia confert, consideremus, ad aliquam amplitudinis, incomprehensæ ipsius potestatis, cogitationem poterimus peruenire. Spiritus appellatus est, vt spiritus Deus, Et spiritus faciei nostræ, Christus Dominus. Sanctus, vt sanctus pater, & filius sanctus. Rebus enim procreatis aliunde sanctitas prouenit. spiritui verò sanctitas naturam complet. Quamobrem non sanctificatur ipse, sed alios sanctificat. Bonus, vt bonus est pater, & qui è bono patre bonus genitus est, essentiam habens ipsam bonitatem. Rectus, vt rectus Dominus Deus, quippe qui sit ipsa veritas & ipsa iustitia, nec ad alterutram partem motiones, & declinationes habeat propter naturæ immobilitatem. Paracletus, vt vnigenitus, quemadmodum ipsemet ait, Ego rogabo, inquiens, patrẽ meum, & dabit vobis alium paracletum. Atque ita spiritui cum patre & filio communia sunt nomina, quòd ex naturę proprietate has appellationes obtineat. Vnde.n. aliunde? Præterea spiritus principalis, & spiritus veritatis, & spiritus sapientiæ nominatus est spiritus ille diuinus, qui fecit me. Et Beseleel impleuit, inquit, Deus spiritu sapientiæ, & prũdentiæ, & scientiæ. Ac nomina quidem hæc sunt naturæ præstantia & magna, quæ nullam tamen ad gloriá habent excellentiam. Facta verò tum propter magnitudinem explicari, tum propter multitudinem numerari non possunt. Quomodo enim quę seculis sunt antiquiora cogitabimus? Quæ nimirum ante mentium illarum intelligibilium procreationem egerit. Quę porrò ĩ res procreatas ab ipso profecta sint beneficia, & quæ ipsius in secula ventura sit potestas. Erat enim, & ante erat, & simul erat cum patre, & filio ante secula. Quamobrem licet seculis cogites aliquid antiquius, id tamen erit spiritu posterius. Quòd si orbis procreationem consideraueris, firmatę sunt cœlorum virtutes à spiritu, vt firmitas earum habitus intelligatur, quo difficillime à bonis excidant. Quod enim Deo sese coniunxerint, à malitiaq; recesserint, quodque in beatitudine permaneant virtutes, spiritui acceptum referunt. Christus aduenit, & spiritus præcurrit. Adest in carne, & spiritus nõ recedit. Opera virtutum peraguntur, gratiæ curationum, per Spiritum sanctum. Eiiciuntur Dęmones in spiritu Dei. Diabolus euertitur præsente spiritu. Peccatorum fit remissio, per spiritus gratiã. Absoluti & sanctificati estis in nomine Domini nostri, Iesu Christi, & in Spiritu sancto Dei nostri. Coniunctio cum Deo per spiritum. Misit enim Deus spiritum filij sui in cordibus nostris clamantem Abba pater. Resurrectio mortuorum ex spiritus opere. Emittes.n. spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Siue creare sic accipias, vt eorum, qui dissoluti sint, intelligatur in vitam reuocatio, nónne magnum est opus ipsius, qui nobis ex resurrectione vitam præbeat, & animas nostras in illa collocet vita spiritali? Siue creare sic accipias, vt eorum, qui lapsi sunt hic, ex peccato ad virtutem reditus intelligatur, sic enim in scriptura solet accipi, vt cùm Paulus ait, si qua in Christo noua creatura, & quæ efficitur hic renouatio, & ex terrena, vitiisq; obnoxia, fit in cœlestẽ viuendi rationem commutatio, animos nostros ob rei magnitudinem in summam admirationem adducit. Ad hæc verebimur, ne honorum excellentia dignitatem transeamus, an contra potius ne nimium de ipso demisse cogitemus, etiam si quæ humana mente & lingua maxima dici possunt, de illo pronuntiauerimus? Hæc dicit Spiritus sanctus, vt hæc dicit Dominus, Descende, & vade cum ipsis, nihil hæsitans, quoniam ego misi illos. Num abiecti sunt hæc & timidi verba? separate mihi Barnabam & Paulum ad opus. ad quod accersiui eos. Num seruus ita loquitur? Et Esaias, Dominus misit me, & spiritus eius. Et descendit spiritus à Domino, & duxit eos. Acne ducendi munus abiectum putes, illud Dei esse scriptura testatur: Deduxisti, inquit, sicut oues populum tuum. Et deducens velut ouem Ioseph. Et deduxit eos in spe, & non timuerunt. Proinde cùm audieris, cùm venerit Paracletus, ipse vos commonefaciet, & ducet in omnem veritatem, sic illam vocem ducet, intellige, vt edoctus es. Ne calumnieris sententiam. At interpellat etiam, inquiunt, pro nobis: vt quantum supplex eo, qui benefacit, inferior est, tantum absit spiritus à Dei dignitate. Quid tu nondum illud de vnigenito audiuisti? Est in dextera Dei, & interpellat pro nobis? Caue igitur, ne piam & sanctam de spiritu opinionẽ, propterea quòd ipse in te sit, quodque nos excæcatos ad id, quod expedit, amplectendum ducit, imminuas. Ingratissimi enim animi esset ex benemerentis humanitatem arripere occasionẽ, vt ingratus existas. Nolite igitur contristare Spiritum sanctum. Audite, quid Martyrum primitię Stephanus dixerit, dum obstinationem populo & contumaciã exprobraret: Vos semper Spiritui sancto restitistis. Et Esaias, Irritauerunt, inquit, Spiritum sanctum, & versus est ipsis in inimicum, Et alibi, Dominus Iacob irritauit spiritum Domini. Vtrum hæc auctoritatem potestatis constituant, audientium iudicio permittimus.

Caput. XX.

NEque seruum dicunt esse spiritum, neq; Dominum, sed liberum. ò grauem stuporem, ò miserandam audaciam istorum, qui hæc loquuntur: Vtrum in istis magis deplorem, ignorantiam, an blasphemiam? Qui Theologiæ decreta humanis exemplis inquinant, & con-

ſuetudines noſtras, quæ variam habent differentiam dignitatum, diuinę illi naturæ, quę verbis explicari nõ poteſt, conantur adaptare, ne illud quidẽ cogitantes, apud hõies natura ſeruum eſſe neminem? Aut.n. oppreſſos dominatu ſub iugũ ſeruitutis duci, vt fit in captiuitatibus, aut propter inopiam ſubiici ſeruituti, vt Aegyptios Pharaoni, aut ſapienti aliquo, arcanoq; conſilio deteriores filios parẽtum iuſſu cogi prudentioribus, melioribusq; ſeruire. Quòd, ſi quis diligenter conſiderauerit, beneficium potius, q̃ ſupplicium appellabit, Expedit enim, vt qui ſapientiæ inopia naturalem in ſe non habet imperandi facultatem, is alterius imperio pareat, vt dum imperantis ratione regitur, ſimilis ſit currui, qui aurigam admiſit, aut naui, quæ gubernatorẽ clauo aſsidentem habeat. Propterea Iacob benedictione patris conſtitutus eſt Dominus Heſau quo ſtultus, vel inuitus à prudentæ iuuaretur, cùm ipſe curatorem proprium, mentem vtique non haberet. Et Chanaan ſeruus fratrum ſuorum fuit, cùm ad virtutem percipiendam non eſſet idoneus, q patrem ſuum Noe imprudẽtem exiſtimaret. Apud nos quidem ita ſunt ſerui. Liberi verò, qui paupertatem, & bellum effugerunt, nec aliorum indigent cura. Ex quo fit, vt quanuis alius è nobis Dominus dicatur, alius ſeruus, tamen pro mutua & pari inter nos dignitate, & quia ſerui ſumus illius, qui fecit nos, inter nos conſerui ſimus. Illic autẽ, quid potes eximere è ſeruitute, cùm ſimul atq; creata ſunt, ſerua ſint conſtituta, Inter ſe enim non excercent imperium. Cœleſtia.n. prærogatiuæ ſunt expertia, Deoq; ſubiecta ſunt omnia, eiq; vt Domino timorẽ debitum, vt creatori verò congruentem gloriam tribuunt. Filius enim gloria patrem afficit, ſeruus autem dominum ſuum reueretur. Et duorum alterũ Deus omnino requirit, ſi pater ego ſum, inquiens, vbi honor meus, ſin Dominus, vbi timor meus? Maximè profectò miſeranda ſit vita, niſi ſub Domni tutela verſetur. Quales ſunt virtutes illæ, quæ defecerunt, & omnipotentis Dei iugum detrectarunt, ſeruitutis mordentes frenum, non quòd alia ſint natura prȩditæ, ſed quòd ſe aduerſus creatorem præbeant contumaces. Quem igitur liberum dicis? Eum qui Regi non eſt ſubiectus, qui nec alteri poteſtatem habet imperandi, nec alterius paret imperio? Atqui nec vlla talis eſt in rerũ vniuerſitate natura, & id de ſpiritu cogitare, manifeſta ſit impietas. Quare ſi creatus eſt, ſeruit nimirum vna cum reliquis omnibus. Vniuerſa enim, inquit, ſeruiunt tibi. Sin rebus procreatis eſt ſuperior, regni ſocius eſt.

Scripturæ teſtimonia, ex quibus ſpiritum eſſe Dominum conſtat.

SEd quid opus eſt, vt humilibus pugnantes auxiliis victoriam turpiter comparemus, cum grauioribus adhibitis teſtimoniis, quibus contradicere nequeant, excellentiam gloriæ liceat demonſtrare? At ſi dixerimus ea, quę è ſcriptura didicimus, magnos & graues fortaſſe clamores edent, occluſiſq; auribus, & arrepto, quod cuique occurrerit, loco teli cõtra nos ruent ſpiritus oppugnatores, Nos tamen non debemus veritati noſtram incolumitatẽ anteferre. Dominus autem dirigat corda noſtra in Charitate Dei, & patientia Chriſti pro tribulationibus. Quis eſt Dominus, qui dirigit in charitate Dei, & in patientia pro tribulationibus Chriſti? Reſpondeant nobis, qui ſpiritum redigunt in ſeruitutem. Si enim de Deo, & patre locutus eſſet, dixiſſet, Dominus autem dirigat nos in Charitate ſua. Si itẽ de Chriſto, addidiſſet, in ſua ipſius patientia. Quęrant igitur, quæ'nam alia perſona ſit, cui domini conueniat appellatio. Huic ſimilis eſt alter ille locus, Dominus autẽ multiplicet, & abundare faciat Charitatem veſtram inter vos, & in omnes quẽmadmodũ & nos in vobis ad confirmanda corda veſtra ſine querela, in ſanctitate ante Deum, & patrem noſtrum in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti, cũ omnibus ſanctis eius. Quem Dominum precatur, vt ante Deum, & patrem noſtrum in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſine querela confirmet corda fidelium Theſſalonicenſium in ſanctitate? Reſpondeant nobis, qui inter miniſtrantes ſpiritus, qui mittuntur in miniſterium, collocant Spiritum ſanctum. At quid reſpondeant, non habent: Audiant igitur & alia teſtimonia, quibus ſpiritus perſpicuè Dominus eſſe comprobatur. ſpiritus, inquit, Dominus eſt. Et rurſum, tanquam à Domino ſpiritu. Atque adeo ne defenſionis vllum ipſis relinquam locum, ipſa Apoſtoli verba apponam, Vſque in hodiernum diem id ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum, quoniam in Chriſto euacuatur. Cùm autem conuerſus fuerit ad Dominum, tunc auferetur velamen. Dominus autem ſpiritus eſt. Cur hoc dicit? Quoniam qui circa nudum literæ ſenſum deſidet, & illic in legalibus obſeruationibus tempus terit, is iudaicæ literæ ſenſu tanquam velo quodã cor ſuum contectum habet. Quod quidem illi contingit, quoniam ignorat, corpoream legis obſeruationem aduentu Domini eſſe abrogatam, figuris deinceps conuerſis in veritatem. Solis enim aduentu lucernę deficiunt, patefactaq; veritate ceſſat lex, & ſilent Prophetæ. Quare qui potuit in legalis ſententiæ profundum deſpicere, & literę obſcuritate tanquam velo diſrupta ad arcana penetrare, hic à litera ad ſpiritum ſeſe conuertens, imitatus eſt Moſem, qui cùm loqueretur cum Deo velamen auferebat. Vt legalium quidem decretorũ obſcuritas velo, quo Moſis facies obtegebatur, reſpondeat, conuerſioni autem ad Dominũ ſpiritalis intelligentia. Proinde qui in legis lectione literam aufert, is ſeſe conuertit ad Dominum, (Dominus autem nũc ſpiritus dicitur) & ſimilis efficitur Moſi, qui glorioſam ex conſpectu Domini faciem habebat. Vt.n. ea, quæ floridis coloribus propinqua ſunt, ex defluenti ſplendore ipſa quoque colorantur, ſic qui aciem planè intendit in ſpiritũ, ex illius gloria quodãmodo transformatur, & fit illuſtrior, cùm ex ipſius ſpũs veritate, tanq̃ luce quadam cor eius illuminetur. Non vereris, homo, Apoſtolum dicentem, Tẽplum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? ſeruilẽne domicilium templi Dei appellatione vnq̃ honoraſſet? Quid ille qui ſcripturam inſpiratione ſancti ſpiritus conſcriptam dicit, verbis'ne contumelioſi & contemnentis vtitur?

Eiuſdem. Naturalem ſpiritus ſocietatem confirmari ex eo, q, vt pater & filius, ſic ipſe contemplatione comprehendi non poteſt.

SEd non ſolum, quia eaſdem habet appellationes, patriſq; & filij ſocius actionum eſt, naturæ ipſius perſpicua eſt excellentia, verum quoniam ipſe quoque cognitione, & intelligentia nequit comprehendi. Quæ enim de patre tanquam omnem humanam cogitationem ſuperante, quæque item de filio dicuntur, ea Dominus, & de ſancto ſpiritu dicit, Pater iuſte, & mundus te non cognouit, mundum intelligens nõ hunc è cœlo, terraq; conflatũ, ſed mortalem hanc vitam, & innumerabilibus mutationibus obnoxiam. Et de ſeipſo loquens, Adhuc modicum, inquit, & mundus me non amplius videt, vos autem videtis me. Hic rurſum homines vitæ ex materia carneq; conſtanti deuinctos, quiq; reſurrectionem nõ credentes,

cordis oculis Dominum amplius visuri non erant, mundũ appellat. Eadem & de spiritu dicit, spiritum, inquiens, veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, neque cognoscit eum, vos autem cognoscitis, quia apud vos manet. Nam homo carni obnoxius, qui mente non est ad contemplandum exercitatus, immo verò illam in sensu carnis tanquam in cœno penitus obrutam gestat, ad spiritalem veritatis lucem oculos non potest attollere. Itaque mundus, id est, vita carnis perturbationibus addicta, vt oculus infirmus radiorum solis splendorem, sic ipsa non suscipit spiritus gratiam. At discipulis suis iam ex doctrina sua vitæ puritaté assecutis Dominus testimonium reddens, hoc etiam tribuit, quòd spiritum iam inspiciant & contemplentur: Vos enim, inquit, iam mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Vnde mundus quidem non potest capere. Non enim videt ipsum. Vos autem eum cognoscitis, quoniam apud vos manet. Hæc dicit etiam Esaias: Qui fundauit terram, & quæ in ipsa sunt, & dedit spiritum populo, qui est super ipsam, & spiritum calcantibus ipsam. Qui enim terrena conculcant, & ipsis superiores fiunt, hi scripturæ testimonio sancti spiritus dono digni sunt, Quem igitur mundus non potest capere, & quem sancti soli propter cordis munditiam contemplantur, nónne omnes illi honores conuenire debemus existimare? Ac reliquas quidem virtutes in loco singulas circunscripto esse credimus. Nam Angelus, qui Cornelio astitit, non aderat eodem tempore apud Philippum. Nec qui ex altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore propriam in cœlo sedem implebat. At spiritus simul, & in Abbacuc, & in Daniele operatus fuisse creditur in Babilonia. Et in Cataracta cum Hieremia, & cum Ezechiele in Choreb. Spiritus enim Domini impleuit orbem terrarum. Et quo ibo à spiritu tuo? & à facie tua quo fugiam? Et Propheta, Quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus, & spiritus meus stetit in medio vestri. Qui vbique est, & simul cum Deo adest, cum cuius naturæ debemus existimare? illius'ne quæ omnia complectitur, an quæ singulari in loco continetur, qualem Angelorum naturam esse scriptura demonstrauit? sed hoc nemo dixerit. Eum igitur, qui natura Deus est, magnitudine incomprehensus, potens in actionibus, bonus in beneficiis, non super omnia extollemus, & laudabimus?

Eiusdem. Gloriam esse numerationem eorum quæ ipsi adsunt.

EGo verò nihil aliud esse gloriam censeo, nisi rerum, quæ ipsi adsunt, admirabilium numerationem. Quãobrem isti aut non permittent, vt bonorum, quæ ab ipso proficiscuntur, meminerimus, aut eorum plane, quæ illi adsunt, enumeratio, maximẹ gloriæ est absolutio. Quandoquidem nec Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi, & vnigenitum illius filium, aliter possumus glorificare, nisi pro viribus operam demus, vt eius miracula recenseamus.

Eiusdem. Eorum, qui spiritui gloriam non tribuunt, absurditatem coargui ex comparatione rerum procreatarum, quæ gloria afficiuntur.

PRæterea si gloria & honore coronatus est homo communis. Et gloria, & honor, & pax omni facienti bonum in promissionibus reposita sunt. Et est quædam Israelis gloria singularis. Quorum, inquit, adoptio, & gloria, diuinusq; cultus. Et suam ipsius quandam gloriam cantor psalmorum commemorat: Quomodo, inquiens, psallat tibi gloria mea. Et rursum, Exurge gloria mea. Et est solis gloria, & gloria stellarum, vt Apostolus testatur. Et iudicij administratio cum gloria. Cùm tam multis gloria tribuatur, tu spiritum solum ex omnibus esse vis sine gloria? Atqui ministratio spiritus, inquit, in gloria, quomodo igitur ipse sit indignus, cui gloria tribuatur? Et magna quidem gloria iusti, vt cecinit Dauid, spiritus autem gloria, vt ipse sentis, nulla? Nónne igitur manifestum periculum est, ne è verbis eiusmodi certum isti in se testimonium ferant? Esto, inquiunt, gloriosus, sed non eodem modo, quo filius. Ecquam habet rationem, vt alium spiritui locum excogitent, relicto eo, qui à Domino est constitutus, spoliemusq; illum gloriæ societate, qui vbique cum diuinitate suscipitur, in fidei confessione, in redemptionis baptismo, in virtutum actione, in habitatione sanctorum, in beneficiis in subditos conferendis? Nullum enim omnino donum est, quod sine Spiritu sancto ad res procreatas perueniat, cùm ne verbum quidem nudum in defensionibus Christi sine spiritus auxilio queat pronuntiari, quemadmodum in Euangeliis à Domino seruatore nostro didicimus. Vt hæc igitur omnia contemnamus, & societatis eius omnibus in rebus obliti, spiritum à patre, & filio diuellamus, nescio, an Spiritus sancti particeps quispiam sit assensurus. Vbinam ipsum collocabimus? inter res procreatas? At seruiunt res omnes procreatæ, spiritus autem liber est. Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas. Ac cùm multa quidem nobis dicenda suppetant, quamobrem in rerum, quæ procreatæ sunt, numero spiritus ponendus non sit eanũc dicere supersedebo. Si enim pro quæstionis dignitate & argumenta nostra proferre velimus, & quæ ab aduersariis obiiciuntur, confutare, longa nobis oratione foret opus, & libri magnitudine lectores auerteremus. Quapropter proprio id operi reseruantes, quæ proposita sunt, persequamur. Sigillatim igitur omnia perpendamus. Natura bonus est spiritus, vt bonus est pater, & bonus filius. Res autem procreatæ in boni electione participes sunt bonitatis. Nouit profunda Dei. Rebus autem procreatis arcana per spiritum patefiunt. Viuificat simul cum Deo cuncta viuificante, & cum filio vitam elargiente. Qui enim, inquit, suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius spiritum in vobis. Et rursum: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitã æternam do eis. Sed & spiritus, inquit, viuificat. Et rursum spiritus autem, inquit, est vita propter iustitiam. Et Dominus testatur, spiritum esse, qui viuificat, carnem non prodesse quicq̃. Quæ cùm ita sint, quomodo spiritum à potentia vitam largiente remouebimus, & cum natura, quæ vita indiget, coniungemus? Quis adeò contentiosus est, adeò cœlestis expers muneris, adeò sine gustu bonorum verborum Dei, adeò à cœlesti spe alienus, vt spiritum à Diuinitate seiungat, & inter res procreatas constituat? In nobis, inquiunt, est spiritus vt donum Dei. Donum verò non iisdem honoribus afficitur, quibus ille, qui largitus est donum. Donum quidem Dei spiritus est, sed donum vitę. Donum enim, inquit, spiritus vitæ liberauit vos. Et virtutis donum. Accipietis enim, inquit, virtutem superuenientis spiritus in vos. Num igitur propterea contemnendus est? Nónne filium etiam hominibus est elargitus. Qui sanè proprio, inquit, filio non pepercit. Sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia simul cum eo

nobis donabit. Et alibi, vt sciamus, inquit, quæ nobis à Deo donata sunt, de mysterio humanæ carnis assumptæ verba faciens. Nónne igitur qui hæc dicunt, ingrati animi vitio Iudæos superant. Qui ex incredibili benignitate maledicti occasionem arripiunt. Succensent enim spiritui, qui nobis fiduciam hanc tribuat, vt Deum, nostrum appellemus patrem. Emisit enim Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem, Abba, pater, vt eorum vox illa sit propria, qui gloria ipsum afficiunt.

Scripturam vti hac syllaba, in, pro cum eademque esse vim huius syllabæ, et, atque huius syllabæ, cum. Cap. XXV.

CVR igitur, inquiunt, scriptura nusquam cum patre & filio spiritum glorificatum tradidit, sed diligenter cauit, ne cum spiritu diceret, vbique autem in ipso glorificare, tanquam congruentius, magis dicendum censuit? Ego verò per hanc syllabam, in, nequaquam humiliorem sententiam constitui dixerim, sed mentes nostras per illam, si sano accipiatur modo, maximè in sublime tolli, præsertim cùm multis in locis eam pro hac syllaba, cum, positam obseruauerimus. Vt ibi, introibo domum tuam in holocaustis, id est, cum holocaustis, Et eduxit eos in argento & auro, hoc est, cum argento & auro, Et, non egredietur Deus in virtutibus nostris, Et innumerabilia his similia. Sed libenter omnino didicerim ab ista noua sapientia, quam glorificationem Apostolus per hanc vocem, in, absoluerit ex illa figura, quam isti nunc proferunt è scriptura. Nusquam enim dictum hoc reperi, tibi pater honor, & gloria, per vnigenitum tuum in Sancto spiritu, quod istis nunc est ipsa respiratione, vt ita dicam, familiarius. Separatim enim horum vnumquodque licet inuenire, coniunctim autem in hoc ordine nullo modo poterunt demonstrare. Quare, quando subtiliter ea, quæ scripta sunt, expendunt, ostendant, vnde id habent. Sin consuetudini concedunt, ne nobis quidem prohibeant. Nos enim vtrasque dictiones in vsu fidelium deprehendentes vtrisque vsi sumus, & ab vtraque pariter gloriam spiritui plenam tribui credimus, sed per eam, quæ proposita est, eorum, qui veritatem deprauant, os magis obstrui, quæ cum similem scripturarum vim babeat, non tamen æque est aduersariis exposita. Est autem hæc, cui nunc ab istis contradicitur, quæ pro coniunctione, Et, accipitur. Idem enim est, dicere, Paulus, & Siluanus, & Timotheus, ac si dicas, Paulus cum Timotheo & Siluano. Nominum enim coniunctio per vtranque pariter enuntiationem seruatur. Quamobrem si, cùm Dominus dicat, Patrem, & filium, & Spiritum sanctum, ego dicam, patrem & filium cum Spiritu sancto, aliud'ne dixero, quantum ad sententiæ vim pertinet? Quod verò per coniunctionem hanc, Et, nomina copulentur, multa sunt testimonio. Gratia enim, inquit, Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communio Sancti spiritus. Et rursum, obsecro vos per Dominum nostrum Iesum Christum, & per dilectionem spiritus. Quare si pro, Et, vti, cum, voluerimus, quid discriminis allaturi simus, ego quidem non video. Nisi quis frigidis grammaticæ obseruationibus coniunctionem anteponat, quòd copulet, & maiorem faciat connexionem. Præpositionem autem reiiciat, quod vim parem non habeat. Quòd si de his contendissemus, defensio fortasse haud longa egeret oratione. Nunc autem non de syllabis, neque de hac, aut de illa voce disputant, sed de rebus, quæ vi, & veritate maximum habent discrimen. Quarum gratia cùm syllabarum vsus non obseruetur, isti alias Ecclesiæ adscribere, alias ab ea conantur amouere. Ego verò licet ex primo auditu perspicua sit vtilitas, tamen rationem etiam afferam, qua patres nostri non frustra huius præpositionis vsum admiserunt. Nam præterquam quòd æque ac syllaba, et, Sabellij malitiam coarguit, & similiter atque illa personarum proprietatem constituit, vt ego & Pater veniemus, Et ego & Pater vnum sumus, eximium habet æternæ societatis, & perpetuæ coniunctionis testimonium. Qui enim dixit cum patre filium esse, is simul & personarum proprietatem, & inseparabilem ostendit coniunctionem, vt humanis etiam in rebus coniunctio, Et, actionis communionem indicat, præpositio verò, cùm, ipsam quodammodo societatem commonstrat. Exempli gratia nauigarunt in Macedoniam pariter Paulus & Timotheus. Sed & Tychicus & Onesimus missi sunt ad Colossenses. Ex qua quidem loquendi ratione eos idem egisse didicimus. Sin audiuerimus, cum Paulo Timotheum nauigasse, & cum Tychico Onesimum missum fuisse, eos simul idem egisse intelligimus. Ita Sabellij malitiam hæc vox, vt si qua alia, dissoluit, & istos euertit præterea, qui ex diametro sunt impij, quique temporum interuallis à patre dirimunt filium, & à filio Spiritum sanctum. Cæterum à syllaba, in, differt, cum, ob id potisimum, quòd, cum, mutuam inter se communicantium, vt connauigantium, & cohabitantium, & quiduis aliud communiter agentium, coniunctionem ostendit. In, verò significat habitum ad id, in quo agunt. Si enim audiuerimus, innauigant, & inhabitant, statim nauigium & domum cogitamus. Communi igitur vsu hoc inter illas discrimen est. Et à studiosis plura poterunt inueniri. Mihi enim non vacat, de syllabis disputare. Quando igitur demonstratum est, propositionem, cum, significantisimè coniunctionis sensum exprimere, inite iam, si videtur, cum illa fœdus, & definite graue bellum cum illa gerere & immortale. Et quanuis hæc vox sit adeo proba, tamen si cui in tribuenda gloria magis placet per syllabam, et, nomina coniungere, & glorificare, vt in Euangeliis didicimus patrem & filium & Spiritum sanctum, id faciat, nemo contradicet. In his, si videtur, consentiamus. At isti linguas potius abiiciant, quàm admittant hanc vocem. Atque hoc quidem est, quod inter nos grauissimum, & immortale bellum excitat. In Spiritu sancto, inquiunt, Deo gloria est exhibenda, non autem spiritui. Et hanc vocem, tanquam spiritus ea demissior & abiectior ostendatur, promptisimè complectuntur. Proinde non erit inutile longiorem de illa disputationem instituere, q̃ cùm isti audierint, mirabor, nisi vocē ipsam proditricē, & spiritus gloriā sponte confitentem abdicabunt.

Eiusdem quot modis, in, dicitur, totidem dici de spiritu. Caput. XXVI.

Quot modis dicitur, in, totidem reperimus ipsum notionibus de spiritu deseruire. Dicitur igitur forma esse in materia. Et potentia in eo quod eam suscipit. Et habitus in eo, qui per ipsum affectus est. Et multa eiusdem generis. Quamobrem quatenus ea, quæ ratione sunt prædita, Spiritus perficit, summam ipsorum vim absoluens, formæ rationem obtinet. Qui enim non viuit amplius secundum carnem, sed Spiritu sancto ducitur, & Dei censetur filius, & conformis imaginis filij Dei factus est, spiritualis appellatur. Et, quemadmodum videndi potentia in oculo sano, sic actio spiritus in animo mundo. Quocirca Paulus optat Ephesijs, vt illuminati sint ipsorum oculi in spiritu sapientiæ. Et sicut est ars in eo, qui illam didicit, sic gratia spiritus in illo, qui eũ suscepit, semper quidem præsens, sed non perpetuò agens. Siquidem & ars potentia quidem est in artifice, sed actu tunc, cùm agit secundum illam. Sic & spiritus semper quidem adest dignis, agit autem, vti vsus requirit, aut in prophetijs, aut in curationibus, aut in alijs quibusdam virtutũ operibus. Præterea sicut in corporibus est sanitas, aut caliditas, aut omnino facile mobiles affectiones, sic etiam in anima sæpe inest spiritus, ijs, qui propter mentis infirmitatem facilè abijciunt gratiam, quam acceperunt. Qualis fuit Saul, & septuaginta seniores filiorum Israelis, excepto Eldad, & Modad. His enim omnium solis videtur spiritus permansisse, & si quis planè fuit horum proposito similis. Et quẽadmodum ratio in anima, modo quidem in corde cogitatur, modo per linguam effertur, ita Spiritus sanctus, nũc quidem cùm spiritui nostro testimonium præbet, & cùm in cordibus nostris clamat, Abba pater, nunc autem, cùm pro nobis loquitur, vt scriptum est, Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris, qui loquitur in nobis. Præterea sicut totum in partibus, sic aliquando spiritus intelligitur, per munerum distributionem. Omnes enim sumus inter nos membra, habentes munera secũdum gratiam Dei nobis impertitam, differentia. Itaque non potest dicere oculus manui, non egeo tui, aut rursum caput pedibus, non estis mihi necessarij, sed omnia simul Christi corpus complent in spiritus vnitate. Necessariam verò sibi vicissim munerum præbent vtilitatem. Deus enim membra in corpore collocauit, vnumquodque ipsorum, vti voluit. Quæ quidem membra eandem habent inter se mutuo sollicitudinem cùm illis ex spiritus coniunctione consensus adsit. Quare siue patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, siue glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Et sicut partes in toto, ita singuli sumus in spiritu, siquidem omnes in vno corpore, in vno spiritu baptizati sumus. Et, quod dictu quidem mirabile, sed tamen est verum, vt locus eorum, qui sancti fiunt, sæpe spiritus dicitur. Qui sanè modus, vt apparebit, non imminuit spiritum, sed potius extollit. Scriptura enim, quo significantius aliquid explicet, corporea sæpe nomina ad res spiritales indicandas transfert. Itaque Dauidem ita de Deo loquentem obseruauimus, Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias. De spiritu verò, Ecce locus, inquit, apud me, & sta supra petram. Vbi nihil aliud locum intelligit, nisi contemplationem in spiritu, in qua Moses constitutus Deum, qui sibi apparebat, perspicuè videre poterat. Hic est locus veri diuini cultus proprius. Caue enim, inquit, ne offeras holocausta tua in omni loco, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus. Quod'nam igitur est holocaustũ spirituale? sacrificiũ laudis. Quonã in loco illud offerimus. In spiritu sancto. Vbi hoc didicimus? à Domino dicente, Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Locum hunc conspicatus Iacob, Dominus, inquit, est in loco isto. Quare spiritus est verè locus sanctorum. Et qui sanctus est, is locus est spiritui proprius, cũ seipsum præbeat domicilium ad habitandum cum Deo, & templum ipsius appelletur. Sicut enim in Christo loquitur Paulus, coram Deo, inquiens, in Christo loquimur, sic Christus in Paulo, vt ipsemet Paulus ait, An experimentũ, inquiens, illius quæritis, qui in me loquitur Christus? Sic item in spiritu loquitur mysteria. Et spiritus vicissim in ipso loquitur. In rebus igitur procreatis ita multis modis multisq; rationibus inesse spiritus dicitur. Cum patre autem & filio spiritum inesse magis pium est dicere, quam patri & filio inesse. Nam gratia quidem spiritus inhabitantis in iis, qui digni sunt, & agentis ea, quæ sua sunt, rectè inesse in illis dicitur, qui ipsum suscipiunt. Existentia verò illius ante secula, & nunquam desitura permansio, quæ cum filio & patre consideratur, sempiternæ coniunctionis appellationes requirit. Simul enim esse proprie & verè de illis dicimus, qui vna existunt. Caliditatem.n. in ferro ignito inesse dicimus, sed cum ipso igne simul existere. Et in corpore quidẽ inesse dicimus sanitatem, vitam verò cum anima simul existere. Quamobrem vbi propria, & naturalis, & inseparabilis, coniunctio est, significantior est illa vox, quæ inseparabilis coniunctionis sententiam exprimit. At vbi gratia ab ipso accedit, ac recedit, propriæ & verè dicitur inesse, licet gratia ab ipso proueniens propter affectionis in bono constantiam perpetua maneat in iis, qui illam susceperunt. Itaque quando propriam spiritus dignitatem cogitamus, ipsum cum patre & filio contemplamur. Vbi verò gratiam in eos, qui participes illius fiunt, consideramus, in nobis inesse spiritum dicimus. Et quæ à nobis persoluitur gloria in spiritu, non illius significationem dignitatis, sed nostræ ipsorum infirmitatis confessionem habet, dum nos nec ad laudandum idoneos ostendimus, sed omnem in Spiritu sancto nostram esse facultatem, in eo enim corroboratos nos Deo nostro pro beneficiis acceptis gratias agere, dum pro mensura puritatis à malitia alius alio plus aut minus à Spiritu sancto auxilij accepimus ad offerenda laudis sacrificia Deo. Atque vno quidem modo sic piè in spiritu gratiarum actionem persoluimus. Qui sanè modus haud leuis est, cùm aliquis Dei spiritum in se esse testatur, seq; per gratiam ipsius edoctum gloriam persoluere. Paulo enim verba illa conueniunt, Videor enim & ego Dei gratiam habere. Et rursum, Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum inhabitantem in nobis. Et de Daniele scriptum est, Dei spiritum in ipso fuisse, & si quis ad horum virtutem proximè accessit. Nec alter ille sensus est contemnendus, quòd quemadmodum filius videtur in patre, ita filius in spiritu. Adoratio igitur in spiritu mentis nostræ actionem tanquam in luce constituit. vt ex iis, quæ ad Samaritanam dicta sunt, possumus intelligere. Etenim cùm ex domestica consuetudine decepta adorationem in loco consistere existimaret, eam Dominus ab errore liberans adorandum esse docuit in spiritu & veritate, seipsum vtique veritatem appellans. Quemadmodum igitur in filio, vt in imagine Dei & patris adorationem dicimus, sic etiam in spiritu, vt qui in seipso Domini ostendat diuinitatem. Itaque Spiritus sanctus à patre & filio nec in adoratione separatur. Nam si extra ipsum fueris, ne adorabis quidem oĩno. At si in ipso cõsti-

teris nusquàm à Deo separaberis, non magis sanè, quàm lumen à rebus visibilibus. Imago enim inuisibilis Dei non nisi in spiritus illustratione perspici potest. Et qui imaginem intuetur, is lumen ab imagine nequit separare. Quod enim videndi est causa, id vnà cum rebus, quæ cernuntur, conspicitur necessariò. Quare proprium & consequens est, vt per spiritus illustrationem gloriæ Dei splendorem perspiciamus. Per imaginem verò ad eum, cuius imago est, & par exẽplari signum expressum, perducamur. Cur igitur, inquiunt, cùm propriè spiritui congruat syllaba in, & ad omnem, quam de ipso notionem habetis, satis sit, nouam hanc syllabam introduxistis, vt cum spiritu, non autem in spiritu dicatis, præsertim cùm nec necessaria, nec ab Ecclesijs probata sit?

Eiusdem. Huius syllabæ, cum, origo & vis ostenditur, & de Ecclesiæ institutis non scriptis disputatur. Caput. XXVII.

Hanc igitur syllabam, in, non sorte Spiritui sancto contigisse, sed illi cum patre & filio communem esse in superioribus demonstrauimus. vbi satis etiam, vt arbitror, abundè ostendimus, ea non solùm de spiritus dignitate nihil adimi, sed contrà potius mentes eorum, qui planè peruersi nõ sint, maximè in sublime tolli. Reliquum est, vt de syllaba, cum, disputemus, eiusq; originem, & vim à scriptura non abhorrentem demonstremus. Ecclesiæ decreta atq; instituta partim literarum monumentis consignata sunt, partim ab Apostolis in mysterio nobis per manus tradita. Vtraq; autem parem ad pietatem vim habent. Et his nemo, qui aliquem institutorum Ecclesiæ vsum habeat, contradixerit. si enim consuetudines nõ scriptas, vt exigui momenti, reijcere aggrediamur, imprudentes præcipuas Euangelij partes labefactabimus, immò verò in nudum nomen ipsius promulgationem concludemus. Exempli gratia, vt quod primum, & maximè commune est, commemorem. Quis scripto docuit, figura crucis signare eos, qui in nomine Domini nostri Iesu Christi crediderunt. Item qua scriptura didicimus, vt ad orientem conuersi præcemur? Inuocationis verba, quæ pronuntiantur, dum panis Eucharistiæ, & calix benedictionis ostenditur, quis sanctorum scripta nobis reliquit? Neq; enim iis contenti sumus, quæ ab Apostolo, aut in Euangelio memorantur. Sed alia tum ante, tum postea dicimus, quæ magnam ad mysterium vim habent, quæ ex doctrina per manus tradita accepimus. Benedicimus tum aquam baptismi, tum oleum vnctionis, tum etiam illum, qui baptizatur. Hæc autem quibus è scripturis? nónne ex tacita & arcana traditione? Ipsam porrò olei vnctionem qui sermo scriptus edocuit? Iam trina hominis ablutio, & alia, quæ in baptismo obseruamus, & renunciare Satanæ, atq; Angelis eius, ex qua scriptura deprompta sunt? nónne ex hac non promulgata literis arcanaq; doctrina, quam in minimè curioso, solicitoq; silentio parentes nostri seruauerũt? Quippè qui rectè illud didicerant, mysteriorum grauitatem silentio custodiri. Nam quæ non initiatis nefas est intueri, eorum doctrinam quomodo par sit literarum monumentis promulgare? Aut quónam consilio Magnus ille Moses non omnibus omnia templi loca fecit esse peruia, Sed extra sacrorum septa prophanos constituit, prima autem atria purioribus concesit, leuitasq; solos dignos Dei ministros iudicauit, & victimas, atq; holocausta, & reliqua sacrificia sacerdotibus distribuens, vnum ex omnibus delectum in adyta admisit, eumq; non omni tempore, sed vno tantùm anni die, atq; huius hora certa ad ingrediendum constituta, quo propter rei nouitatem atq; insolentiam cum admiratione suspiceret sancta sanctorum? Sciebat enim vir sapiens rebus conculcatis & cuilibet expositis contemptum esse propositum. in accessis autem & raris venerationem esse cõiunctam. Eodem modo etiam Apostoli & patres, à quibus ea, quę ad Ecclesiam pertinẽt, ab initio sunt constituta, in occulto & silentio mysterijs auctoritatem conseruarunt. Neq; enim omnino mysterium est, quod ad populi vulgiq; aures peruenit. Hæc est ratio, quamobrem quædam non scripto, sed per manus tradita sint, ne dogmatum cognitio neglecta propter consuetudinem à vulgo contemneretur. Aliud enim est dogma, & aliud prædicatio. Illud enim siletur, hæc promulgatur. Silentij autem genus est obscuritas, qua scriptura vtitur, dum dogmatum sensum ita disponit, vt difficile percipi queat, idq; ad legentium vtilitatem. Iccircò precantes ad orientem omnes respicimus, cùm tamen pauci sciant è nobis, se veterem patriam requirere paradisum, quam ad orientem Dominus plãtauit. Et præces die dominica stantes effundimus, cùm rei causam non omnes teneamus. Neque enim ob id solum stantes precamur, quo nos consurrexisse cum Christo, & quæ supra sunt quærere debere, ꝙ in resurrectionis die gratia nobis sit data, commonefaciamus, verumetiam quia futuri seculi videtur imago quædã. Quamobrem cùm & dierum principium sit, non prima à Mose, sed vna appellata est. Factum enim, inquit, est vespere & mane dies vna, quod eadem sæpius voluatur. Ex quo fit, vt eadem sit vna & octaua, quæ quidem vnam & veram illam octauam, cuius Dauid etiam in quibusdam Psalmorum inscriptionibus meminit, per seipsum significat, statum illum nimirum, qui post hoc tempus futurus est, diem inquam, illam non desituram, quæ nullam habebit vesperam, cui nulla alia succedet dies, seculum illud, cuius non erit finis, quod non consenescet. Necessario igitur Ecclesia docet alumnos suos, vt preces suas in ea die stantes persoluant, quo vitæ nullum habituræ finem assiduè cõmoniti in viaticis ad migrationem illam comparandis diligentes simus. Quid? quod tota Pentecoste, quæ dierum quinquaginta numero absoluitur, monumentum resurrectionis est in seculo futuræ. Vna enim illa & prima dies septies septies repetita septenas sacræ Pentecostes hebdomadas conficit, A prima enim incipiens in eandem desinit, per similes illos, qui in medio sunt, dies quinquagies euoluta. Quapropter & similitudine seculum refert, cùm tanq̃ in motu circulari ab eodem puncto in idem desinat. In qua nos Ecclesiæ erudiunt mores & instituta, vt recta figura stantes adoremus, quo perspicua hæc admonitione mentem à rebus præsentibus ad futuras referamus. Quoties verò genua flectimus, & erigimur, re ipsa declaramus, nos & propter peccatum in terram excidisse, & propter benignitatem illius, qui nos procreauit, in cœlum fuisse reuocatos. Deficiat me dies, si Ecclesiæ mysteria, quæ scriptis cõsignata non sunt, persequar. Omitto cætera. Ipsam fidei confessionem in patrem & filium & Spiritum sanctũ ex quibus literarum monumentis accepimus? si enim ex baptismi traditione, quòd ratione religionis, sicut baptizamur, sic etiam credere debemus, ideoq; confessionem baptismo similem deponimus, concedant nobis, vt ex eadem consequentia similem fidei gloriam persoluamus. Sin hanc gloriæ persoluendæ rationem, ꝙ scripto prodita non sit, respuunt, proferant nobis scriptas demonstrationes tum confessionis fidei, tum cæterarum rerum, quas enumerauimus. Cùm igitur tam multa sint, quæ non scri-

pto,

pto, sed per manus tradita tantam in religionis mysterio vim obtinent, vnam nobis dictionem quam à patribus traditam accepimus, non concedent? Præsertim cùm eam nos ex consuetudine non accurata in Ecclesiarum vsu incommutabili permansisse non exiguam habentem rationem nec paruam ad mysterij vim vtilitatem afferentem inuenerimus. Dictum igitur est, idem esse quantum ad sententiam pertinet, dicere, Gloria patri & filio & spiritui sancto: & Gloria patri & filio cum sancto spiritu. Itaque nec syllabam, et, ex ipso Domini ore profectam reiicere aut abrogare licet, nec quicquã prohibet, alteram tantũdem valentem admittere, quæ q̃uo ab illa differat, vel cum ipsa conueniat, in superioribus exposuimus. Rationem verò nostram confirmat etiam Apostolus, qui sine vllo discrimine vtraque vsus est voce, Nunc quidem, In nomine inquiens, Domini Iesu, & in Spiritu Dei nostri. Nũc autem, congregatis nobis, & spiritu meo cum virtute Domini nostri Iesu Christi. Quibus verbis declarat, nihil referre, vtrũ in nominibus copulandis coniunctione, an præpositione vtamur.

Eiusdem. Quæ de hominibus tanquam vna cum Christo regnantibus scriptura commemorat, ea de spiritu dici aduersarios non permittere. *Caput.* XXVIII.

SEd videamus, vtrum aliquam huiusce vsus excusationem patribus nostris inuenire valeamus. Nã q nobis, vt ita loqueremur, auctores fuerunt, magis q̃ nos, crimini sunt affines. Paulus igitur ad Colossenses scribens, Et vos, inquit, mortuos delictis atque præputio viuificauit cũ Christo. Populo igitur vniuerso, & Ecclesiæ largitus est Deus vitam cum Christo, & Spiritui sancto cum Christo non erit vita? sin hoc vel cogitare impium est, cur pium nõ sit ei, vt natura se habet, sic etiam coniunctim tribuere confessionem? Præterea nónne summi stuporis est, cùm sanctos esse cum Christo fateantur, siquidem Paulus è corpore egressus versatur apud Dominum, & mortuus iam est cum Christo, ne id quidem spiritui dare, quod quidem ad ipsos pertinet, vt æque, ac homines, cũ Christo sit? & cùm in Euangelij dispensatione Paulus se Dei cooperatorem appellet, Ego si Spiritum sanctum, per quem in omnibus hominibus, qui sub cœlo sunt, fructum fert Euangelium, cooperatorẽ appellauero, impietatis crimine accusabor? Et, quemadmodum æquum est, vt cùm eorum, qui sperauerunt in Dominum, vita abscondita sit cum Christo in Deo, & cùm Christus apparuerit vita nostra, nos itẽ cum ipso tunc apparituri simus in gloria, ipse spiritus vitæ, qui nos legis peccato liberauit, nullo modo cum Christo sit, neque in latente & abscondita cum ipso vita, neque in promulgatione gloriæ, quam nos in sanctis promulgandam expectamus? Hæredes Dei sumus, & cohæredes Christi. Spiritus autem exhæres erit, & expers societatis Dei, & Christi eius? Ac spiritus quidem testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Nos autem illi ne testimonium quidem coniunctionis, quam habet cum Deo, quod à Domino didicimus, afferemus? Et, quod amentiæ caput est, nos quidem per fidem in Christum, quæ in spiritu est, consurrecturos cum Christo, & in cœlis cum ipso consessuros speramus, cùm humilitatis nostræ corpus ab animali ad spiritale fuerit transformatum, Spiritui verò nõ consessum, non gloriam, non aliud quicquam eorum, quæ ab ipso accepimus, tribuemus? Sed quibus nos ex minimè falso illius, q pollicitus est, munere dignos esse credidimus, horum nihil Spiritui sancto, tanq̃ dignitate ipsius superiora sint, impartiemur? Et ex tua quidem est dignitate, semper esse cum Domino, teq; raptum in nubibus obuiam in aëra semper cum ipso futurum speras, spiritum autem nunc esse negas cum Christo, quippe qui eos, à quibus spiritus ipse cum patre & filio numeratur & constituitur, tanq̃ intollerabili se impietatis crimine obstrinxerint, in exilium agendos putes? Pudet me reliqua commemorare vt te quidem cum Christus speres fore glorificandum, siquidem cõpatimur, vt conglorificemur, Spiritum verò sanctitatis non glorifices cum Christo adeo, vt ne paria quidem tecum ferat. Ac te quidem cum Christo regnaturum speras, spiritũ autem gratię afficis contumelia, dum illi locum serui, & ministri ordinem assignas. Hæc autem dico, non vt ostẽdam spiritui tantum ad gloriam deberi, sed vt ingratos istorum animos coarguam, qui ne tantum quidem concedunt, sed spiritus cum patre & filio societatem, tanq̃ impietatem, fugiunt. Quis hæc sine gemitu præterire queat? Nónne vel puero manifestum sit, initia hæc esse defecturæ fidei, id qđ comminatus est Dominus? Quæ certissima sunt, vocantur in dubium. Credimus in spiritum & nostras ipsorum confessiones oppugnamus. Baptizamur, & rursum pugnamus. Quem vt vitæ nostræ ducem inuocamus, eum tanq̃ conseruum contemnimus. Quem cum patre filioque suscepimus, eum tanquam vnam aliquam ex rebus procreatis despicimus. Nam quòd hanc gloriæ tribuendæ rationem, vt cum spiritu dicamus, testimonio carere & scriptam non esse cõtendunt, respondemus, si nihil aliud recipiunt, quod scriptum nõ sit, ne hoc quidem ab ipsis esse recipiendum. sin eorum, quæ mystica sunt, plurima sine scripto à nobis recepta sunt, vnà cum illis & hoc recipiamus. Illud autem apostolicũ censeo, vt in iis, quæ nobis sine scripto per manus tradita sunt, maneamus. Laudo enim vos, inquit, quod semper mei memores estis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis. Et rursum, Tenete, inquit, traditiones, quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam. Ex quibus vna & præsens hæc est, quam tibi ab initio instituerunt, & deinceps posteris per manus traditam progrediente semper vsus tempore per longam consuetudinem Ecclesiis penitus infixerunt. Nónne si tanquam in iudicio scriptas tabulas non possemus ostendere, testium autem multitudinem afferemus, vestrum suffragium assequeremur? Ego quidem arbitror, in ore enim duorum aut triũ testium omne verbum stabit. Quòd si temporis etiam diuturnitatẽ pro nobis stare perspicue demonstrabimus, nón ne meritò videantur nobis dicere, litem hanc non posse, contra nos intendi. Grauitatis enim atque auctoritatis plena sunt vetera instituta, quippe quæ in antiquitate, tanquã in canicie quadam venerationem obtinent.

Enumeratio virorum illustrium in Ecclesia, qui suis in scriptis vocem hanc, cum, adhibuerunt. *Caput.* XXIX.

ENumerabo igit̃ vobis eos, qui principes hac vsi sunt voce. simulq; tacite tempus etiã comprehendetur. Neque enim illius auctores nos fuimus. Qui enim fieri potest, cùm vnius diei homines verè simus, vt verbis Iob vtar, si cum tẽporis vetustate, qua huiusce consuetudinis ætas inualuit, compararemur? Ego quidem ipse, si, quod ad me proprie pertinet, dicendum est, vocem hanc tanq̃ paternam hæreditatem conseruo, acceptam à viro, qui in ministerio Dei longo tempore vixerit, per quem & baptizatus sum, & ad Ecclesiæ administrationẽ. adductus. Sed

cùm ipse mecum considerarem, num antiquorum & beatorum virorum aliquis, vocibus his, quæ nunc in controuersiam vocantur, vsus fuerit, multos cùm fidei vetustate auctoritatem habentes, tum scientiæ præstantia non cũ huiusce temporis hominibus comparandos reperi, quorum alij in gloriæ tribuendæ disputatione præpositionem, alij coniunctionem adhibentes nihil diuersum facere se, quantum ad rectam pietatis sñiam attinet, existimarunt. Irenæum illum dico, & Clementem Romanũ, & Dionysium Romanum, & Dionysium Alexandrinum, qui quod quidem auditu mirabile sit, in altera ad eum, qui eodem, quo ipse, nomine vocabatur epistola, quæ reprehensionẽ defensionemq; complectitur, sic orationi suæ modum imposuit, Scribo autem vobis ipsius viri verba, His, inquit, omnibus consentanea ratione, nos etiam forma quidem ac regula à senioribus, qui ante nos fuerunt accepta, & eisdem cum ipsis vocibus gratias agentes, iam etiam vobis in præsentia quoque scribere desinemus, Deo autem & patri, & filio Domino nostro Iesu Christo, cum sancto spiritu gloria & imperium in secula seculorum amen. Et hæc quidem nemo dicere poterit fuisse mutata. Non enim sic asseruisset, formam & regulam se accepisse scribens, siquidem in Spiritu sancto dicturus fuisset. Huius enim vocis magnus erat vsus. Sed illud defensionem postulabat. Hic sanè in media quoq; oratione sic aduersus Sabellianos scripsit, Tres sunt, etiam si nolint, aut diuinã Trinitatem penitus tollant. Et rursum, ob id enim diuinissima post vnitatem etiã Trinitas. Sed vt Clemens, antiquius, viuit, inquit, Deus, & Dominus Iesus Christus, & Spiritus sanctus. Sed Irenæus ille, qui temporibus Apostolorũ propinquus fuit, quomodo in oratione aduersus hæreses Spiritus sancti mẽtionem fecerit, audiamus. Effrænatos verò, & qui in turpitudines suas præcipites ruunt, nullum habentes diuini spiritus desiderium, merito Apostolus carnales appellat: Idem alibi, Ne diuini, inquit, spiritus expertes regnum cælorum amittamus. Quòd si cui Palæstinus Eusebius propter magnum rerum vsum videtur dignus, cui habeatur fides, illius etiam verba ex quæstionibus de multiplici veterum cõiugio in mediũ afferamus. Hic.n. seipsum hortans ad verba Prophetarum, sanctum, inquit, Deum lucis auctorem per seruatorem nostrum Iesum Christum cum sancto spiritu inuocãtes. Iam verò Origenem etiam in multis Psalmorum expositionibus inuenimus gloriam cum sancto spiritu tribuentem virum qui non admodum rectè in omnibus de spiritu sensit. Multis tamen in locis hic quoque consuetudinis vim veritus pias de spiritu voces emisit. Quippe qui in sexto libro, vt arbitror, expositionum in Ioannis Euangelium, apertè ipsum adorandum etiam pronunciauit. sic enim ait ad verbum, Aquæ lauacrum est signum purgationis animæ ab omnibus maculis ex malitia contractis ablutæ. Nihilominus & per se is, qui seipsum adorandæ Trinitatis Diuinitati per inuocationum virtutem exhibet, gratiarũ habet principium & fontem. Idemq; rursus in commentariis in Epistolam ad Romanos, sacræ, inquit, virtutes capaces vnigeniti, & sancti spiritus Diuinitatis. Ea traditionis, vt arbitror, est vis, vt homines sæpe propriis opinionibus cogat contradicere. Ac ne Africanum quidem historię scriptorem latuit eiusmodi genus glorificationis. Sic enim & ipsum in quinto temporum Epitomes libro constat dixisse. Nos enim, qui & illorum verborum mensuram nouimus, & fidei gratiam non ignoramus, gratias agimus patri, qui nobis propriis præbuit omnium seruatorem & Dominum Iesum Christum, cui gloria, & maiestas cum sancto spiritu in secula, Amen. Alia fortasse possunt aut non admitti, aut à scribis sic immutata existimari, vt difficillimè fraus deprehendi queat, cùm in vna syllaba discrimen consistat. At ea, quæ longiore oratione protulimus, & insidias fugiunt, & perspicuum ex ipsis libris testimonium habent. Quod autem alioqui fortasse non conueniret in medium afferri, ei tamen, qui vt nouæ doctrinæ assertor accusatur, pro testimonio propter temporis antiquitatem est necessarium, adiiciã. Visum est patribus nostris, vespertini luminis gratiam silentio non admittendam, sed simulatque illatum est, agendas esse gratias. Ac illius quidem gratiarum actionis, quæ pro lumine persoluitur, auctorem proferre non habeo, populus tamen vt antiquam pronuntiat orationẽ illam, nec vlli vnquam impie agere existimati sunt, qui dicerent, Laudamus patrem, & filiũ, & Spiritum sanctum Dei. Quod si quis hymnum Athenogenis nouit, quem tãquam aliud quoddam in discessu carmen familiaribus suis iam ad perfectionem per ignem progrediens reliquit, is quid etiam Martyres de spiritu senserint, non ignorat. Et hæc quidem hactenus. Magnum verò Gregorium illum, & verba ipsius vbi collocabimus? Nónne cum Apostolis & Prophetis, virum, qui eodem, quo illi, spiritu ambulauit, & sanctorum vestigiis semper institit, & perfectam Euangelicè viuendi rationem perpetuò complexus est. Ego quidẽ ita sentio, nos profectò veritatem affecturos iniuria nisi in eorum, qui cũ Deo coniuncti sunt, numero locauerimus. Vnum igitur ex iis, quæ ad Gregorium pertinent, est hoc glorificationis genus. cui nunc cõtradicitur, quod ex illius instituto ab Ecclesia est obseruatũ. Quæ quidem sic habere haud ita multo labore deprehendet, qui parumper sese mouerit. Hanc item Phirmiliano nostro fidẽ fuisse orõnes ab eo relictæ testantur. Sed & Meletium illum eximium ita sensisse dicunt, qui cũ illo versati sunt. Et quid multis opus est? Nónne qui ad orientem sunt populi, nunc eos, qui piè sentiunt, sic agnoscunt, & hac voce, tanquam nota quadã, suæ tribus esse diiudicant? Ac quemadmodũ ego ex quodam viro ex Mesopotamia tum linguæ perito, tum mentis minime peruersæ accepi, ne aliter quidem patria voce loqui possunt, etiam si velint. Sed per syllabam, Et, hoc est, per verba, quæ propria illius regionis loquendi ratione idẽ valent, quod ea syllaba, gloriã persoluunt necessariò. Nos item Cappadoces ita loquimur, ita inquam, loquimur ex regionis nostrę consuetudine. Ita Spiritu sancto in ipsa linguarum diuisione vocis vtilitatem prouidente. Quid occidens vniuersus ab Illyrio vsque ad regionis, quam nos incolimus, terminos, nónne vocem hanc anteponit. Quomodo igitur ego rerum nouarum inuentor? aut recentiũ verborum fabricator, qui gentes vniuersas, & ciuitates, & consuetudinem omni hominum memoria antiquiorem, & viros, qui sunt Ecclesiæ columnæ, in omni scientia & virtute spiritus excellentes, huiusce vocis auctores & principes exhibeam?

Eiusdem, ex Epistola ad Eustathium Armenium.

EXecrari oportet eos, qui Spiritum sanctum creatum esse dicunt, quiq; sicut natura sanctus est pater, & natura sanctus est filius, non item ipsum natura sanctũ esse confitentur, sed à diuina beataq; natura alienum asserunt. Rectè autem sentientis indicium est, si ipsum à patre filioq; non separes. Oportet enim nos ita baptizari, sicut instituti sumus, sic autem credere, vt baptizamur. Atque ita glorificare, sicut credidimus, patrem, & filium, & Spiritum sanctum. Ab illis verò, qui spiritum creatum asserunt, vt ab hominibus aperte maledicẽtibus abhorrere, Illo cõ-

fesso. Necessaria enim est notatio propter calumniatores? Quòd nec ingenitum dicimus Spiritum sanctum. Vnũ enim ingenitum nouimus & vnum rerum principium patrem Domini nostri Iesu Christi. Neque genitum. Vnum enim in fidei institutione Vnigenitum didicimus. Porrò cũ spiritum veritatis à patre procedere didicerimus, ex Deo quidẽ esse, non tamen creationis ratione confitemur. Execrari etiam oportet eos, qui Spiritum sanctum dicunt esse ministratorium, vt eum hoc verbo in rerũ procreatarum ordinem redigant. Ministratorios enim spiritus creatos esse scriptura nos docuit, omnes, inquiens, esse ministratorios spiritus in ministeriũ missos. Ac propter eos, q omnia miscent, nec Euangelij doctrinam obseruant, necessarium est, & illud explicare. Fugiendos nimirum etiam illos, qui seriem, quam Dominus tradidit immutant, cùm perspicue veritatem oppugnent, & filium quidem ante patrem constituant, filio verò spiritum anteponant. Firmum enim & inuiolatum obseruare debemus ordinẽ, quem ex ipso Domini ore percepimus, dicentis, Euntes baptizate omnes gentes in nomine patris & filij, & Spiritus sancti.

Eiusdem ex tertia aduersus Eunomium oratione.

CVm duæ res sint diuina, & creata, quæ dominatur, & quæ seruit, quæ sanctificat, & quæ sanctificatur, quæ ex natura virtutem habet, & quæ ex proposito virtutem colit, vtra in parte spiritum collocabimus? Inter eosne, qui sanctificãtur? At ipse est sanctificatio. Inter eos, qui bonis & strenuis actionibus virtutem assequuntur? At ipse natura est bonus. Inter ministratorios spiritus? At alij sunt spiritus ministratorij, qui ad ministerium mittuntur. Non igitur conseruum appellare fas est ipsum, qui natura princeps est, neque in rerum, quæ procreatæ sunt, numero ponere, qui in diuina beataq; Trinitate numeratur. Res enim procreatæ, quatenus in virtutis & pietatis erga Deum studio proficiunt, sanctificationis præmiũ habent, cùm & ea natura sint, vt libera vtanẽ voluntate, & ad vtrãlibet partem se queant conuertere, vel ad bonũ, vel ad malum complectendum. At Spiritus sanctus sanctificationis est fons. Et quemadmodum natura sanctus est pater, & natura sanctus est filius, ita natura sanctus est & spũs veritatis. Quapropter eximium etiam & proprium illud habet, vt sanctus appelletur. Itaq; si natura illi sanctitas est, vt patri, & filio quomodo tertium quiddam sit, diuersæq; naturæ? Iccircò enim, vt arbitror, apud Esaiam cherubim ter clamare sauctus describuntur, quoniam in tribus personis perspicitur sanctitas naturalis. Neque id solum cum patre & filio habet commune, vt dicatur sanctus, verùm etiam illud ipsum, quòd spiritus appellatur. spiritus enim, inquit, est Deus, & qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Et Propheta, spiritus, inquit, vultus nostri. Christus Dominus. Ex his cuiuis perspicuum est, nominis societate eum non natura diuersum, sed cum patre filioq; coniunctum esse. Et cùm bonus dictus sit Deus, spiritus ẽt bonus est. Bonitas autem est illi non studio comparata, sed naturalis. Alioquin absurdissimũ sit, qui natura bonus est, eum dicere bonitatem habere non naturalem, sed aduentitiam, & quæ ad illum extrinsecus accesserit. Iam cùm Dominus dicat, Ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ipse quoque Paracletus noster esse declaratur, quamobrem hæc ipsa paracleti appellatio non parum confert ad sancti spiritus gloriã demonstrandam. Ac talia quidem sunt nomina, quibus naturæ ostenditur amplitudo. Opera verò Spiritus sancti quæ'nam sunt? Verbo Domini, inquit, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quemadmodum igitur Deus Verbum cœlorum est opifex, sic & Spiritus sanctus cœlestibus virtutibus robur adhibet ac firmamentum. Et Iob, spiritus, inquit, Domini fecit me, non de creatione, vt arbitror, loquens, sed de virtutis humanæ perfectione. Et Esaias ex persona Domini, quantum ad eius pertinet humanitatem, Dominus, inquit, misit me & spiritus eius. Et Dauid per omnia virtutem spiritus commeare significans, Quo, inquit, ibo à spiritu tuo? Et à facie tua quo fugiam? Sed quę ab ipso in nos beneficia proficiscuntur, qualia, quantaq; sunt? Quemadmodum ipse Dominus iis, à quibus reciperetur, potestatẽ dedit, vt filij Dei fierent, ita Spiritus sanctus adoptionis est spiritus. Et quemadmodum vnus magister est verus Dominus noster, vt scriptum est, Vos autẽ nolite vocare magistrum vestrum super terram, Vnus enim præceptor vester est Christus, sic & Spiritus sanctus docet omnes, qui credunt in nomine Domini, vt ipse Dominus testatus est, Paracletus, inquiens, Spiritus sanctus, quem pater mittet, ille vos docebit omnia. Et quemadmodum pater dicitur actiones in eos distribuere, qui vt eas suscipiant, digni sunt, & filius administrationes in illos diuidere, qui administratione sunt digni, sic & spiritus gratias diuidit in eos, qui illarum susceptione digni sunt. Sic enim testatur Apostolus diuisiones, inquiens, gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Cernis, quomodo & hic sancti spiritus actio cum patris & filij actione coniuncta sit? Tum ex eo, quod sequitur, magis etiam Diuinitas naturæ sancti spiritus declaratur. Quid enim ait? Hæc autem omnia operatur vnus & idẽ spiritus diuidens peculiariter vnicuique prout vult. Nihil autem aliud illi, nisi principis & Domini tribuit potestatem. Quamobrem & in nouo testamento clamant Prophetæ, Hæc dicit Spiritus sanctus. Nã quòd Dei profunda scrutatur, vnde illi adest? Nemo enim, inquit, nouit quę sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, sic & quæ Dei sunt nemo nouit, nisi spiritus Dei. Vt enim nemo alienus aut peregrinus interiores animi cogitationes potest inspicere, ita nimirum si quis arcanorum Dei particeps est, non alienus ab ipso est, nec peregrinus scrutari potest profunda iudiciorum Dei. Præterea vita nobis à Deo per Christum in sancto spiritu præbetur. Viuificat enim Deus, vt paulus ait, Præcipio, inquit, tibi coram Deo, qui viuificat omnia, Vitam dat etiam Christus. Oues enim, inquit, meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis. Per spiritum item viuificamur, vt Paulus ait. Qui suscitauit Christũ à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius spiritum in vobis. Sed iste, qui audet omnia, nec periculum timet imminens omnibus, qui maledictum aliquod audent in spiritum coniicere, ipsum Diuinitatis expertem pronuntiat, ita scribens. Tertius ordine, & natura spiritus est. Et iussu quidem patris, opera autem filij factus, tertium dignitatis locum obtinet. vt primus & omnium maximus, & qui solus sit vnigeniti opus eiusmodi, eiq; Diuinitate, & creandi facultate cedat. Sed qui hæc dicit, nec Diuinitatem in nobis habitare videẽ credere. Cùm Ioãnes ita loquatur de Deo, Ex hoc cognoscimus, quòd in nobis est, ex spiritu, quem dedit nobis, Apostolus autem dicat, Nescitis, quòd templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Et rursum, In quo omnis ædificatio cõstructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu. Quòd si Deus in nobis inhabitare p spiritum dicitur, nónne perspicuę impietatis est, ipsum spi-

ritum Diuinitatis expertem affirmare? Et si virtute perfectos viros appellamus Deos, perfectio autem per spiritum fit, quomodo qui diuinos alios facit, ipse careat Diuinitate? At qui ne pium quidem sit, vt de hominibus, sic de spiritus dicere, Diuinitatem ei fuisse communicatam, ac non inesse natura. Qui enim gratia diuinus est, labentem habet naturam, quæ per negligentiam quandoque decidit à præstantiore. Hoc autem planè repugnat baptismi salutaris institutioni. Euntes, inquit, baptizate in nomine patris, & filij & Spiritus sancti. Baptismus enim sigillum est fidei, fides autem cōfeßio Diuinitatis. Credere enim oportet prius, deinde baptismo obsignari. Baptismus autem noster ex Domini institutione est in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Cùm nihil creatum, aut seruum cum patre & filio collocetur, quòd in Trinitate Diuinitas compleatur. Quæ autem extra hos sunt, ea pariter serua sunt omnia, licet alia aliis maxime præstent dignitate. Ac ne rursum ex sapientia tua promas argumenta, si creatus inquiens, non est, genitus ergo, aut ingenitus est. Sed vnus principio carens & ingenitus Deus. Neque verò genitus est. Quamobrem restat, vt creatus & factus appellē. Ego si omnia cognitione nostra comprehendi posse statuerem, erubescere fortasse ignorantiam confiteri. Nunc verò cùm innumerabilia nos in futuro tantum seculo reposita lateant, & non modo eorum, quæ nunc in cœlis sunt, sed quæ nobis adsunt in corpore, cognitionem veram, & quæ confutari nequeat, nullam habeamus, exempli gratia de visu vtrū rerū aspectabiliū imagines admittentes cernamus, quòd si ita sit, qui fieri poßit, vt ingentium montium, immēsæq; terræ, & infiniti maris, atque adeò ipsius cœli imago ab exigua pupillæ nostræ mensura comprehendatur, an à nobis ipsis aliquid emittentes, quod rebus aspectabilibus appropinquet, sensum illarum assequamur, & quid'nam illud ipsum, quantumq; sit, quod terræ mariq; complectendis satis sit, quodque spatium illud, quod inter cœlum ac terram est, pertransiens, ad cœlum ipsum accedat, tanta celeritate concitatum, vt eodem tempore, & corpora, quæ circunstant, & quæ in cœlo sunt, stellas apprehendat, atque vt alia taceam, quis plane queat explicare, vtrum mentis motiones ab anima creentur, an gignantur, quid igitur mirum, si de Spiritu sancto nos item ignorare fateamur, & tamen illi gloriam, cuius testimonium ei sine vlla controuersia datum est, tribuamus? Nam quòd supra res procreatas sit, facile probant ea, quæ scripturis prodita sunt. Fieri enim non potest, vt eiusdem naturæ sit is, qui sanctificat, & ea, quæ sanctificātur, is, qui docet, & quæ docentur, is, qui reuelat, & ea, quæ indigent reuelatione. Ingenitum verò, nemo adeò desipit, qui præter rerum omnium Deum, quenquam audeat appellare. Ac ne filiū quidem, quoniam vnus est Vnigenitus. Quid igitur oportet ipsum vocare? Spiritum sanctum, & spiritum Dei, & spiritum veritatis. qui a Deo mittitur, qui per filium præbetur, non seruum, sed sanctum, bonum, principalem, spiritum viuificā tem, spiritum adoptionis, qui scit omnia, quæ Dei sunt. sic Trinitate vnitatis ratio conseruabitur, si patrem vnum & filium vnum, & Spiritrm sanctum vnum confiteamur: At demonstrationes afferunt, quòd Spiritus sanctus creatus dictus sit, vnam quidem ex Propheta dicente, Qui firmat tonitruum, & creat spiritum. Alteram autem ex Euangelio, omnia per ipsum facta sunt. Nos verò prophetę sermonem non ad Spiritum sanctum, sed ad communem hunc flatum, nempe spiritum aëris referendum existimamus. Hoc autem ex eo colligi potest, quòd non dixit, qui creauit, sed qui creat. Quemadmodum.n. tonitrus non in essentia quadam corporea semel creatus est, sed ex voluntate Dei semper ad terrorem hominum ita fit, vt tum existat, tum dissoluatur. Sic etiam ventus nunc quidem fit aëre fluminis instar fluente. nunc autem cessat, eo, qui prius mouebatur, quiescente secundum voluntatem illius, qui cuncta ad rerum vniuersitatis conseruationem & confirmationem moderatur. Vt per omnes res procreatas tum ex tonitribus, tum ex ventis, & reliquo opificio opifex ipse promulgetur. Quamobrem posteaquam dixit, Qui firmat tonitruum, & creat spiritum, subiecit, & enuntiat hominibus Christum suum. Quemadmodū enim cœli enarrant gloriam Dei, illis, qui possunt ex ipsis cœlis opificis artificium intelligere, sic & tonitrus sonat, & ventorum motus auctorem declarant suum. Quod tamen fortasse Prophetia etiam esse poßit, quæ ad Domini ducat humanitatem. Quando vox de cœlo facta, visa est audientibus esse tonitruum, quam quidē emisit Deus & pater, vt per ipsam Christum suum hominibus enuntiaret. Ventorum autem spiritus qui mouebantur, & mare conturbabant, posteaq; iussu Domini conquieuerunt, ipsi quoque perspicue Christum eius hominibus nuntiauerunt. Iam ex illis verbis omnia per ipsum facta sunt, nullo modo consequitur, vt nobis spiritus creatus demonstretur. Neq; enim in omnium numero spiritus constituitur. Si.n. Spiritus sanctus est vnus, & solus, quomodo qui naturæ singularis est, cum omnibus numerari queat? Nemo autem putet Spiritū sanctum ideo non subsistere, quòd eum creatum negemus esse. Piæ nanque mentis est, cauere, ne ea de Spiritu sancto dicamus, de quibus nulla in scripturis fit mentio. Credere autē exquisitam comprehensionem in posterum seculum reseruari. Quando transeuntes id, vt veritatem per speculum, & ænigma cernamus, digni efficiemur, qui facie ad faciē contemplemur.

Item de Spiritu sancto aduersus eos, qui spiritum oppugnant, Magni Gregorii Theologi. Ex oratione de Spiritu sancto.

SI quando igitur fuit, cùm pater non esset, fuit cùm nō esset filius: si fuit, cùm filius non esset, fuit cùm non esset & spiritus: si vnus ab initio fuit, & tres: si vnum deiicis, audebo dicere. te nec duos constituere. Quę enim imperfectæ Diuinitatis vtilitas? Immò verò quæ Diuinitas, si imperfecta? Quomodo autem perfecta, si desit aliquid ad perfectionem? Deest autem quodammodo non habenti eum, qui sanctus est. Quomodo autem habeat, si hunc non habet? Aut enim alia quædam est præter hanc sanctitas, & quæ'nam ista sit, dicas velim, aut si hæc est, cur non ab initio? Tanquam melius sit Deo, aliquando fuisse imperfecto & sine spiritu? Quòd si ab initio nō fuit, mei ordinis est, licet paulo ante me fuerit. Tempore.n. à Deo secernimur. sin mei ordinis est, quomodo me Deum facit? aut quomodo me Diuinitati coniungit?

Ex eadem oratione.

SAdducæi ne esse quidem omnino Spiritum sanctum existimarunt, neq; Angelos, neq; resurrectionem, qui nescio qua ratione adducti fuerint, vt tam multa veteris testamenti de hoc tastimonia respuerent. Ex aliis autem gentibus, qui studiosius diuina tractarunt, & ad nos propius accesserunt, aliquid vt mihi quidem videtur, de illo sunt opinati, sed in eius nomine dissenserunt, dū ipsum alii mundi mentem, alij mentem extrinsecus accedētem, alij

alij alio modo appellauerunt. E nostris verò sapientibus alij vim agentē, alij creatum, alij putarunt Deū. Dubitarūt quidam, vtro illum mō appellarent, scripturā veriti, vt ipsi dicunt, quæ neutrum dilucide explicat, & iccircò neq; colunt eum, neq; contēnunt, media quadam rōne erga illū. Imo verò miserè affecti. Et qui Deum ipsum existimāt, partim animo tm̄ sunt pij, partim ore quoq; pietatem audent confiteri. Alios item sapientiores audiui qui Diuinitatē ita metiuntur, vt tria quidem, queēadmodum nos, intelligi dicant, sed tm̄ inter se differre, vt vnum quidem essentia, & potestate faciant infinitum, alterum aūt potentia quidem, non aūt essentia, tertium verò vtraq; finitum & circūscriptum. Hi rōnem diuersam ab aliis sequentes primum opificem, alterum cooperarorem, tertium ministrum appellant. ordiniq; & gratiæ noīum rn̄dere res arbitrantur. Nos igitur nec aduersus illos, qui spiritum ne esse quidē putant, nec aduersus eos, q̨ de ipso inter gentes nugas confingūt, disputabimus, neq;.n. peccatorum oleo ad dicendum volumus impinguari. Aduersus alios autem ita disseremus, Spiritus sanctus aut ex iis est, q̄ per se constant, aut quę aliis inhærent. Quorum vnū essentiam vocant, qui in hoc genere valēt, alterum accn̄s. si accidens est, Dei est actio. Quid enim aliud sit, aut cuius? Hoc.n. quodāmodo magis est, & fugit compōnem. Quòd si actio sit, agetur nimirum, non autem aget. Et simul atq; actus erit, esse desinet. Ea est.n. actionis natura. Qūo igitur agit? Et hęc dicit? Et segregat? Et contristatur? Et irritatur? Et cætera, quæ ei, qui mouet̄, non aūt motui conueniunt? sin essentia est aliqua, non aūt aliquid eorum, quæ inhærent essentiæ, aut est ex eorum, quæ creata sunt numero, aut Deus. Horum enim medium, quod aut neutrum sit, aut ex vtroque compositum, ne illi quidem, qui hircoceruos confingunt, comminiscantur. Quòd si creatus est, qūo in eum credimus? aut in ipso perficimur? Neq;.n. idem est credere in aliquid, & de aliquo credere. Illud.n. Diuinitati, hoc rei cuilibet conuenit. Sin Deus est, nec creatus, nec factus est, nec conseruus, neque aliud quicquam oīno ex iis, quæ vilibus istis nominibus signantur. Huc tendat oratio tua, fundæ iaculentur, argumenta nectantur. Aut ingenitus, inquis, oīno, aut genitus est, si ingenitus, duo erunt, quæ principio careant. sin genitus, rursum subdiuide, aut est patre, aut ex filio, si ex patre, duo erūt filij, & fratres, Tu aūt mihi vel geminos finge, si placet. aut vnum grandiorem natu, minorem alterum, qn̄ corporeæ rationis adeo studiosus es, sin ex filio, inquis, tum nobis & nepos prodibit Deus. Quo quid absurdius esse potest? Hæc nobis isti, qui sapiētes sunt, vt faciant mala, bona aūt nolunt scribere. Ego verò si diuisionem hanc viderem esse necessariā, res ipsas susciperem, nec vocabula reformidarem. Neq;.n. si rōne quadam sublimiori filius est filius, cùm illud, Ex Deo, &, eiusdem essentiæ, non nisi hoc modo percipere valeamus, continuò necessarium esse putandum est, vt appellationes inferiores, & nostræ propinquitati congruentes, in Deū conferamus. Alioquin cur nō & masculum nobis Deum facis hac rōne, q̧ Deus vocatur & pater? Et fœminam diuinitatem, siquidem id exigit appellatio? Et spiritum, quia non generet, neutrū? Quòd si plusum veteres nugas & fabulas secutus, Deū cum sua ipsius voluntate congressum genuisse filium dixeris, introducet̄ aliquis etiam nobis Marcionis noua secula fingētis, Deus ex masculo fœminaq; compactus. Verùm quoniam primam diuisionem tuam, qua inter ingenitum genitumq; nihil medium statuis, improbamus, statim vna cum graui ista tua diuisione tibi fratres nepotesq; decidēt, vt qui primo principio tanq̄ multiplici quodam vinculo dissoluto sese subduxerint & à ratione recesserint Diuinitatis. Vbi enim, quæso, constitues illud, Procedens, quod tuæ diuisionis medium apparet, & a præstantiore Theologo, q̄ vt tecum conferatur, introductum est, nempe à seruatore nostro, nisi verba illa, Spiritus ille sanctus qui ex patre procedit, vt tertium tuum testamētum constitueres, ex tuis Euāgeliis sustulisti, qui quatenus ex illo procedit, creatus non est. quatenus autem nō generatur, non est filius, quatenus verò ingeniti & geniti medius, est Deus? Atque ita ratiocinationum tuarum laqueos euadens apparet Deus diuisionibus valentior tuis. Quid igitur, inquis, est processio? Tu mihi patris ingeniti rationem explica, & ego tibi generationem filij, & spiritus processionē declarabo, & ambo desipiemus arcana Dei perscrutātes, cùm præsertim ij simus, qui ne illa quidem, quæ ante pedes sunt, cernere, nec arenam maris, nec pluuiæ guttas, nec seculi dies dinumerare possimus, ne dum profunda Dei penetrare, & naturæ illius, quæ nec verbis explicari, nec vlla rōne comprehendi potest, rationem capere valeamus.

Ex eadem oratione.

QVid ergo, inquis, deest spiritui, quominus sit filius? si enim nihil deesset, esset filius. Nos illi nihil deesse dicimus. Neque enim indiget Deus. Sed enunciationis, vt ita dicam, seu mutuæ relationis differentia differentem etiam fecit ipsorum appellationem. Nihil enim filio deest, quominus sit pater. Neq; enim filiū esse, est indigere. Non tamen iccirco est pater. Alioquin & patri desit aliquid, quominus sit filius. Neque enim filius est pater. Verùm appellationes hæ nec egestatem nec essentiæ imminutionem significāt. Sed non esse genitum, & genitum esse, & procedere fecit, vt hunc quidem patrem, illum autem filium, tertium verò, id, quod dicitur, Spiritum sanctum appellemus, vt in vna Diuinitatis natura & dignitate minimè cōfusam personarum distinctionem conseruemus. Neque enim filius est pater. Vnus enim pater. Sed id, quod est pater. Neque spiritus est filius, quia ex Deo sit, vnus enim est Vnigenitus: sed id quod est filius. Hi tres diuinitate vnum sunt: & vnū hoc, tres propter personarum proprietates. Ne vel vnum hæresim Sabellianam, vel tres istius diuisionis sapiat improbitatem. Quid igitur, Deus'ne spiritus? nimirum Deus. Quid tum? eiusdem'ne essentiæ? Quidni, siquidem est Deus? Da igitur, inquit, mihi ex eodem hunc quidem filium, illum verò non filium, & colligam Deum & Deum, hoc est, geminos Deos: Da tu vicissim mihi Deum alium, & naturam Dei, & dabo tibi Trinitatem ipsam cum eisdem nominibus & rebus. Quòd si vnus est Deus, vnaq; suprema illa natura, quomodo tibi similitudinem concedam? Et post alia. Sed cùm vnum è nostris deprompsero, quod & omnibus notum est, ad aliā disputationem accedam. Adam quid tandem erat? figmentum Dei. Eua autē quid? Figmenti sectio. Quid verò Seth? proles vtriusque. Num igitur tibi figmentnm, sectio, & proles, idem videntur? Quidni? Eiusdem'ne hæc essentiæ? an non? Eiusdem concedis ergo, quæ diuersa ratione subsistunt, eiusdem essentiæ esse posse. Hæc aūt dico, non vt figmentum, aut sectionem, aut aliud quippiam eorum, quæ corporea sunt, referam ad Diuinitatem, ne rursus verborum contentionem aucupantibus aduersum me aditus pateat, sed vt ex his tanquam in scena, ea, quæ mente solum & intelligentia percipiuntur, considerem. Neq; enim fieri potest, vt per imagines totam planè veritatem cōprehendamus. Et quid hæc, inquiunt, ad rem? Neq;.n. vnius hoc quidem sit proles, illud verò aliud quippiam. Quid?

nónne Eua & Seth ipsius sunt Adam? cuius.n.alius sint? Num igitur ambo propterea filij? nequaquam. Quid igit̃ sunt? illa quidem sectio, hic autem filius. Vterque autem idem inter se: homines.n.sunt, nemine contradicente. Desinat igitur sic oppugnare Spiritum sanctum, vt eum vel filium esse contendat, vel eiusdem essentiæ & Deum esse neget. Et ex rebus humanis sumant id, quod opinio nostra potest assequi.

Ex eadem oratione.

AT quis, inquit, adorauit Spiritum sanctum? Quis veterum, aut recentium precibus opem ipsius implorauit? Vbinam præcipit scriptura, vt eum adoremus, aut precemur? Vndénam opinionem hanc hausisti? Causam mox accuratius afferemus, cùm de iis, quę scripta non sunt, disputabimus. In præsentia illud dixisse sit satis, spiritum esse, in quo adoramus, & per quem precamur. Spiritus enim, inquit, est Deus, & qui illum adorant, in spiritu & veritate, oportet adorare. Et rursum, Quid enim precemur, sicut oportet, non habemus. Sed ipse spiritus interpellat pro nobis genitibus inenarrabilibus. Et orabo spiritu, orabo & mente, hoc est, in mente & spiritu. Adorare igit̃ spiritu & precari, nihil aliud mihi videtur esse, nisi ipsum sibi ipsi preces & adorationem exhibere. Quod q̃s diuinorum recteq; sentientium nõ laudabit? quandoquidẽ vnius adoratio trium est adoratio, propterea ꝙ in his tribus æqualis est dignitatis diuinitatisq; conditio. Ac ne illud quidem me mouebit, ꝙ dictum sit, omnia per ipsum esse facta, tanq̃ vnus omnium sit etiam ipse spiritus. Omnia enim, quæ facta sunt, dixit, non autem simpliciter, vniuersa. Neq;.n.pater, aut quæ facta non sunt. Ipsum igitur factum ostende, & tunc eum filio tribue, & inter res procreatas enumera. Sed antequam factum ostenderis, nihil ille complexus tibi ad impietatem proderit: si enim factus est, per Christum vtique factus est: neque ipse id negabo: sin factus non est, q̃o sit omnium vnus, aut per Christum? Desine igitur & patrem male honorare, cum vnigeniti iniuria. Malus enim est honor, illi res procreatas tribuere, et, quod charius est, eum filio priuare. Desine & filium honorare cum spiritus contumelia. Non.n.conserui est opifex, sed pari honore cum illo glorificatur. Nihil Trinitatis tecum posueris, ne excidas à Trinitate. Nulli trium personarum diuinam naturam pariterq; colendam amputaris, q̃m si vnam è tribus sustuleris, omnes tolles, immo verò tu ab oĩbus excides. Melius est, exiguam vnionis imaginem cõcepisse, q̃ audere absolutam impietatem profiteri. Venit autem nobis oratio ad ipsum caput. Et ingemisco quidem quæstionem iam pridem mortuam, & fide profligatam nunc renouari. Resistendum est tñ istis nugatoribus, nec permittendum, vt defensionis auxilio deserti capiantur, qui rationem habent, & spiritus patrocinium susceperunt. si Deus, inquiunt, & Deus, & Deus, q̃uo non tres Dei? Aut quomodo id, quod glorificatur, multorum non principatus? Hęc qui nobis obiiciunt? illine, quorum impietas est absolutior? an illi, qui secundas in ea partes ferunt, & de filio rectè sentiunt? Nam alia quidem mihi aduersus vtrosque est disputatio, alia aduersus hos propria, quę quidem est huiusmodi. Agite vos, qui licet à spiritu defeceritis, filium tamen colitis, quid nos in crimen vocatis, quòd tres veneremur Deos, cùm vos veneremini duos? Nam si filium esse negatis adorandum, apertè vos in eius aduersariorum acie constituitis. Et nos quidem vobiscum vt qui planè mortui nondum sitis, humanius gerimus. sin adorandum censetis, & hactenus rectè ad salutem affecti estis. Qua ratione duos colitis, si nos accusatis? si prudenter id agitis, respondete, & nobis quoque respondendi rationem & viam ostendite. Quibus enim argumentis crimen à vobis, quòd binos adoretis Deos, depuleritis, ea nobis quoque erunt auxilio, vt ternos non adorari à nobis demonstremus. atq; ita vobis, qui nos oppugnabatis, opitulantibus victoriam assequemur. Quo quid esse potest gloriosius? Illud autem aduersus vtrosque commune nobis certamen & disputatio. Nobis vnus est Deus, quoniam vna Diuinitas, & qui ex ipso, quãuis tres esse credantur, ad vnum tamen referuntur. Neq; enim vnus magis, alter minus est Deus, neq; hic prior, ille posterior, neq; voluntate diuiduntur, neq; potestate separantur, nec quæ rebus aliis singularibus eueniũt, in his etiam licet intelligere. Sed, vt compendio res declaretur, indiuisa in ipsis distinctis & Diuinitas. sic enim se habent mutuo, vt in ipsis tanquam in triplici sole, vna sit lucis coniunctio. Itaque cùm ad Diuinitatem, & primam causam, & singularem principatum respicimus, cogitatione vnum complectimur. At cùm ad illos, in quibus Diuinitas est, & qui ex prima causa sine vlla temporis ratione, & pari gloria manant, tres adorandas intelligimus. Quid? nònne & qui apud Græcos perfectius philosophantur vnam asserunt Diuinitatem, licet non vnum sed multos Deos constituant? Nónne & homines multi, cùm vna tamen sit humanitas? Sed hic quidem communitas vnum habet solum cogitatione comprehensum. Singuli aũt plurimum inter se tum corpore, tum affectionibus, tum potentia differunt. Nos enim non solum compositi, sed etiam contrarij tum aliis, tum etiam nobis ipsis, quippe qui ne vno quidẽ die iidem planè maneamus, ne dum tota vita, sed & corporibus & animis semper fluamus & immutemur. Atq; haud scio an Angeli quoque sint eiusmodi, cum vniuersa natura superiori Trinitati proxima, licet simplices sint, & in bono ꝓpter propinquitatem nobiliores. Et qui agentibus coluntur Dij, & Dæmones, vt ipsi dicunt, qui vt à nobis consutentur, non est necessarium. Et paulopost, Nostra verò ratio non est eiusmodi. Neq; hęc est pars ipsius Iacob, inquit meus Theologus. Sed eorum quisque vnum habet non minus cum illo, ad quem refertur, q̃ secum ipse. Cùm eadem sit essentia, potestasq;. Atque hæc, quantum nos capere possumus, vnitatis est ratio.

Ex eadem oratione.

QVæ'nam enim isthæc est ratio? quæ eiusdem sunt, inquit, essentię, connumerantur. cõnumerationẽ autem intelligit, cùm vnum in numerum plura cõtrahuntur. Sed quæ non sunt eiusdem essentiæ, non cõnumerantur. Quócirca vos non effugietis, quin hac rõne tres Deos dicatis. Nobis verò qui non dicimus eiusdem essentiæ, nullum est periculum. Tu igitur vno verbo te ipsum ẽ rebus deiecisti, & malam victoriam reportasti, eos imitatus, qui mortis metu suffocantur. Nam ne in monarchia tuenda laborares, Diuinitatem abnegasti, & quæstionem aduersariis prodidisti. Ego verò licet mihi laborãdum sit, tñ id, quod adorandum est, non deseram. Quãq̃ qui labor hic sit, non video. Connumerantur, inquis, quę sunt eiusdẽ essentiæ. Quæ autẽ non sunt eiusmodi, singularẽ habent dem̃õstrationẽ. Vnde hoc tibi? aut à quibus auctoribus, & fabulatoribus accepisti? Nescis omni numero nõ rerũ naturam, sed subiectorũ quãtitatẽ indicari? Ego verò, adeò antiquo, vel rudi potius more me gero, vt tria nominẽ, quæ totidẽ numero sunt, licet natura diuersa sint, Vnũ autem & vnum, totidem vnitates, licet essentia coniungant, quippe

quippe qui non magis res ipsas spectem, q̃ rerum, quæ numerantur, quantitatem. Verùm quando literam valde cõplecteris, quãquam eidem literæ admodum aduersaris inde mihi sume demonstrationes. In prouerbiorũ libro sunt tria, quæ rectè incedunt, leo, hircus, & gallus, & Rex concionans in populo, vt reliquos quaterniones omittam, qui natura diuersi illic numerantur. Et duo Cherubim à Mose reperio sigillatim enumerata. Quomodo igitur aut illa tria ex artificio tuo tantopere natura differunt? aut hæc singularia, adeo natura coniuncta, & cohærentia sunt? Nam si dixero Deum & Mammonam duos Dominos in vnum enumeratos, cùm tam longo inter se distent interuallo, risum fortasse ipsa connumeratione commouebo. At illa, inquit, mihi connumerari dicuntur, & eiusdem essentiæ, quibus vicissim & nomina ipsa conueniunt. Vt tres homines, & tres Dij nõ tria hæc, & illa. Qui enim inter se respondeant? Hoc est illius, qui legem nominibus præscribat, nõ autem qui veritatem inquirat. Nãq; & mihi Petrus, & Paulus, & Ioannes non tres, neq; eiusdem dicuntur essentiæ. Nisi Petri tres, & tres Pauli, & totidem Ioannes afferant. Quod.n.tu in nominibus genus magis spectantibus obseruasti, idem nos in nominibus spẽm magis respicientibus postulamus. Alioquin eris iniurius, nisi nobis cõcesseris id, quod tibi assumpsisti. Iam quid de Ioanne dices, qui in Epistolis catholicis tres esse scribit testimonium dantes, spiritum, aquam, & sanguinem. Is'ne tibi videbitur delirare? Primùm quidem ꝙ ea, quæ non sunt eiusdem essentiæ connumerare ausus sit, quod eorum quæ sunt eiusdem essentię proprium esse dicis, quis.n.horum eandem esse dicat essentiam, deinde ꝙ non congruẽter illis occurrit, sed cum tres masculino genere dixisset, ea quæ neutri generis apud græcos sunt, nempe spiritus, aqua, & sanguis, contra tua & grammaticæ tuæ præcepta, legesq; subiecit? Quanquam quid interest, si tres dicantur, deinde vnum, & vnum, & vnum subiiciatur, aut si vnus, & vnus, & vnus dicatur, deinde non tres subiiciatur sed tria, quod tu in Diuinitate fieri indignum facinus putas. Quid tibi Cancer tum animal, tum instrumentum tum sidus? Quid canis tum terrestris, tum aquatilis, tum cœlestis? Nõnne tres dici videntur cancri, & tres canes? Sanè quidem num propterea eiusdem item essentiæ? Quis id sanus concesserit? Vides, quomodo ista tua cõnumerationis ratio tam multis argumentis confutata conciderit? si enim neque ea, quæ sunt eiusdem essentiæ connumerantur, Et numerantur ea, quæ non sunt eiusdem essentiæ, & eadem in vtrisque est nominum enuntiatio, quid amplius est tibi ex iis, quæ vt certa constitueras? Illud item & fortasse non absurdè considero. Vnum & vnum nõnne in duo componuntur? Et duo nõnne in vnum & vnum resoluuntur? Vtique si igitur ex ratione tua & eiusdem sunt essentiæ, quæ componuntur, & essentia differunt, quæ diuiduntur, quid aliud contingit, nisi vt eadem & eiusdem & diuersæ sint essentiæ? Tuas rideo tum prænumerationes, tum supernumerationes, quas tu magnifacis, tanquam in nominum ordine res quoque sint positæ. si enim res ita se habeat, quid prohibet, quin ratione tua, quoniam propter parem naturæ dignitatem in scriptura & prænumerantur & supernumerantur, eadem seipsis sint tum honoratiora tum ignobiliora? Idem dico de his vocibus Deus & Dominus, itemq; de præpositionibus illis, ex quo, & per quem, & in quo, quibus tu nobis artificiose Diuinitatem metiris, dum vnam patri, alteram filio, tertiam tribuis Spiritui sancto. Quid enim facias, cùm hęc, quæ tu constanter singula singulis assignas, omnia omnibus tribuentur? Quod quidem studiosis perspicuum est. Tu verò tantam ex his tum dignitatis, tum naturæ introducis inæqualitatem. Et hæc hominibus non omnino dementibus satis esse poterant.

Ex eadem oratione.

SI autem propterea quòd non tam apertè scriptura Deum vocat Spiritum sanctum, nec sepe nominatim, vt tum patrem, tum filium, iccircò in hac maledicta, & in hoc insigne linguæ vitium, atque impietatem incidisti, nos te hoc morbo liberabimus, pauca de rebus & nominibus, præsertim quemadmodum illis vtatur scriptura, differentes. Res partim non sunt, & dicuntur; partim sunt, & non dicuntur: partim nec sunt, nec dicuntur. partim habent vtrunque, vt & sint, & dicantur. Hæc si testimoniis tibi vis comprobari, paratus sum. Deus in scriptura dormit, & vigilat, & irascitur, & ambulat, & sedem habet Cherubim. Cùm tamen nec perturbationibus sit obnoxius, nec corpus habeat Deus. Hoc igitur, quod non est, ei tribuitur. Nam quę nostra sunt, vt capere poteramus, in eum contulimus. Dormire enim ipsum dicimus, dum quiescit à nobis, & nostra quodammodo negligit, propter causas, quas ipse nouit. Id enim nobis est dormire securum esse, & nihil agere. Contra verò cùm statim benefacit, vigilare: somni nanque solutio, vigilia est, tanquam auersionis inspectio. Iratum verò facimus, dum punit: sic enim nos ex ira ad puniendum mouemur. Quod autem nunc hic, nunc illic agit, eum dicimus ambulare. Ambulatio.n. est ex vno in alium locum transgressio. Sedet autem, & in solio manet, dum in sanctis virtutibus requiescit, & tanquam inhabitat. Et hoc etiam nostrum est. Deus enim in nullo æque, vt in sanctis acquiescit. Volatus, celeritatem eius in mouendo significat, Facies prouidentiam illius declarat. manus, dantem & appendentem indicat. Et reliquę Dei virtutes, actionesq; rebus aliis corporeis describunt. At tu vicissim vnde ingenitum, & principio carens sumpsisti, quæ sunt arces tuæ? aut nos immortale? Ostende nobis nominatim. Num quoniam scripta non sunt, ea repudiabimus, vt ex iis, quæ tibi sumpsisti, tanq̃ propriis telis confodiaris, sublato nominum propugnaculo, in quo tibi perfugium constitueras? an perspicuum est, hæc, licet ipsa non dicantur, tñ ex aliis colligi? E quibus? Ego sum primus. & ego posthæc. Et ante me nõ est alius Deus. Et post me nõ erit. Totum enim quod est, meum est, neq; cœpit, neque desinet. Hæc tu cùm sumpsisses, nempe nihil ante ipsum esse, neque antiquiorem habere causam, principio carens, & ingenitum appellasti. Illud autem, quod nunquã sit desiturum immortale, & expers interitus dixisti. Ac primæ quidem coniugationes sunt eiusmodi. Quę autem nec sunt, nec dicuntur? Malum esse Deum, orbem esse quadrangulum, præteritum instare, hominem non esse compositum. Quem enim adeo stupidum cognouisti, qui hæc vel cogitare, vel pronuntiare auderet? Reliquum est, vt quę & sint, & dicantur, ostẽdamus. Deus, homo, Angelus, iudicium, Vanitas est, talia argumenta consectari, & fides euertitur, & mysterium euacuatur. Cum igitur tanta sit in nominibus ac rebus differentia, cur tu literę tantopere addictus es, & Iudaicæ studiosus sapientiæ omissis rebus syllabas aucuparis? Iam si tu bis quinque dixeris, aut bis septem, ego autem ex verbis tuis decem colligam, aut quatuordecim, aut ex animali ratione prædito mortaliq; hominem conficiam, delirare videbor tibi. Quid ita, cum tua dicam? Neque enim dicentis rationes & verba sunt potius, quàm illius, qui cogat ita dicere. Quemadmodum igitur hic non tam ea, quæ dicuntur, quàm quæ intelli-

guntur considero, ita si quid aliud eorum, quæ non dicuntur, aut quæ haud ita planè ex scriptura intelliguntur, inuenirem, propterea non auderem te nominum calumniatorem veritus enuntiare.

Ex eadem oratione.

Vetus testamentum patrem aperte, filium obscurius prædicauit. Nouum aūt cùm filium manifestè ostenderit, Spiritus Diuinitatem subindicauit. At nunc spiritus nobiscum versans clariorem sui ipsius demonstrationem præbet. Neq;.n.tutum erat, cùm patris Diuinitas nōdum recepta esset filium apertè prædicari. Neq; Spiritus sancti onus, vt audacius etiam aliquid dicam, imponi, Diuinitate filij nondum approbata. Ne tanq̃ cibo grauius, q̃ ferre possent onerati, aut imbecillam oculorum aciem solis admouentes splendori, illud etiam, quod haberent virtutis, in periculum adducerent. Sed paulatim per accessiones, & gradus, vt ait Dauid, & ex gloria in gloriam progredientes, & proficientes splendidam Trinitatis lucē illustriores admitterent. Hanc ob causam, vt arbitror, & ad discipulos per patres accedit sese pro suscipientium facultate dimetiens in Euangelij principio, post mortem, post ascēsionem, dum virtutes operatur, dum insufflatur, dum in linguis igneis apparet, & à Iesu paulatim declarat, vt ipse quoque, si diligentius attenderis, intelliges. Rogabo, inquit, patrem, & alium paracletum mittet vobis, spiritum veritatis, ne aliquis Dei aduersarius esse, aut ab aliqua alia potestate verba facere videretur. Deinde mittet quidem sed in nomine meo. Rogabo omittens, illud mittet seruauit. Tum, mittam, inquit, vt dignitatem suam ostēderet. Mox ait, veniet, quóquidem verbo ipsius spiritus potestas indicatur. Cernis gradatim nobis illucentes splēdores? & ordinem Theologiæ? quem nos item expedit obseruare, vt neque statim cunctam patefaciamus, neque perpetuo cælemus, illud enim imperiti, hoc impij est, illud alienos terrere potest, hoc nostros etiam alienare. His quę dicta sunt adiiciam, quod aliis etiam fortasse in mentem venit, ego autem cogitationis meæ fructum existimo. Habebat seruator quædā, quæ à discipulis, licet multis essent doctrinis imbuti, dicebat non posse portari ob eas fortasse causas, quas dixi, & iccirco illa cælabat. Præterea cùm fore dixisset, vt à spiritu, cùm venisset, omnia doceremur, eorū vnum esse puto & ipsam spiritus Diuinitatem, quæ postea esset perspicua futura, cùm post seruatoris resurrectionē eius cognitio tempestiua iam esset, & percipi posset, & ꝑpter miraculum non amplius fidem superaret. Quid enim hac re maius aut ille pollicitus est, aut spiritus docuit? siquidem magnum aliquid putandum est, & Dei magnificentia dignum id, quod vnus promisit, & alter edocuit. sic ego de his sentio, & sentiam, & quicunque mihi amicus est, ita sentiet, colendum Deum patrem, Deum filium, Deum Spiritum sanctum, tres proprietates, sed Diuinitatē vnam, quæ nec gloria, nec honore, nec essentia, nec regno diuidatur, vt vir quidam diuinus paulo ante disseruit. Qui aliter sentit, quiúe tempori seruiens alias alius fit, & maximis de rebus putidè consulit, is luciferum exorientem nec videat, vt ait scriptura, nec splendoris ab illo prouenientis decus. Nam si adorandus non est, quomodo per baptismum ne diuinum reddit? sin adorandus est, cur non & colendus. Quòd si colendus, cur non et Deus? Vnum enim ex alio pendet, tanq̃ aurea quædam cathena, & salutaris, Ac per spiritum quidem nobis est regeneratio, per regenerationem autem reformatio, per reformationem verò ipsius, qui reformat cognitio dignitatis. Hæc diceret aliqs, qui nihil de spiritus Diuinitate scriptum esse concederet. Verùm iam aderit testimoniorū examen, ex quibus ij, qui non omnino crassi erunt, & ab ipso spiritu alieni, admodum celebrem spiritus Diuinitatem in scripturis intelligēt, sic autem esse ita considera. Nascitur Christus, ille præcurrit. Baptizatur, ille testimonium affert. Tentatur, ille ducit. Virtutes operatur, ille contestatur. Ascendit ad patrem, ille succedit. Quid enim eorum, quæ magna sunt, nō possit, cùm sit Deus? Aut cùm sit Deus, quo non appelletur nomine, præter id, quòd nec ingenitus, nec genitus dicitur? Oportebat enim, vt proprietates patri, filioq; permanerent, ne apud Diuinitatem, quæ rebus aliis ordinem, ornatumq; tribuit, esset confusio.

Ex eadem oratione.

Ego quidem obstupesco, dū appellationum diuitias considero, & quibus nominibus confundantur, qui spiritui aduersantur. spiritus Dei dicitur. Spiritus Christi, spiritus Domini, ipse Dominus, spiritus adoptionis, veritatis, libertatis, spiritus sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Domini. Etenim horū est omnium auctor. Qui omnia complet essentia sua omnia continet, cuius essentia replet orbem terrarum, cuius potentiam mundus non capit, qui bonus est, rectus, princeps natura, non gratia, sanctificat, non sanctificatur, metitur, sed eum nulla comprehendit mensura, se aliis communicat, sed nihil à quoque? accipit, implet non impletur, continet non continetur, hæreditate percipitur, glorificatur, connumeratur, comminatur, est digitus Dei, ignis, quemadmodum & Deus, quo significantius, vt arbitror, eiusdem essentiæ declaretur. Spiritus qui facit, qui per baptismum recreat, per resurrectionem. Spiritus, qui nouit omnia, qui docet, qui spirat, vbi, & quantum vult. Qui dirigit, qui loquitur, qui mittit, qui segregat, qui irritatur, qui tentatur, qui reuelat, qui illuminat, qui viuificat, immo verò qui ipse lux est & vita. Qui homines Dei domicilia facit, diuinosq; reddit, qui initiat, vt & baptismum præoccupet, & post baptismum requiratur. Qui facit omnia, quæ Deus. Qui in linguis igneis dispertitur. Qui munera dilargitur, facit Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores, & doctores. Intelligibilis, multiplex, sapiens, manifestus, qui nullo potest impedimento prohiberi, nullo inquinamento maculari. Quod perinde est, ac si dicas, sapientissimus, & actionibus varius, omnia illustrans & patefaciēs, sui iuris, immutabilis, omnipotens, cuncta perspiciens, per omnes spiritus intelligibiles, puros, & subtilissimos permeans, nempe Angelicos, & Propheticos, atque Apostolicos, idq; eodem tempore, & aliis alibi distributis, quo perspicuum sit, ipsum nusquam comprehendi, nec circunscribi. Qui hæc loquuntur, & docent, eumq; paracletum alium, tanquam alium Deum, appellant, qui blasphemiā in ipsum solam non remitti sciunt, qui Ananiam & Sapphiram, quòd Spiritui sancto, Deo nimirum, non autem homini, mentiti essent, tam horrendo reprehensionis & infamiæ genere confixerunt, vt mortui cōciderent, ſne tibi Spiritum sanctum, vt Deum, an vt aliud quippiam videnť prædicare? Næ tu valde rudis es, & ab ipso spiritu remotissimus, si hac de re dubitas, atque indiges præceptore. Tam multæ igitur sunt, atque ita spirantes appellationes. Qnid enim opus est verborum testimonia proferrè? Cæterùm quæ hic dicuntur humiliora, vt dari, mitti, dispertiri, donum, munus, insufflatio, promissio, intercessio, & (ne singula enumerem) si quid aliud eiusmodi est, ea ad primam causam sunt referenda, vt illud, ex quo est, ostendatur,

datur, & ne tria diuisa principia, & multiplex Deorum numerus suscipiatur, par enim impietas est, vel cum Sabellio personas confundere, vel cum Ario naturas diuidere.

Eiusdem ex oratione in Epiphaniam.

QVòd si magnitudine, & gradibus Diuinitatem metiris, & icc irco spiritum paruum existimas, quòd in columbæ specie se conspicuum præbuit, ò pusille maximis de rebus disputator, potes eadẽ ratione regnũ cœlorum etiam cõtemnere & aspernari, quoniam sinapis granulo comparatum est, & Iesu amplitudini aduersarium anteferre, quòd hic quidem mens magnus, & Leuiathan, & eorũ, quæ in aquis sunt. Rex appelletur, Ille verò agnus, & margarita, & gutta, & aliis eiusmodi nominibus paruis vocetur.

Eiusdem ex oratione in Pentecosten.

SPiritum sanctum, qui inter res collocant procreatas, contumeliosi, seruiq; sunt, & malorum pessimi. Malorum enim seruorum est, principem negligere, & in Dominum consurgere, & eum, qui liber est, sibi conseruũ facere. Qui verò Deum existimant, diuinitus afflati, menteq; splendidi sunt. Sed qui illum etiam prædicant, si bene animo constitutis, sublimes sunt, sin humilibus & abiectis, haud boni dispensatores, qui luto margaritam, & corruptis auribus tonitrui sonum, & imbecillis oculis solem, & lacte adhuc indigentibus solidum cibum. Cùm oporteret eos paulatim ad perfectiora deducere, & ad sublimiora prouehere, luci lucem largientes, & veritati conciliantes veritatem. Quamobrem & nos perfectiorem interim omittentes sermonem, non enim est tempus, ita vobiscum colloquemur. Si Spiritum sanctum neque increatum, neq; extra omne temporis spatium cõfitemini, contrario plane spiritu agimini. Cogit me Zelus, vt in dicendo paulo sim vehementior, ignoscite. Quòd si eatenus saltem sani estis, vt manifestam impietatem fugiatis, & eum extra seruitutẽ ponatis, quod sequitur cum Sancto spiritu, & nobiscum considerate. Mihi enim persuadeo, vos illius aliquantulum esse participes, iamq; vobiscum, vt cum amicis disputabo. Aut date medium inter seruitutem, & dominatum, vt ibi collocem spiritus dignitatem, aut seruitutem fugientes, nõ erit obscurum, vbi id, quod quærimus, statuatis. At syllabæ vobis molestæ sunt, & offendimini verbo, idq; fit vobis lapis offensionis, & petra scandali. Quòd & de Christo quibusdam accidit. Humanum id est, mutuo spiritaliter congrediamur, fratres potius, q̃ nos ipsos diligamus. Vim diuinitatis concedite, & vobis vocem concedemus. Naturam confitemini, aliis verbis, quæ magis obseruatis, & vos vt infirmos curabimus, quæ nobis voluptati sunt eripientes. Turpe enim, turpe, inquam, est, & à ratione vehementer alienũ, cùm animo valeatis, voculas subtilius expendere, & tanquam inuidentes aliis thesaurũ occlutare, verentes, ne linguam etiã sanctam efficiatis. Verùm turpius sit, nos vitio quod in vobis reprehendimus, laborare, & nimium in rebus paruis studium reprehendentes, in illud incumbere, & accuratius de literis, & voculis disputare. Vnius Diuinitatis Trinitatem confitemini, aut si ita vultis, vnius naturæ, & hanc vocem, Deus, vobis à spiritu dari precabimur. Nam qui primum dedit, secundum etiam daturum nõ dubito, præsertim si spiritali timore, non autem diabolica cõtentione decertetis. Planius adhuc & breuius loquar. Nec vos nobis vitio vertite vocem sublimiorem, neque enim ad altiora tendentibus est inuidendum, neque nos vobis eam, quam assequi potestis, crimini dabimus, dum per aliam viam eodem perueniatis. Neque enim vincere volumus, sed nobis fratres conciliare, quorum secessione perturbamur. Hæc vobis, in quibus vitale aliquid inuenimus, qui, recte de filio sentitis, quorum vitam admirantes, non laudamus orationem. Qui habetis ea quæ spiritus sunt, ipsum etiam spiritum assumite, vt non modo certetis, verum etiam legitimè. certetis, ex quo vobis vitæ merces detur hæc corona, vt perfecte Spiritum sanctum confiteamini, & nobiscum, atque adeò ante nos prædicetis id, quod dignum est.

Ex eadem oratione.

SEmper & fuit, & est, & erit Spiritus sanctus, quippe qui nec initium habuerit, nec finem sit habiturus, sed cum patre & filio semper & coniunctus sit, & connumeretur: Neque enim decuit, vt vnquam aut filius patri, aut filio deesset Spiritus sanctus. Nam maxima in re Diuinitas fuisset in gloria, si tanquam mutato consilio ad absolutam perfectionem peruenisset. Semper igitur fuit, qui comprehendit, non comprehenditur, perficit, & non perficitur, sanctificat, non sanctificatur, Deos facit, non Deus efficitur, ipse sibi semper idem, & quibus cõiunctus est, Nec oculis cernitur, nec tempore circunscribitur, nec loco coërcetur, nec immutatur, nec qualitatem, nec quantitatem, nec formam habet, nec tangi potest. Ipse per se mouetur, semper mouetur, sui iuris est, suæ potestatis, omnipotens. Licet ad primam causam vt Vnigeniti, sic & Spiritus sancti omnia referantur. vita, vitamq; prebens, lux, & lucẽ elargiens. Ipse bonus & bonitatis fons, spiritus rectus, principalis, Dominus, qui mittit, qui segregat, qui sibi ipse homines templa facit, qui ducit, & agit, vti vult. Qui gratiarum munera dilargitur, spiritus adoptionis, veritatis, sapientiæ, intellectus, scientiæ, pietatis, consilij, fortitudinis, timoris, quæ numerata sunt, Per quẽ pater agnoscitur, & filius glorificatur, & ab his solis ipse cognoscitur. Vnus ordo, vnus cultus, vna adoratio, virtus, perfectio, sanctitas. Quid multa? Quæcunque habet pater filij sunt, præter id, quod non est genitus, Quęcunque filius habet, spiritus sunt, pęrter id, quòd non est genitus. Et hæc essentiam non dirimunt, vt ego sentio, sed circa essentiam considerantur.

Ex eadem oratione.

HIc Spiritus sanctus primũ quidem egit in mentibus & virtutibus illis Angelicis, atq; cœlestibus, & quæ ad ipsum Deum proximè accedunt, & sunt circa Deum. Neque enim aliunde habẽt, vt perfectæ sint, vt splẽdeant, vt difficile moueãtur, vel vt non moueantur ad malum. Egit deinde in patribus & prophetis. Quorum alij quidem Dei quandam speciem comprehenderunt, alij plane cognouerunt, alij futura quoque non aliter ac si præsentia essent, prospexerunt, spiritu ipso mentem ipsorum informante. Talis enim est virtus Spiritus sancti. Postea egit in Christi discipulis (omitto enim Christum, cui aderat, non tanquam in illo agens, sed tanquam pari honore cum ipso testimonium reddens.) Et in his quidem tripliciter, quatenus capere poterant, tribusq; temporibus. Antequam gloriosam crucis mortem obiret, post gloriosam resurrectionem, post ascensum eius, aut reditum, aut quocunque alio nomine id appellare placet, in cœlos. Hæc autem patent, tum ex morborum spirituumq; depulsione, quæ vtique nõ sine spiritu perficiebantur tum ex insufflatione, quam post mortis dispositionem peregit, quæ quidem insufflatio pla-

ne diuinior fuit, tum ex ignearum linguarum partitione, quam in præſentia celebramus. Ac primùm quidem obſcurius factum eſt, ſecundum expreſsius, tertium perfectius. Cũ iam non efficacia, vt prius, ſed, vt dixerit aliquis, per eſſentiam, adſit, & nobiſcum verſetur. Decebat enim, vt dum corpore nobiſcum filius verſabatur ipſe quoque ſpecie corporea nobis appareret. Chriſto autem ad ſe reuerſo, ille ad nos deſcenderet, veniens quidem tanquam Dominus, miſſus autem, vt Deo non aduerſarius. Hæc.n. verba concordiam ſignificãt, non naturam ſeparant. Iccircò autem poſt Chriſtum, ne vobis deeſſet conſolator. Alius autem dictus eſt, vt tu parem honoris dignitatem intelligeres, alius enim, alius nimirũ, qualis ego declaratur. Hoc autem non contemptum ſed imperij coniunctionem ſignificat. Alium enim non de alienis, ſed de illis, qui ſunt eiuſdem naturæ dici non ignoramus.

Eiuſdem ex altera ad Clidonium Epiſtola, quæ præ longitudine inſtar eſt libri.

NOs fidei, quæ in concilio Nicæno à ſanctis patribus illic ad euertendam hæreſim Arianam congregatis declarata eſt nihil vnquam antepoſuimus, nec anteponere poſſumus. Sed ex illa ſumus fide, atque erimus. Deoq; auxiliante quod ab illis haud ita abſolute de Spiritu ſancto, propterea quòd hæc quæſtio tunc nõ tractabatur, dictum eſt, explicabimus. Cùm enim decreuiſſent, oporte re credere, vnius eſſe Diuinitatis patrem, & filium & Spiritum ſanctum Deum vtique & Spiritum ſanctum agnoſcebant.

Item aduerſum ſpiritus oppugnatores. Gregorii Nyſſe Pontificis ex oratione ad Simplicium.

QVod autem de Domino, idem de Spiritu ſancto contumelioſi homines dicunt, nempe ipſum quoque creatum eſſe. Eccleſia verò vt de filio, ſic etiã de Spiritu ſancto pariter credit, creatum non eſſe. Et res omnes creatas ex ſupremi boni communione fieri bonas. Spiritum ſanctum autem nemine, à quo bonus fiat, indigere. Natura enim eſſe bonum, vt ſcriptura teſtatur. Res creatas à Spiritu ſancto dirigi, ipſum enim directionẽ largiri. Res procreatas duci, ſpiritum eſſe ductorem. Res creatas conſolationem accipere, ſpiritum eſſe conſolatorem. Res creatas eſſe ſeruas, ſpiritum eas in libertatem vindicare. Res creatas ſapientes fieri, ſpiritum ſapientiæ gratiam elargiri. Res creatas munerũ participes effici, ſpiritũ munera tribuere. Hæc enim omnia agit vnus & idem ſpiritus diuidens ſigillatim vnicuique, vti vult. Innumerabilia poſſunt alia ex ſcripturis teſtimonia depromi, quibus perſpicuum fit, omnia ſublimia diuinaq; nomina, quæ patri, filioq; tribuuntur, ad Spiritum ſanctum etiam pertinere. Cuiuſmodi ſunt, immortalitas, beatitudo, bonitas, ſapientia, potentia, iuſtitia, ſanctitas. Quicquid denique præclarum de patre, & filio dicitur, id item dicitur de Spiritu ſancto, exceptis iis, quibus verè & ſine confuſione diſtinguũtur ipſæ perſonæ. Exempli gratia nec pater dicitur, nec filius. Reliqua verò nomina, quibus pater, filiuſq; vocantur, à ſcriptura in Spiritum ſanctum etiam conferuntur. Ex his ergo colligimus, Spiritum ſanctum rebus creatis eſſe præſtantiorem. Quapropter vbi pater, & filius intelligitur, illic etiam intelligitur Spiritus ſanctus. Porrò rebus creatis præſtantior eſt pater, & filius, ex quo ſequitur, vt præſtantior item ſit Spiritus ſanctus. Itaq; qui rebus creatis Spiritũ ſanctum anteponit, is rectam, & ſanam doctrinam complexus eſt. Vnam enim naturam increatam in patre, & filio, & Spiritu ſancto confitebitur. Verùm, quoniam, vt probent, Spiritum ſanctum eſſe creatum, afferunt verba Prophetæ, dicentis, Qui firmat tonitruum, & creat ſpiritum, & enuntiat ad homines Chriſtum ſuum, ſciendum eſt, alium à Propheta dici ſpiritum in tonitruo firmando creari, nõ autem Spiritum ſanctum. Myſtica enim ratione per tonitruum intelligitur Euangelium. In quibus igitur firma gignitur & immobilis in Euangelium fides, ij per fidem ex eo, quòd caro ſunt, ſpiritus fiunt. Nam, vt Dominus ait, quod natum eſt ex carne, caro eſt: Et quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt. Deus igitur eſt, qui vocem euangelicam credentibus confirmans, eum, qui credit, ſpiritum efficit. Qui autem ex ſpiritu natus eſt, & per eiuſmodi vocem effectus eſt ſpiritus, Chriſtum enuntiat quoniã, vt inquit Apoſtolus, nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto.

Eiuſdem ex oratione de filii & ſpiritus Diuinitate.

SPiritus oppugnatores eum in ſcriptura Deum appellatum negant, aiuntq; Diuinitatis vocabulo naturam ſignificari. Quod quidem cum ſpiritui tributum nõ ſit, colligunt eiuſdem non eſſe naturæ cum patre & filio Spiritum ſanctum. Sed ſtulti maledicti ſui ſerpentem accuſatorem accipiant. Oſtendit enim Diuinitatis vocabulo non naturam diuinam, ſed ſpectandi vim ſignificari, cùm primis parentibus cõſulens, vt arborem vetitam attingerent, aperientur, inquit, oculi veſtri, & eritis ſicut Dij. Diuinitatis ergo vocabulum nõ naturam ſed videndi indicat facultatem. Negabunt igitur videre Spiritum ſanctum, & hac de re decertabũt? Si igĩt videt re ipſa nominatus eſt Deus. Quòd ſi id quærunt ex ſcriptura intelligere, quis Ananiæ ſacrilegium vidit? quod in occulto cum cõiuge ſolus commiſit? Quis illud Petro denuntiauit, nónne Spiritus ſanctus? Qui & in Petro erat, & Ananiæ aderat? Iccirco Petrus ad quid, inquit, impleuit Satanas cor tuũ vt mentireris Spiritui ſancto? Nõ es mentitus hominibus, ſed Deo. Quẽ admodum igitur, qui ratione prẹditum contumelia afficit, hominem afficit contumelia, & non in duos illam confert, ad vnam enim perſonam duobus nominibus definitam id refertur, ſic & Petrus cùm & ſpiritui & Deo diceret Ananiam eſſe mentitum, vnum, non duos piè ſentientibus demonſtrauit.

Eiuſdem ex oratione tertia de precatione.

ADueniat, Matthẹus inquit, regnum tuum. Quorum verborum loco, Adueniat, inquit Lucas, Spiritus ſanctus tuus in nos, & nos expurget. Quid ad hæc reſpondebunt, qui ore impudenti audent Spiritum ſanctũ impugnare? Qua mente regni ſublimitatem in ſeruitutis transferent humilitatem? Regnum eſt, vt Lucas aperte clamat, Spiritus ſanctus, quod quidem regnum omnibus imperat, non autem imperio ſubiectum eſt. Quòd ſi ſpiritus imperat, quomodo illum dementes iſti cum natura ſeruiente connumerant?

Ex eadem oratione.

ADuenitat, inquit Lucas, Spiritus ſanctus tuus in nos, & nos emundet. Quòd ſi ſolius eſt Dei peccata dimittere, id quod ipſi quoque Iudæi increduli dixerunt, qui teſtimonio ſuo tribuit Spiritui ſancto remittendi peccata facultatem, is eidem etiam Diuinitatem at-

tribuit. Atqui eandem facultatem Apostolus tribuit Vnigenito, Purgationem, inquiens, peccatorum nostrorum faciens sedit in dextera magnitudinis Dei. Vnum igitur est opus vtriusque, tum spiritus peccata expurgantis, tū Christi purgationem facientis. Quorum autem vna est actio, eorum & vis eadem omnino. Omnis enim actio facultatis perfectio est. Quamobrem si actio, & vis est eadem, quomodo naturæ diuersitas intelligi potest in illis, in quibus nullum facultatis, actionisq; discrimen deprehendimus?

Ex eadem oratione.

SPiritus sanctus & ex Deo est, & Christi spiritus est, atque dicitur. Filius autem cùm ex Deo sit, non spiritus etiam est, neque dicitur. Hæc enim ordinis series non sequitur, vt ex æquo per resolutionem sibi vicissim ratio respondeat, & quemadmodum Christi spiritum dicimus, sic etiam ipsius spiritus Christum appellemus.

Eiusdem ex oratione de Baptismo.

BAptizantes, inquit, eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Cur in nomine patris? quia rerum est omnium principium. Cur in nomine filij? quia est rerum omnium procreatarum effector? Cur in nomine Spiritus sancti? quia res perficit vniuersas. Quid igitur tu, cùm vnā ab omnibus, eandemq; gratiam accipias, has tres personas in naturas diuersas diuidis, tresq; inter se dissimiles Deos facis?

Ex eadem oratione.

SPiritus sanctus per Dauidem, Hodie, inquit, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, secundum diē tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri. Hæc D. Apostolus commemorans, sic dicit, inquit, Spiritus sanctus. Atque ita verba hæc recitat, tribuens ea Spiritui sancto. Quis igitur est ille, quem tentauerunt patres ipsorum in deserto, quem irritauerunt? Accipe ab ipso Propheta dicente: Deum altissimum tentauerunt. At qui Apostolus cum Spiritus sancti personam ante nominasset, illi verba hæc tribuit, Quapropter, inquiens, sicut dicit Spiritus sanctus. Secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me Patres vestri. Quare quem Deum altissimum appellauit Propheta, hunc D. Apostolus Spiritum sanctum esse dicit. Itaque si Spiritus sanctus, Tentauerunt, inquit, me patres vestri in deserto, Propheta verò eum, qui tentatus est in deserto, Deum altissimum esse testatur, obstruuntur ora spiritum oppugnantium, & loquentium iniqua, cùm aperte tum Apostolus, tum Propheta, ex iis, quæ dicta sunt, spiritus prædicent Diuinitatem.

Eiusdem ex oratione ad Eustathium scripta in eos, qui Spiritum sanctum impugnant.

CVm Apostolis de baptismo Dominus mandata daret, patri & filio coniunxit Spiritum sanctū. Proinde qui in ea facultate, qua vita tribuitur, & per quam natura nostra ex corrupta redditur incorrupta, coniungitur, in omnibus habebit cū patre & filio cōiunctionem.

Ex eadem oratione.

SI diuersas inter se viderimus actiones, quæ à patre & filio, & Spiritu sancto proficiscuntur, diuersas itē agentium naturas ex actionū diuersitate coniiciamus. Neque enim fieri potest, vt quæ naturæ differunt ratione, actionum genere copulentur. Sin vnam patris, & filij & Spiritus sancti actionem esse cognouerimus, necessario ex eadem actionum vi naturæ coniunctionem colligemus. Sanctos efficit consolatur, vitam præbet, & alia eiusdem generis sine vllo discrimine præstat tum pater, tum filius, tum Spiritus sanctus. Itaq; quorum vna atque eadem est actio, eorū item vna est eademq; natura.

Ex eadem oratione.

SIis, qui vngit, est pater, & ille, qui vngitur, filius, & ipsa vnctio Spiritus sanctus, Regni porro signum & nota est vnctio, ne à regia quidem actione Spiritus seiunctus est.

Item aduersum spiritus oppugnatores Sancti Cyrilli dictorum scripturæ diuersis ex libris collectio, ex quibus Spiritus sanctus Deus esse demonstratur. Ex Thesauro autem collectio hæc deprompta est, sed sparsim, & per epilogum.

QVi Domino coniungitur, vnus spiritus est. Ecce perspicue hic spiritum dicit Dominum. Planius autem id facit, dum loquitur de Iudæis, ad hunc vsque diē, inquiens, idem velamen in lectione veteris testamenti manet, non reuelatum, quoniam in Christo destruitur. Sed ad hunc vsque diem quando legitur Moses, velamen super cor ipsorum positum est. Vbi verò se conuerterint ad Dominum, velamen auferetur. Dominus autem spiritus est. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Et rursum, nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini cōtemplantes secundum eandem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu.

Ex eadem.

PAulus de se ipso scribens in principio Epistolę, Paulus, inquit, Apostolus Iesu Christi. Apertè vides hic Apostoli nomen, & munus à Christo, & per filium se illud affirmat accipere. In actibus autem sanctorum Apostolorum ita scriptū est, sacrificantibus illis Domino & ieiunantibus dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod aduocaui eos. Si igitur cùm à spiritu vocatus sit, à Christo se vocatum dicit, perspicue demonstrat, non alienum ab essentia filij Spiritum sanctum.

Ex eadem.

QVis enim hominum nouit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Sic & quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei. Vobis enim reuelauit Deus per spiritum suum. spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. si spiritus hominis nemine patefaciente nouit, quæ sunt in homine, cū naturalis sit, & proprius ipsius. Et spiritus Dei sic omnia scrutatur, & nouit etiam profunda Dei, in Deo nimirum & patre est spiritus sanctus. Et naturæ diuinæ est, quemadmodum hominis spiritus est naturæ humanæ.

Ex eadem.

EX Deo Spiritum sanctum esse dicimus, atque ita credimus. At isti qui ad calumniandum tantummodo sunt paratissimi, etiā alia omnia ex Deo esse dicunt,

cùm Paulus scribat: Vnus Deus pater, ex quo omnia, Atq; ita probare se putant, ex patris essentia non esse Spiritum sanctum, quòd illa vox, ex quo, ad res etiam procreatas referatur. Quæ quidem vox cùm de Spiritu sancto dicitur, eum ex ipsius essentia esse declarat. Verùm sic istis possumus respondere, De filio item propriè nomen hoc filius dici, quod tñ impropriè de hoībus etiam dicatur. Nec si cōcessu & gr̄a aliquibus tribuatur, propterea tollitur, quominus sit ipsius naturale. Sic etiā illud, Ex quo, licet rebus quoq; procreatis ascribatur, iccircò tamen sublimis & diuina spiritus dignitas non aufertur, nec ea re fit, quominus sit eiusdem essentię. Sed cùm ipsi spiritui propriè congruat illud, ex quo, quoniam est ex patris essentia, refertur tamē etiam ad res procreatas, quoniam cùm non essent, ex Deo habuerunt, vt sint, per filium vtique.

Ex eadem.

RVrsum scribit ad Corinthios Paulus, Nos, inquiens' sumus templum Dei viuentis, quemadmodū dixit Deus, Quoniā inhabitabo in ipsis, & inambulabo, & erunt mihi in populum, & ego ero ipsis in Deum. Et rursum post hæc, Nolite contristare Spiritum sanctum Dei inhabitantem in vobis. Et rursum, si quis templū Dei corrumpit, corrumpet hunc Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Si igitur spiritum accipientes, & templum, & domicilium Dei declaramur, quippe qui Deū habemus in nobis ipsis inhabitantem & inambulantem, vt scriptum est, quomodo non est Deus Spiritus sanctus, etiā si nolint, qui contra sentiunt.

Ex Epistola ad Romanos.

SCribit quibusdam Paulus rectè admodum sentiens & loquens, Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Si igitur Spiritus sanctus eos Dei filios esse demonstrat, in quibus inhabitat, & diuinæ naturæ participes facit, adeò, vt qui propterea coniuncti sunt Deo super omnes existenti, cum fiducia clament Abba, pater, nō inter seruos, neque inter res procreatas collocandus est, sed illi potius diuinæ essentiæ dignitas tribuenda, cùm & ex ipsa sit, & ab ipsa sanctis per filium præbeatur, atque ita Deos faciat, & filios Dei illos, in quibus est.

Ex actibus Apostolorum.

PRinceps Apostolorum, cui diuinum mysterium, vt seruator ait, non caro, & sanguis reuelauit, sed pater, qui in cœlis est, Ananiam afferentē agri pretium, ex quo partem sibi reseruarat, sic alloquitur, Anania, cur impleuit Satanas cor tuum, vt mentireris Spiritui sancto, & auferres ex pretio agri? Ac deinde subiicit, Nō es mentitus hominibus sed Deo. Itaque si Spiritui sancto mentiens, Deo mentitur, Deus nimirū est Spiritus sanctus, & ī Deo naturaliter.

Ex eodem libro.

QVæ ex seruatoris nostri aduentu promulgata sunt bona, ea quodam in loco de ouibus suis loquens Deus ita commemorat, suscitabo illis pastores s̄m cor meum, & pascēt eas, pascētes cum scīa. Paulus aūt veritatis præco seniores Ephesiorum alloquens, attendite, inquit, vobis ipsis, & vniuerso gregi, ī quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos. Qñ igitur quæ se facturū pollicitus est Deus, cum potestate spiritus perficit, & pastores constituit, vt in Prophetis promissum est, ab essentia diuina non est alienus, sed tanquā vis naturalis, & ex essentia constans, atque subsistens, & ex ipsa proueniens, & in ipsa manens omnia facit, quæ Dei sunt.

Eodem ex libro.

PAulus ad Athenienses de religione verba faciens, quoniam in ipso, inquit viuimus, & mouemur, & sumus. At Dominus noster Iesus Christus hanc vim, quæ nobis a Deo est, ascribit Spiritui sancto, spiritus, inquiens, est, qui viuificat. Deus ergo spiritus ille, in quo viuimus, mouemur, & sumus, vt Paulus dicit, & seruator noster testatur.

Ex Psalmis.

CAnens quodam loco beatus Dauid, verbaq; sua ad Deū dirigens, Quo, inquit, ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Cùm igitur spiritum & faciem patris nominet, tanquam exprimentem per diuinam actionem essentiam, ex qua est, nominet etiam manum propter rerum omnium effectricem, quæ in ipso est, potestatem, quomodo Deus non est, & patri per essentiam coniunctus? Cùm & ex ipso, & in ipso sit, quemadmodum & manus ab humano corpore non est seiuncta, sed in ipso potius vincta, & naturaliter inhæret.

Ex Epistola ad Corinthios.

SCribit Paulus ad hunc modum, Notum facio vobis, q̄p nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesum. Et nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Quibus ex verbis facilè constat, eum, qui particeps sit spiritus sancti, nosse Dominum Iesum, qui autem Sancti spiritus expers sit, eum ignorare. Qūo igitur, qui spiritum assecutus est, nouit Dominum esse Iesum? Quemadmodum qui mel degustarunt, propter qualitatem ipsius, cognoscunt mel esse dulce, sic etiam qui spiritus participes facti sunt. Ex essentia igitur filij spiritus qualitas quædem, vt ita dicam, existit Dei, qui omnibus dominatur. Quòd si ita est, Deus est, non autem factus, vt aliter sentientibus videtur.

Ex eadem.

DIuinorum munerum distributiones Beatus Paulus Sancti spiritus ascribens actioni, Alij, inquit, per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eūdem spiritum. Alij fides in eodem spiritu. Alij gratia sanitatum in vno spiritu. Alij genera linguarum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens sigillatim vnicuiq;, prout vult. Idem Apostolus cùm sciret spiritum esse Deum, in eadem Epistola, & alios quidem, inquit, Deus in Ecclesia constituit, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, postea gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarū. Quid igitur dubitant, an spiritus sit Deus per essentiam, qui solum ad calumniandum sunt, paratissimi, cùm Paulus apertissimè dicat, spiritum esse qui gratiarum genera diuidat, quemadmodum vult, Deinde verò subiiciat Deum esse, qui in Ecclesiis hæc ipsa distribuat? Nónne autem absurdum est, eos, qui rectè uolunt sentire, non Pauli verbis, sed stultis aliorum dictis attendere? Deus ergo spiritus est, licet amentes homines nolint.

Ex

Ex eadem.

SCribit rursus idem Apostolus, si nos, inquiens, vobis spiritualia seminauimus magnũ est, Si carnalia vestra metamus. spiritualia nimirũ appellat diuina, sicut carnalia, quæ ad carnẽ pertinent. Quamobrem si diuina, hoc est, Dei mysteria rectè appellauit spiritualia, Deus profecto spiritus est, cuius mysteria vocauit spritualia.

Ex Ioannis Euangelio.

QVodam loco de seipso loquens in Euangeliis seruator ego, inquit, sum veritas. Beatus autem Ioannes ex patris essentia, atque filij, spiritum esse demonstrans, spiritum, inquit, veritatis, qui à patre procedit. In Epistola autem, spiritus, inquit, est veritas. Quomodo igitur, cùm ex patre procedat, & spiritus veritatis sit propter similitudinem & eiusdem essentiæ naturam, adeò, vt ipse quoque veritas appelletur, factus, & creatus sit? Absurdum id quidem est. Itaque Deus est spiritus, siquidem veritas est, & à patre procedit.

Ex eodem.

BEatus Ioannes de verbo Dei loquens ipsum esse dixit lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. At sapientissimus Paulus Spiritum sanctum splendere in cordibus nostris affirmauit ad illustrationem glorię Dei in persona Christi. Proinde cum verbum sit lux vera, splendet autem Spiritus sanctus, necessariò fatendum est, essentiæ verbi esse etiam Spiritum sanctum, per quem illuminat omnem hominẽ, Cùm Spiritus sancti splendorem tanquam essentiæ propriæ radium quendam emittat.

Obiectio hæretici.

SI sanctorum, inquiũt, animos Spiritu sancto Deum vngere affirmatis, vnguenti locum & ordinem spiritus obtinebit. Porrò qui fieri potest, vt eiusdem essentiæ sit vnguentum, & ille, qui vngit, cùm consuetudo nostra id non patiatur? ò omni stultitia ebrij, & omnium turpissima pleni temeritate. Nónne parumper resipiscetis, & corporeas cogitationes omittentes ad sublimem Theologiæ magnitudinem cõscendetis, & quæ de natura diuina dicta sunt, licet humanis verbis enuntientur, nostraq; consuetudinis rationẽ, quòd vix ita possint ab audientibus percipi, non superent, ratione tamen Deo conueniẽte intelligetis? Verùm stultitiæ vestræ congruens aliquid respondeamus. Si per vos vnguenti locum atque ordinem spiritus obtinebit, quoniam vnguentum ab eo, qui vngit, diuersam habere naturam necesse est, num etiam quoniam vnguẽtum ab artificibus ex multis conficitur, necesse erit vobis & Spiritum sanctum multis ex partibus esse compositum? Præterea cùm vnguentum rationis sit expers, rationis expers sit etiam Spirirus sanctus. Quod hac in re maledictum est, in eorum capita omnino decurret. Nos autem cõtrà sic obiiciemus, si diuersa spiritus essentia est à Deo, q̃ sanctos vngit ipso spiritu, cur spiritu in nobis habitante Christus habitare demonstratur, qui non est essentia diuersus à patre? Quod quidem Paulus intelligens, vt det, inquit, nobis secũdum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum suum, in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Cùm igitur Christus per spiritum habitet in homine interiore, perspicuum est, ipsum essentia nõ differre ab eo, per quem in sanctis videtur habitare.

Ex Ioannis Euangelio.

DOminus noster Iesus Christus diuinæ naturæ honorem seruans, ei, qui verbũ aduersus filium hominis dixerit, veniam affirmat datum iri. At qui in Spiritum sanctum maledicta coniecerit, ei neque in hoc seculo ignotum iri, neque in futuro. Quòd si creatus est Spiritus sanctus, cur maledicta in ipsum coniicienti tantum proponitur supplicium, quantum Deo maledicentibus est definitum? constat igitur Deum ex Deo esse Spiritum sanctũ, qui vt Deus honoratur in scripturis diuinis, atque ita natura est Deus.

Ex eodem.

SI, quẽadmodum seruator ait, qui natus est ex spiritu, spiritus est, huiusmodi autem nõ ex sanguinibus, neq; ex voluntate viri, aut fœminæ, sed ex voluntate Dei natus est, Deus vtiq; natura est Spiritus sanctus, q̃ filios regenerat, vt cum Deo coniungantur, quod quidem præstat, dum in illis habitat, naturæq; suæ participes facit.

Si spiritus eos, in quibus est, Deos reddit, diuinæq; naturæ participes facit, ex diuina nimirum essentia est naturaliter, & rebus procreatis per filium datus, eas tanq̃ sibi ipsi similes efficit. Quemadmodum proprium lucis opus est illustrare, nec posset quicquam illustrare, nisi esset lux, ita sancti spiritus opus est diuinos efficere, à quibus ipse suscipitur. nec eos, qui ipsum habent, diuinæ naturæ participes demonstraret, nisi diuinæ ipse esset naturæ.

Obiectio hæretici.

SPiritum, inquiunt, sanctificare, vos quoque confitebimini. Verùm id facit non per se, quòd natura sit eiusmodi, sed vt instrumentum ex ferro, aliáue cõfectum materia ab igne sumpta caliditate ignis munere fungitur, sic ipse accepta à Deo sanctitate rebus etiam procreatis impertitur. Quod quidam illius, qui mentiri non potest, testimonio comprobatur, nempe Seruatoris nostri, qui de meo, inquit, accipiet. Non de meo, inquit, accipiet, & sanctificabit vos. Quod tamen si dictum esset, nihil inde offensionis auditores perciperent. Sed de meo, seruator inquit, accipiet, & annuntiabit vobis. Quippe qui nihil à se loquetur, sed quæ audierit, loquetur. Quoniam peracto in carne humani generis redimendi consilio ad Patrem erat ascensurus, & discipulis suis se Paracletum esse missurum promiserat, ne quis Spiritum sanctum aliquid præter sententiam ipsius instituturum suspicaretur, aperte demonstrat, eum, cùm spiritus suus sit, ex se item verba nuntiaturum. A se, inquiens, non loquetur, sed quæcunque audiet, loquetur q̃m de meo accipiet. Non aliter, q̃ si mel de naturali sua dulcedine loquens, diceret, nihil à seipsa gustantibus iniiciet, sed de meo accipiet: cùm naturaliter qualitas ex essentiis, vt ita dicam, in ea, quæ ex ipsis sunt, progrediatur, vt dulcedo, quẽadmodum diximus, ex melle, aut ex igne caliditas, aut ex aqua frigiditas. Nõ igitur spiritui sanctitas impertitur, sed illi est naturalis & per essentiam.

Cui sanctitas cõmunicatur, eam tanquam vas suscipit, cùm antea in propria natura consisteret, cuiusmodi sunt tum homo, tum Angelus, aut si qua sit alia natura ratione prædita. Dicant igitur nobis, qui Spiritum ita sanctum audent affirmare, vt ei sanctitas à patre & filio fuerit imperti ta, quid'nam ipse per se priuatim sit. At nihil aliud ipsum esse ex diuinis scripturis didicimus. Non igitur ex communione, neque ex compositione sanctus est. Sed est essentia, naturaq; sanctificans, & Dei, ac patris, vt ita dicam, qualitatis, quemadmodum, dulcedo mellis, & floris suauitas.

Quod ex communione cuipiam accedit, vt donum, au ferri etiam potest. Ea nãque sola, quæ per essentiam inhærent, nequeũt separari. Quamobrem, si accesione, & accidente, dicunt inesse spiritui sanctitatem, cur non eadem ratione & sine sanctitate spiritum affirmant esse posse? At impium id sit. Non igitur ex communione sanctus est spiritus, sed vt ex Deo naturaliter.

Ex Epistola ad Romanos.

SCimus, inquit, legem esse spiritualem. Deinde parũper progressus, subiicit, consentio legi Dei secundum interiorem hominem. Et rursum, Lex.n. spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Ecce, cùm legem appellasset spiritualem, hoc est, per spiritum, statim ipsam & Dei legem appellat. Apertius aũt ex iis, quę sequuntur, Deum esse spiritum ostendit, lex inquiens, spiritus vitæ, vt Spiritum sanctum non solum legislatorem, verũetiam vitæ spiritũ esse constet. quę porrò est vita? Christus nimirum, qui dicit, ego sum veritas, & vita.

Ex Epistola ad Corinthios.

SEd abluti estis, inquit, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Itaq; si soli Deo licere peccata dimittere concedemus, Dimittit autem & iustificat ipse Spiritus, sanctos declarans eos, in quibus est, Deus vtique est, qui diuinam actionem habet in se naturaliter.

Ex Euangelio.

AMen dico vobis, vos esse seruos, nisi vos filius liberauerit. Hanc.n. res procreatæ non habent facultatem, sed solum verbum, vt filius, & hæres, & à Deo patre prouenĩens. Si igitur filius solus nos ita vocat ad libertatem, vt et spiritus idem efficiat, qũo non erit essentię ipsius, qui vt ipsemet omnia facit cum potestate Deo conueniẽte? Quod si ita est, nec factus, nec creatus est spiritus Domini. Id enim dicere valde impium sit.

Ex Iacobi Epistola.

NOlite errare, fratres dilecti, omne datum bonum, & omne donum perfectum, è sursum est, descendens à patre luminum. Si varia diuinarum gratiarum largitio à patre demittitur, Hæc aũt omnia, vt Paulus ait, spiritus agit, diuidens sigillatim vnicuique, vt vult, qũo Deus non est, & ex Deo, & in Deo spiritus ipse, qui facit omnia, quæ congruunt Deo, idq; cum potestate? Non ergo creatus est, vt isti nugis suis affirmant.

Ex Petri Epistola.

EStote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem sine murmuratione, vnusquisq; sicut accepit, gratiã, inter vos illam administrantes, vt boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Hic mihi rursum animaduerte, cùm Spiritus sanctus potestate sua, quemadmodum vult, diuina munera largiatur, atq; sanctis sigillatim distribuat, Petrum admirabilem affirmare variam hanc talis gratiæ largitionem à Deo proficisci, quippe qui sciret, Spiritum sanctum à natura diuina non esse alienum. Cùm igitur Petrus Deum Spiritum sanctum appellet, nónne impius & temerarius est, qui illum inter res collocans procreatas, manifestis sanctorũ Apostolorum testimoniis periculose audet aduersari?

Ex Ioannis Epistola.

ET qui seruat mandata eius in ipso manet, & ipse in illo. Et in hoc cognoscimus, ꝙ in nobis manet, ex spiritu, quem dedit nobis. Si Spiritu sancto in nobis habitante, Deus est, qui in nobis habitat, quomodo nõ Deus ex Deo spiritus, quem siquis habet, Deum inhabitantem gerit? qui etiam per Prophetam, Inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo, & ero ipsorum Deus? Et si Deus ex Deo spiritus est, quis eum temerè creatum dicens supplicium euadet sempiternum?

Ex eadem.

ET spiritus est, qui Deum spiritum veritatem esse testatur. Quoniam tres sunt, qui testimonium afferũt, spiritus, aqua, & sanguis. Et hi tres vnum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Veritatis præco rursum, vt vides, & Deum, & ex Deo naturaliter spiritum vocat. Cùm enim dixisset, spiritum esse, qui testatur, paululum progrediens, testimonium, inquit, Dei maius est. Quomodo igitur creatus est, qui vna cum patre rerum omnium Deus dicitur, & sanctam explet Trinitatem?

Ex Euangelio secundum Matthæum.

IEsu Christi autem generatio sic erat. cùm esset desponsata mater ipsius Maria Ioseph, antequã conuenirent, inuẽta est in vtero habens de Spiritu sancto. Si creandi facultas soli adest naturę diuinę, & hoc ipsius est eximium, simul cum aliis dignitatibus diuinis illi congruentibus, spiritus autem in virgine diuinum templum creat, nónne si quis eum creatum dicit, is impius simul, atq; amens deprehendetur?

Ex Euangelio secundum Ioannem.

QVotquot autem acceperunt eum, potestatem dedit eis vt filij Dei fierent, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate hominis, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Si spiritus est, qui per fidem in Christum regenerat nos ad salutẽ, adeò, vt eius gratia nos filij declaremur Dei, quomodo spiritus non erit Deus? Quòd autem nos, qui credimus, ex spiritu nati simus, testatur seruator sic alloquens Nicodemum, spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis, sed nescis, vnde veniat, aut quo vadat. Sic erit omnis, qui natus est ex spiritu.

Eiusdem.

CVm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritũ veritatis, qui à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me. Si à Deo & patre procedit Spiritus sanctus, & tanquam fructus quidam essentiæ ipsius est, Pater autem non est factus nec creatus, quomodo creatus dicetur spiritus, qui ab ipso procedit? aut quomodo nos Dei templa vocabimur, spiritum accipientes, si non est Deus, vt temerarij quidam asserunt?

Eiusdem.

SI spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei, perspicuum est, Spiritum sanctum non esse naturæ diuersæ, neque diuersæ essentiæ, sed naturæ diuinæ. Ideo etiam profunda Dei cognoscit, & scit quæ Dei sunt, vt animus noster, quæ nostra sunt. Quòd si scrutari ad ignorantiam refers, hoc etiam de patre dici cõperies. Qui enim, inquit, corda scrutatur, nouit, quid spiritus sentiat. Quòd si rerũ omnium Deus non ex ignorantia scrutatur, sed planè scit omnia antequam fiant, nec Spiritus sanctus propter ignorantiam scrutatur profunda Dei. Alioqui quomodo congruet

gruet illa comparatio, quemadmodum nouit spiritus hominis ea, quæ in ipso sunt, sic & quæ sunt Dei, nemo, nouit nisi spiritus Dei? Nosse.n.& scrutari contraria sunt. Animus autem non scrutatur, quæ sua sunt, sed nouit omnino. Quare Spiritus sanctus exquisitam habet cognitionē Dei. Et quemadmodum nemo nouit patrem, nisi filius, neque filium.nisi pater, sic, inquit, nemo nouit, quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei. Ex his quæ dicta sunt, quid naturæ commune sit, intelligimus. Verùm quoniã, qui omni impudentię morbo laborant, istos maledicæ, Arij, & Eunomij doctrinæ discipulos dico, ipsum Deum esse dicunt spiritum, non autē persona distinctum, necessario beatus Paulus personã spiritus ostendit, Nos enim, inquiens, non mundi spiritum accepimus, sed spiritũ, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, non in doctis humanæ sapientię verbis, sed in doctrina Spiritus sancti spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit, quæ sunt spiritus, stultita enim sunt illi, & nõ potest intelligere, quia spiritualiter iudicantur. Quis enim nouit sensum Domini, aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Christi habemus. Cùm igitur dicat, nos non mundi spiritum accepisse, sed spiritum, qui ex Deo est, Spiritum sanctum non huic mundo coniunctum, sed essentiæ docet esse diuinæ. Docet præterea, se non de Deo & patre loqui, sed de Spiritu sancto, cuius gratiam credentes accipiunt. Itaque, spiritum, qui ex Deo est, inquit, docens, eum à patre essentiam habere, & esse illius naturæ, non eo modo, quo res factæ & procreatæ, sed vt nouit ille solus, qui filium cognoscit, & solus ille, qui patrem nouit, Et is solus, qui patrē, & filiũ nouit. Hoc ex Deo didicimus, modum autem edocti non sumus. sed cōtenti sumus ea cognitionis mensura, quę data est nobis, nec solicitè exquirimus ea, quæ à nobis nequeunt comprehendi.

Eiusdem.

CVm dixisset Lucas in Actibus, sacrificantibus autē & ieiunantibus fratribus Antiochiæ, dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Paulũ & Barnabam in opus, ad quod vocaui eos, Cumq; subiecisset, Missi à Spiritu sancto deuenerũt Seleuciam. Et obeuntes Cyprum, & Lyciam, & Lycaoniam, Pamphiliam, & Bithyniã, prædicauerunt Euãgelium, subiecit, Et inde nauigantes Barnabas & Paulus Antiochiam, vnde erãt traditi gratiæ Dei in opus, quod compleuerunt. Cùm autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt, quanta fecisset Deus cum illis. Cùm antea mentionem fecisset de spiritu, vt qui Paulum & Barnabam segregasset in opus, ad quod eos vocauerat, eum post reditum appellat Deum. Et bis Dei nomē ponit. Primum deuenerunt, inquiens, Antiochiam, vnde traditi erant gratiæ Dei in opus quod impleuerunt. Deinde, cùm autem, inquiens, venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt, quanta fecisset cum ipsis Deus.

Eiusdem.

DIgitum Dei Spiritum vocat diuina scriptura, quemadmodum & Christus ait, si ego, inquiens, in digito Dei eiicio Dæmonia. Quod alius Euangelista in spiritu dixit. Filium item dexteram & brachium appellat, vt eo loco, saluauit eos dextera ipsius, & brachium sanctum eius. Quemadmodum igitur brachium eiusdem essentiæ cum illo est, cuius est brachium, sic & digitus cum illo, cuius est digitus. Eiusdem igitur essentiæ est Spiritus sanctus cum patre & filio. si autem eiusdem est essentiæ, & Deus est.

TITVLVS DECIMVSTERTIVS

Aduersus Apolinarium.

Magni Athanasij ex disputatione contra Macedonianum Apolinaristam habita.

MACEDONIANVS. Nõ solum erratis, cum filium eiusdem esse cum patre essentię dicitis, verũetiam cum Dominum humana carne assumpta habuisse animam affirmatis. Orthodoxus. Non solum pie sentimus asserentes filium eiusdem essentiæ cum patre, verùm etiam affirmãtes eũ humana carne assumpta animam habuisse. Nihil autem magnum facis, eũ eiusdem essentiæ negans, si etiam animam negas habuisse. Hoc.n.eorum est propriũ, qui dicunt, eũ esse naturæ diuersæ, atq; dissimilem. Nã vt patibilem vnigeniti naturam dicant, inanimatum asserunt, atque ita dissimilitudinem colligunt. Maced. Nos dissimilem non dicimus, sed inanimatum. Orth. Fateris ipsum morte propinqua cœpisse contristari, ac mœstum esse, vt in Euangelio Matthæi scriptum est? Et, vt in Marci Euangelio legimus, cœpisse pauere & tædere? Maced. Fateor. Orth. Diuinitásne an corpus inanimatum expauescit, & contristat? Maced. Diuinitas nimirum carnem induta. Orth. Ergo filij Diuinitas patris Diuinitati dissimilis est? Maced. Nequaquam. Orth. Si mœstus est, & mortē expauescit, quõ similis sit ei, qui nec mœstus est, nec tristat, nec expauescit? Maced. Mœstus fuit, quia corpus habuit humanũ. Orth. At corpus inanimatum non mœret, nec pauet, nec tristatur. Maced. Animæ loco habebat Diuinitatem. Orth. Faciebátne corpus, vt Diuinitas paueret? An Diuinitas, vt corpus? Maced. Propter corpus pauorè Diuinitas afficiebatur. Orth. Diuinitas ergo, vt principem in nobis obtinens locum, à corpore turbabatur. Maced. Absit, vt id dicamus. Orth. Cõcedas igitur oportet, animam fuisse turbatam. Maced. Minimè verò. Orth. Qũo igitur audies Angelum dicentem Ioseph, Accipe Mariam, & puerum, & fuge in Aegyptum, futurum est enim, vt Hærodes quærat animam pueri? Et rursum, Experrectus accipe Mariam coniugem tuam, & vade in terram Israël, mortui sunt enim, qui quærebant animam pueri? Quid? ꝙ ipse Dominus ego, inquit, sum pastor bonꝰ, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, Bonus pastor animam suã ponit pro ouibus suis. Et quando volo, pono eam, & quando volo, assumo eam? Maced. Quid mirum, cùm & pater dicat, Neomenias vestras & sabbata odit anima mea? Nũ ob id & patrem animam habere dicis? Ortho. Primùm non animaduertisti, quis ea verba protulerit. Neq; enim potes ostendere, patrem esse, qui loquatur. Maced. Cuius ergo est illa oratio? Orth. Filij Dei, qui dixerat, Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognouit. Maced. Hic igitur est ille, qui dicit, Neomenias vestras, & sabbata odit anima mea? Orth. Ille sanè. Tunc enim odit, cum hominem induit. Maced. Et animam habebat, cùm ab Esaia visus est? Orth. Quemadmodum non habebat manus, nec pedes corporeos, neq; corporea vestimenta, antequam corpus humanum assumeret, & tamen dixit, foderunt manus meas, & pedes meos, & super vestem meam miserunt sortem, qm̃ erant futura, sic etiam de anima loquens, dixit, odit anima mea. Maced. Vt ea filij verba esse concedam,

num etiã, cùm dicit, Ecce filius meus dilectus, in quo sibi complacuit anima mea, ponam spiritum meum super eũ, filius est qui loquitur? Orth. Fateor non esse filium, sed patrem, qui tamen non tanquam animam habens hæc dicit, sed omnem animam sanctam appellat animam suã. Quasi dicat, quæcũq; anima sibi complacuit in filio meo, hæc est anima mea. sicut enim vir iustus dicitur vir Dei, sic etiam anima iusti dicitur, & est anima Dei. Maced. Quid sibi vult illud complacuit. Orth. Id, quod expresit Esaias Propheta, suscepit, inquiẽs, Iacob puer meus, assumam eum, Israël electus meus, suscepit eum anima mea, dedi super eum spiritum meum. Quæcunque igitur anima suscepit hunc, quem ostendo vobis puerum, ea est anima mea. Maced. Nos impropriè patrem eo verbo vsum diximus, neq; enim, ꝙ animam habeat, dixit, in quo sibi cõplacuit anima mea, neq; vt tu cogitasti, de hominum anima loquitur. Orth. Vt demus, impropriè dictum de patre, num etiam impropriè de filio dictum erit? Maced. Vtique. Orth. Si ergo & homo dicatur pater, idq; impropriè, num & filium propterea impropriè hominem appellatũ dices? Maced. Vbi pater improprie dictus est homo? Orth. Ipse filius in Euangeliis ipsum appellat hominẽ. Maced. Lege mihi, vbi ipsum hominem dicat. Orth. Vbi dicit, Homo fecit nuptias filio suo, quem hominem vocat? Et quando dicit, Homo quidam plantauit vineam, & dedit eam agricolis, quem intelligis hominem? Maced. In similitudine patrem. Orth. Ergo quoniam in similitudine patrem appellat hominem, & in eadem similitudine se ipsum hominem dicit, ad seruos missum, dicamus & ipsum filium improprie hominẽ assumpsisse. Maced. Absit. Orth. Quòd si audiuerimus faciem, patris, quam vident Angeli puerorum, vt in Euangeliis scriptum est. Audiuerimus autem & faciem filij, quæ in monte resplenduit, & quam alapis minister cæcidit, eodem modo vocabulum id vbique accipiemus, an in filio quidem os, & vultum corporeum, per faciem intelligemus? De patre verò faciẽ improprie pro persona atque hypostasi dici non dubitabimus? Maced. Fatemur vocem hanc alia ratione de patre, atque de filio dici. Orth. Non igitur si de patre anima dicatur impropriè, Continuo de filio quoque improprie dicitur. Manichæorum enim hæc est insania vt Dei filium negent hominem assumpsisse. Maced. Nos hominem quidem, sed non animam assumpsisse dicimus. Orth. Ne dicas hominem, sed carnem assumpsisse. Nã nisi corpus assumpsit animatum, nec hominem assumpsit. Maced. Quid ita? Orth. Qm̃ corpus inanimatum, quod animæ ratione præditæ sit expers, non est corpus humanum. Cur autem vos instar aspidis surde aures suas obstruentis, ne vocẽ audiat incantantiũ, non auditis Petrum in libro, quo res ab Apostolis gestę cõtinẽtur, ita loquentem, Quoniam anima eius non est in inferno derelicta, nec caro ipsius vidit corruptionem? Et Esaias Propheta clamat, pro quibus tradita est ad mortem anima eius. Et inter iniquos reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & propter ipsorum peccata traditus est. Maced. Non ignoramus, sæpe in scriptura legi ipsum animam habere, sed impropriè, non autem verè dici contendimus. Orth. Quæ cuiq; igitur humana de ipso dicta sunt, exempli gratia, visus auditus, odoratus, vox, gustus, desiderium, dolor, pauor, lassitudo, ambulatio, impropriè, nõ autem verè accipienda sunt? Maced. Hęc quidem omnia, quæ commemorasti, verè dicta sunt, anima autem impropriè. Orth. Et qui infirmo corpori, ossibus, & neruis, & venis, & arteriis, atque aliis membris, ac partibus constanti coniungi dignatus est, is animam non habuit? Maced. Quid anima opus est vitæ? Orth. Quid illi carne opus fuit, qui sine carne se patribus nostris conspicuum præbuit? Maced. Vt cruci affigeretur, carnem habuit necessariam. Orth. Quid? vt mœreret, vt tristaret, vt expauesceret, vt cum anima esset in inferno, anima non indiguit? Id enim est, serui formam suscepisse, non quòd corpore se conspiciendum exhibuerit, sed quòd & seruitutis subierit ægritudines. Maced. Serui formam accepit, carnem accipiens. Orth. Dei forma est'ne forma Dei perfecta? Maced. est. Orth. Et forma serui, est serui forma perfecta. Et hæc est ouis illa, quam quæsitam, atque inuentam humeris suis imposuit, non vter inanimatus, sed animal animatum, cui cõcedit, vt affectiones, & ægritudines habeat, non peccati, sed naturæ, ne species inanis à te putetur, & tanquam Manichæus, insanias. Maced. Damus, vt quę de anima dicis, recta sint. Cur autem eiusdem essentiæ cum patre filium dicitis? Orth. Qm̃ quam essentiæ patris rationem dicis, eandem ipsam rationem & essentię filij constituimus. Maced. At hoc non est homousion, sed homiousion, id est, non eiusdem essentiæ, sed similis essentiæ. Orth. Istud homiousion, vt ita dicam, agrestem sapientiã sapit. vt si quis aliquem eorundem morum dicat similem moribus, & eundem genere, similem genere, & eiusdem gloriæ, similis gloriæ, & eiusdem mentis, similis mentis. Maced. Minimè verò, sed homiousion de rebus dicitur incorporeis, homousion autem de corporibus. Orth. Dixi rusticam hanc esse sapientiam. Homiousion enim potius de corporibus dicere debebatis, quæ similia sunt, Homousion verò de rebus incorporeis, quæ sunt etiam eædem. Homousion enim eandem significat essentiã. Maced. At Homousia ante subiectam habẽt essentiam. Orth. Haud ita est. Nam & Adam homousius est Euæ, & tamen nõ habent ante subiectam hominum essentiam. Maced At qui terram habent ante subiectam. Orth. Sed non propterea sunt Homousij quid ex terra constent, sed quòd eandem essentiæ rationem suscipiunt. Maced. Ego verò ob id homousios, id est, eiusdẽ essentiæ appello, quod ex eadem essentia sunt, nempe terra. Orth. Dic igitur & canes, & serpentes, & cuncta animalia rationis expertia, quin etiam plantas, & si quid aliud ex terra constat, esse homousia, id est eiusdem essentiæ, quandoquidem vniuersa hæc æquiuocè dicuntur terrena, quæ tamen eandem non suscipiũt rationem essentiæ. Maced. Ego non sequor Aristotelem. Orth. Neque ego. Maced. At Aristoteles dixit, Aequiuocorum diuersam esse rationem essentiæ. Orth. Tu verò eandem esse dicis rationem essentiæ hominum & asinorũ, & boum, & equorum, & cæterorum animalium? Maced. Sanè. Orth. Eandem ergo tu rationem habes essentiæ cum bestiis. Maced. Quidni? cùm omnes è terra constemus? Orth. Ego quidem non Aristotelem sequens, sed veritatem, æquiuocorum rationem essentiæ diuersam assero. Tibi verò nihil magis arbitror conuenire, quàm vt eandem suscipias cum bestiis rationem essentiæ. Etenim omnis hæreticus comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Maced. A contumeliis abstine disputando. Orth. Ego nihil affero contumeliæ, sed tuis ex verbis ita colligitur.

Item aduersus Apolinarium. Magni Gregorii Theologi, ex prima ad Cledonium Epistola, quæ præ longitudine instar est libri.

NE decipiant, decipianturúe homines, dominicum, vt ipsi dicunt, hominem, vel potius Dominum, ac Deum nostrum animæ ac mentis expertem existimantes

mantes. Neq; enim hominem à diuinitate seiungimus, sed vnum eundemq; constituimus, qui prius quidem non erat homo, sed Deus tantum, & filius, & ante secula corporis expers, atque omnium, quæ corporis sunt. In fine autem pro salute nostra hominem etiam assumpsit, carne patibilis, non autem Diuinitate. Corpore circũscriptus, non spiritu, idem terrestris, & cœlestis, visibilis & intelligibilis, cõprehensus, & incomprehensus, vt ad totum hominem eũdem & Deum, totus homo in peccatum prolapsus refingatur. siquis sanctam Mariam Dei esse genitricem negat, à Diuinitate seiunctus est. siquis eum per Virginem tanquam per canalem percurrisse, non autem in ipsa formatum dicit, diuina simul, atque humana ratione, diuina quidem, qm̃ sine hominis opera, humana autem, quoniam partus lege, is pariter impius est. siquis hominem formatum dicit, deinde illi deuinctum Deum, is detestandus est. Hoc enim pacto non Dei ortum asserit, sed subterfugit. siquis duos introducit filios, vnum ex Deo patre, alterum ex matre, non autem vnum & eundem, is ab adoptione, qua Dei filius fiat, rectè credentibus promissa, excidet. Duæ enim naturæ Deus, & homo, quo quidem anima & corpus intelligitur, nõ autem filij duo, nec Dei, qñ ne duo quidem hic homines, quãuis Paulus interiorem hominẽ, & exteriorem nominet. Et, si compendio dicendum est, aliud, atque aliud sunt ea, ex quibus constat seruator. Neque enim idem est, quod non cernitur, & quod cernitur. Quod temporis spatio non continetur, & quod continẽ. Non alius tamen, atque alius. Absit. Vtraque.n. sunt vnum coniunctione. Cùm Deus homo factus sit, & homo Deus, aut si quo alio modo id potest explicari. Dico autem aliud atque aliud contra, quàm in Trinitate se habet. Illic enim alius atque alius dicimus, ne confundamus personas. Non autem aliud atque aliud. Vnum tria idemque diuinitate. Siquis vt in prophetis per gratiam egisse, non autem per essentiam coniunctum & copulatum fuisse dixerit, is meliore sit actione vacuus, atq; adeo contraria plenus. siquis non adorat Crucifixum, anathema sit, & inter illos, qui Deum crucifixerunt, constituatur. siquis ex operibus euasisse perfectum, aut post baptismum, aut post resurrectionem dignum fuisse dicat, qui in filium adoptaretur, quẽadmodum sunt illi, quos gẽtes ascitos & Deorum numero ascriptos introducũt, anathema sit. Quod enim cœpit, aut proficit, aut perficitur, non est Deus. Licet ita dicatur, qm̃ paulatim declaratus est. Siquis deposuisse nunc carnẽ, & Diuinitatem à corpore seiunctam esse, & humanitatem assumptam non habere, aut sine illa venturum dicat, is aduentus ipsius gloriam ne videat. Vbi enim corpus nũc nisi cum illo, qui ipsum induit? Neque enim, vt nugantur Manichæi, quo per ignominiã honoraretur, in sole iam ipsum deposuit, aut in aëra diffusum & dissipatum est, vt vocis sonus natura aut odoris fluxus, aut fulguris cursus non consistentis. sed quomodo illum post resurrectionem contrectassent, aut olim videretur ab iis, qui eum pupugerant. Diuinitas enim per se sub aspectum non cadit. Sed veniet, vt ego sentio, cum corpore, & talis, qualem discipuli in mõte conspexerunt, aut qualis assumptus est, vincente id, qđ ex carne est, ipsa diuinitate. Vt autem hæc dicimus, quo suspicionem excludamus, sic illa scribimus, quo nouas opiniones emendemus. Si quis carnem è cœlo descendisse, nõ autem hinc & ex nobis assumptam esse dixerit, anathema sit. Illud enim, secundus homo de cœlo, et, qualis cœlestis, tales & cœlestes, Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descẽdit de cœlo filius hominis, & siquid aliud eiusmodi est, referenda sunt ad cõiunctionem illam, quam cum cœlesti habemus. Vt etiam illud, per Christum facta esse omnia, & Christum habitare in cordibus nostris, cùm vocationes tanquam naturæ non ex eo, quod in Deo conspicitur, sed quod intelligitur, commisceantur, & coniunctionis rõne inter se mutuo cõmeent. siquis in mentis, atque animę expertem, aut nudum hominem credidit, is verè est demẽs, & salute indignus. Quod enim assumptum non est, curari non potest. Quod autem Deo coniunctum est, id etiam seruatur. si dimidia ex parte lapsus est Adam, dimidia item assumpta seruataq; est, sin totus, cum toto coniunctus est homine, totusq; seruatur. Quamobrem perfectam nobis salutem ne inuideant, nec ossa solum, aut neruos, aut effigiem hominis adhibeant seruatori. Quid enim aliud est homo anima carens? Id Ariani quoque dicunt, quo cruciatus & affectiones in Diuinitatem conferant, vt quod mouet corpus, id etiam patiatur. sin anima quidem præditus est, non intelligens autem, qũo est homo? neque.n. homo est animal mentis & rationis expers. Et necesse erit figuram quidem & speciem humanam esse, animam verò equi alicuius, aut bouis, aut aliorum eiusdem generis, mentis expertium animalium, quæ quidem etiam seruaretur. Atque ita errasse me animaduertam, qui cum vnum honore sit affectum, aliud coluerim, & magnifecerim. Quòd si intelligens & mentis non expers homo, desinant verè insipientes homines delirare. At satis est, inquiunt. Diuinitas mentis loco. Quid hoc ad me, cùm Diuinitas, cum carne sola homo non sit? neque cum anima, neq; cum vtrisque, si desit mens, qúa potissimum homo censetur. Serua igitur totum hominem & Diuinitatem admisce, vt perfectè me iuues.

Ex eadem.

AT non capiebat, inquit, duo perfecta. Non si corporea ratione consideras. Vas enim vnius tantum modij capax, duos modios non continebit. Nec locus vnius corporis, duo pluráue corpora capiet. Sed incorporea ratione secus est. Ego enim & animam, & rationem, & mentem, & Spiritum sanctum capio. Et ante me mundus iste, qui ex visibilibus cõstat rebus, atque inuisibilibus. Talis enim est rerum intelligibilũ natura, vt sine corpore, & diuisione, tum inter se, tum corporibus misceantur. Quádo quidem & voces complures vno auditu, & rerum multarum species vnico obrutu, & odores plures odoratu capiuntur, cùm nec ipsi sensus cõprimantur, aut affligantur, nec res, quę sentiuntur, Cõcursu multitudinis imminuãtur. Sed quam obtinet perfectionẽ mens hominis, aut Angeli, si cum Diuinitate cõparetur, vt maioris aduentu alterum abiiciatur? Neque enim splendor quidam cum sole, neque humiditas parua cum flumine comparantur, vt parua ante auferamus, è domo quidem splendorem, è terra verò humiditatem, atque ita maiora capiant & perfectiora. Quomodo enim duo capient perfecta, domus quidem splendorem & solem, terra verò humiditatem, & flumen? Hoc dispiciamus. Etenim res digna est magna consideratione. Ignorant'ne fieri posse, vt quod vni comparatum perfectũ est, id si cum altero comparetur, sit imperfectum, vt collis si cum monte, aut granum sinapis, si cum faba, aut aliquo alio magno semine conferatur, licet inter sui generis grana maximum sit? si autem vis, Angelus cum Deo, & homo cum Angelo comparetur. Perfecta quidem mens nostra est, princepsq; sed animæ, & corporis, nõ autem perfecta simpliciter, Dei verò serua est, eiq; subiecta, non autem in principatu, aut honore Comes. Nam & Moses Pharaonis erat Deus, Dei verò seruus, vt scriptum est. Et stellæ noctẽ

quidem illustrant, sole verò sic occultantur, vt ne constet quidem, vtrum sint, necne? Sed totum occupat lumen solis vincentis, & superatis. At mens, inquit, nostra damnata est. Quid caro non est damnata? Aut hanc etiam abiice propter peccatum, aut illam quoque suscipe propter salutem. Si quod deterius est, fuit assumptum, quo sanctum fieret propter carnis assumptionem, quod præstantius est, nō assumuretur, quo sanctum fieret propter assumptionem humanitatis? Si lutum fermentatum est, & factum noua conspersio, ò viri sapientes, imago non fermentabitur, et cum Deo coniungetur, diuinaque fiet per Diuinitatem? Illud & addemus, si mens oīno reiecta fuit, vt peccatrix, & condemnata, et iccirco relicta mente, Corpus assumptum est, iis qui mente peccant, ignoscendum est. Nam Dei testimonio constat, curari non posse. Dicam, quod maius est, Tu quidē, vir optime, carnisq; cultor, si ego hominis cultor sum, iccirco mentem meam negligis, vt Deū cum carne coniungas, tanquā aliter copulari nequiuerit, & ideo medium parietem diruis, mea verò insipientis, atque ineruditi hominis est oratio, quòd mentem menti vt propinquiori & magis affini, & per mentem inter Diuinitatem & crassitudinem intercedentem carni coniungam? Cur autem hominem, vel carnem, vt isti dicunt, induerit, videamus. Si vt Deus, qui alioqui cōprehendi non potest, comprehendatur, & carne tanquam velo interiecto homines alloquatur, scitam planè personam, & fabulæ actus introducunt: vt omittam, quòd & aliter poterat, nobiscum loqui, vt tum in rubo ignis, tum humana specie prius fecerat. Sin vt peccati solueret damnationem, re simili similem sanctificans, sicut carne fuit opus propter carnem damnatam, sic & anima propter animam, & mente propter mentem, quæ non solum in Adam peccauerat, sed prima peccauerat, vt in morbis loquuntur medici. Quod enim mandatum acceperat, illud non obseruarat. Quod non obseruarat, id ab eo recesserat. Quod à mandato reccesserat, id salutis potissimum indigebat. Quod autem salutis indigebat, id fuit assumendum, itaque mens assumpta est. Hoc nunc etiā si nolint, geometricis, vt ipsi dicūt, & necessariis demonstrationibus conclusum est. Tu verò perinde facis, vt si hominis oculus & pes morbo laborarent, pedem quidem curares, oculum autē negligeres. Aut si, cùm pictor aliquis quippiam haud rectè pinxisset, quod pictum esset, mutares. pictorem autem ipsum tanquam rectè pingentē omitteres.

Ex eadem.

QVòd si rationibus his conuicti eo confugerint, vt dicant, Deum & si mentē non assumpserit, hominem potuisse seruare, & sine mente, potuisse respondebimus, sola voluntate. Quemadmodum & cætera oīa facit & fecit sine corpore. Quin igitur vna cum ipsa mente carnem etiam remoues quo perfecta sit stultitia tua? Verum à litera decipiūtur, iccirco ad carnem accurrunt, scripturæ consuetudinem ignorantes. A nobis igitur & illud discant. Nam quòd passim in scriptura vocetur homo, & filius hominis, quid attinet dicere, cùm ipsimet sciant? Quòd si verbis illis innituntur, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & iccirco, vt coriarij quæ pinguia sunt ex coriis, sic ipsi pulcherrimam hominis partem abscindunt, vt Deū cū carne conglutinent, cur non & solius carnis, non autem animarum ipsum dicunt esse Deum? Cùm scriptum sit. sicut dedisti ei potestatem vniuersæ carnis, &, Ad te omnis caro veniet, & benedicat omnis Caro, hoc est, omnis homo, nomen sanctum eius? Præterea cur non dicunt patres nostros inuisibiles, & sine corpore in Aegyptum descendisse, Et animam solam Ioseph à Putiphar fuisse vinctam, quoniam scriptum est, cum septuaginta quinque animabus descenderunt in Aegyptum, & ferrum pertransit anima eius, quæ quidem ligari non potest? ignorant enim, qui ista dicunt, eiusmodi scripturæ loca per synecdochen intelligi, cùm ex parte totum significetur. Quemadmodū vbi ait, Filij coruorum inuocant Deum, vt omne volucrum genus designaret. Et Pleias, & vesper, & Arcturus pro omnibus stellis, & earum ornatu memorantur. Ad hæc non aliter Dei charitas erga nos ostendi poterat, nisi carnis mētio facta esset, vt eum ad id, quod deterius est, vsq; descendisse constaret. Anima verò carnem esse viliorem, nemo sanus ignorat. Verba igitur illa, Verbum caro factum est, sic intelligenda sunt, vt cùm dicimus, ipsum factū esse peccatum, & maledictum, non quòd in ea Dominus mutatus sit. Qui enim id fieri queat? Sed quòd ea suscipiens iniquitates nostras susceperit, & infirmitates portauerit.

Ex eadem.

SCiendum autem est necessario, Apolinarium Spiritui sancto nomen quidem Diuinitatis tribuisse, sed ei tamen Diuinitatis potestatem non seruasse. Nam quòd ex magno, maiore, & maximo constituit Trinitatem, tanq̃ ex splendore, & radio, & sole, spiritu, & filio, & patre, id qđ in eius libris apertè scriptum est, Diuinitatis scalam struit non in cœlum ducentem, sed è cœlo detrahentem. Nos verò Deum agnoscimus patrem, & filium, & Spiritum sanctum. Hæc autem non vt nuda vocabula, quæ dignitatum & potestatum diuidant inæqualitates, sed vnam & eādem vt appellatione sic etiam re, Diuinitatis naturam, & essentiam & potestatem.

Eiusdem ex altera ad eandem Epistola.

ISti enim cùm de rebus diuinis ad proprios discipulos suos, arcanorumq; conscios verba faciunt, vt Manichei ad eos, quos electos appellant, totum ipsis morbū aperientes vix etiam carnem tribuūt seruatori. At cùm ex communibus scripturæ testimoniis coarguuntur & premuntur, pia quidem verba confitentur, sed, quod ad mentem attinet, callide astuteq; agūt, quippe qui nec inanimatum, nec rationis, aut mentis expertem, nec imperfectum hominem fateantur, sed animæ, & rationis, mentisq; partes Diuinitatem asserant obtinere, quæ quidem Diuinitas carnem solam, non autem quæ nostra humana sunt, suscеperit, licet sine peccato essent, & præstantiora, q̃ in nobis reperiantur, & à nostris perturbationibus aliena. Sic locū etiam illum, Nos autem Christi mentem habemus male & stulte admodum interpretantur, vt pro Christi mente diuinitatem accipiant, non autem vt nos, qui Christi mentem eos habere dicimus, qui mentem suam expurgat ad similitudinem mentis illius, quam pro nobis suscepit seruator noster, seq; pro viribus ad illam accommodant. sic & carnem Chtisti habere dici possent, qui carnem erudiunt, & eiusdem corporis consortes, Christiq; participes ea re fiunt. Et sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Iam perfectū isti hominem exponunt, non qui, excepto peccato, omnia, quæ nostra sunt, expertus sit, sed illam ex Deo & carne coniunctionem. Eodemque modo & vocem illam qua Deum induisse hominem dicimus, cauillantur, neq; enim in homine, quem sibi adiunxit, fuisse, vt quod dictum est, ipse enim sciebat, quid esset in homine, sed cum hominibus locutum versatumq;

esse dicunt & docent. Et ad verba illa confugiũt, Post hoc in terra visus est, & cum hominibus versatus. Sed quid pluribus cum istis contendas, qui hominem & imaginem interiorem euertentes, id solum, quod habemus extrinsecus, expurgant per inanem personam, atque id, quod foris cernitur, adeoq; secum ipsi pugnant, vt aliquando per carnẽ, reliqua item intelligant pingui quadam, & crassa ratione, inde enim ipsis alter quidam iudaismus exortus est, & commentitiæ quædam mille annorum in paradiso deliciæ, & quod eadem rursus eisdem in locis simus habituri, aliquando autem per carnem inanem potius speciem quandam, q̃ veram exponant, quæ nihil eorum, quæ nostra sunt, etiã si sine peccato sint, patiatur, idq; verbis Apostoli, nõ apostolicè tamen intellectis, aut commemoratis conantur approbare, In similitudine enim hominum factum seruatorẽ nostrum, habituq; inuentum vt hominem, sic esse accipienda, non vt humana forma, sed inanis & falsa quædam species intelligatur?

Eiusdem ex Epistola ad Nectarium.

IN manus meas incidit libellus quidã Apolinarij. in quo ea, quæ disputantur, hæreticam omnem exhibent improbitatem. Negat enim carnem assumptam ab Vnigenito ex naturæ nostræ ordine secundum dispositionem, sed ab initio illam carnis naturam in filio esse, & absurdam istam opinionẽ quodam Euangelij testimonio prauè intellecto conatur comprobare. Nemo enim, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis. Ex his colligit, & antequam descenderet, filium hominis extitisse, & cùm descenderet propriam carnem attulisse, illam nimirũ, quam in cœlis habebat ante secula ex propria ipsius essentia consistentem. Præterea dictum quoddam Apostoli ex toto corporis auellens cõsensu, secundum è cœlo hominẽ affirmat esse, atque ita concludit, hominem illum, qui è cœlo descendit, mentem non habere, sed vnigeniti Diuinitatem mentis naturam explere, & tertiam illius concreti hominis partem obtinere, cùm duæ reliquæ ipsius partes anima & corpus existant, mens verò nõ adsit, sed locum eius expleat Dei Verbum. Quę cùm grauia absurdaq; sint, illud tamen omnium grauissimum est & absurdissimum, quòd ipsum Deum Vnigenitum, iudicem omnium, vitæ principem, & mortis expulsorem affirmat esse mortalem, & propria ipsius Diuinitate cruciatus mortemq; subiisse, triduique illius spatio, quo corpus mortuum mansit, simul cum ipso corpore mortuam quoque Diuinitatem permansisse, & a patre rursum ex morte in vitam fuisse reuocatam.

Item aduersus Apolinarium Gregorii Nyssæ Pontificis ex oratione ad Theophilum Alexandriæ Pontificem.

QVi Apolinarij decretis fauent, Verbum dicunt ex carne constare, & seculorum auctorem esse hominis filium, & Domini humanitatem mentis expertem, & filij mortalem esse Diuinitatem.

Ex eadem oratione.

NOs autem naturam quidem humanam Verbo coniunctam seruatã esse ex mysterio didicimus & credimus. Dei autem Verbum ex carne constare, & priuatim in se ipso viuere neque didicimus, neque vnde id colligi posit, intelligimus.

Eiusdem ex oratione, qua confutat Apolinarii opiniones.

SI Apolinarius verbis illis innititur, Nemo ascendit in cœlum, nisi, qui descendit de cœlo, filius hominis, & iccirco illum à terreni hominis coniunctione seiungit, & è cœlo traxisse dicit humanitatem, dabit aliquem prorsus in cœlo hominem patrẽ illius hominis, qui ad nos descẽdit. Filius enim, inquit, hominis. Præterea quomodo diebus extremis ex Virgine carnem assumpsit, & natus est? Vt taceam incommoda, quæ ex absurdis istis nugis cõsequuntur.

Ex eadem oratione.

SI caro fuit ante secula, non exinanita est Diuinitas, Filius non erat in forma Dei, serui formam non accepit, sed quod erat natura, id nunc apparuit.

Ex eadem oratione.

SI antequam ad nos descenderet, Carnem habebat in cœlo, habebat prorsus in cœlo etiã omnia, quæ carnis sunt propria, nempe famem sitim, somnum, lassitudinem, tristitiam, lacrimas. Qualis autem erat ætatis, cùm descendit in terram? Puer enim, vt inquit Esaias, natus est nobis, & filius datus est nobis, & per omnem transiit ætatem, quoad in terra versans mortuus est. Sin perfectum hominem ex Virgine natum dicunt, quomodo in matris vtero contractus est? Quomodo moles ipsius iam nati sic est imminuta, vt terminis exiguis circunscriberetur? Quomodo paulatim crescens in hominem perfectum euasit? Eamne, quam prius habebat carnem iterum sumens, an aliam in seipso per cibum adiungẽs? si pristinam dixerint, ostendent plane, superuacaneum illi fuisse nutrimentum, sin Dominum nutrimenti participem fuisse concesserint, quid dicent de carne in cœlo relicta. Magnã enim, vt par est, partem reliquit, & tantum ex illa sibi duntaxat seruauit, quantam virginis vterus capiebat.

Ex eadem.

SI carnem circa seipsum semper habuit in cœlo, Deũ autem carnẽ esse dicunt, qui sequuntur Apolinariũ, omnis autem caro tactui resistit, Quod autem resistit, ex materia constat, & compositum est, & quod compositum est, dissoluitur, necesse est, ipsum & ex materia constitisse antequam è cœlo descenderet, & diuersis è rebus esse compositum, & dissolutionem naturaliter expectare.

Ex eadem oratione.

VT probet vnigenitum ante secula carnem assumpsisse, affert testimonia, quæ de ipsius Diuinitate dicta sunt, & ea conatur ad eius humanitatẽ referre, vt illud, Antequam Abraham fieret, ego sum, & illud Præcursoris dictum, prior me erat, & illud Apostoli, Et vnus Dñs, per quem omnia. Et ipse est ante omnia. Si igitur, vt ipse censet, ante secula est illius caro, extremis autem diebus è virgne natum fatetur, ante secula nimirum fuit, & virgo, quæ ipsum peperit, natuque maior, quam ille, qui ex ipsa ortus est. Vt taceam de extremis diebus, qui ipsi quoque ante secula considerabuntur.

Ex eadem oratione.

SI patrem asserit incorporeum, & filij Diuinitatem ex carne constare, diuersas vtique dicet eorum essentias.

ſin horum communem, et eãdem eſſe naturam confiteſ, cogetur dicere, patrem item ex carne conſtare.

Ex eadem oratione.

QVi verè ex aliquo eſt, illud planè ſecundum eſſentiã eſt, quod eſt ille, qui genuit. Atqui pater caro non eſt, nec ille prorſus, qui ex ipſo eſt, erit caro. Quod enim natum eſt ex ſpiritu, non caro, ſed ſpiritus eſſe dicitur. Quod autem ex carne natum eſt, caro eſt. Det igitur patrem iſtius Dei ex carne conſtantis.

Ex eadem oratione.

DIcit præterea, cœleſtem illum hominem eſſe paternę gloriæ ſplendorem, & figuram ſubſtantiæ ipſius. Quamobrem ſi lux à ſole ſplendens cognationem habet cum ſole, & hominis figura ſubſtantiam declarat humanam, ex iſtius ratione ſequitur, vt pater etiam ex carne conſtet. Qualis enim eſt gloria, talis eſt & ſplendor ipſius. Et qualis eſt figura, talis vtique & ſubſtantia. Itaque ſi hoc corpus eſt, ne illud quidem incorporeum.

Ex eadem oratione.

CHriſtus, cui cibum & potum obiiciebant Iudæi, cibo & potu veſcebatur, an non? ſi non veſcebatur, inanis & ſimulata ſpecies illud erat, ſin veſcebatur, haud cœleſte corpus habebat, cùm ipſe cibus & potus è terra conſtaret.

Ex eadem oratione.

SI qua fuit diuina caro, ea nimirum & immutabilis. Nã ſi mutabilis, diuina nõ eſt. Quis tueri queat confuſam illam hæreticarum opinionum, quæ alias alia ipſis in ſomnis videtur, inconſtantiam? Nunc verbi carnem diuinam, atque vna cum illo ſempiternam aſſerunt. Nunc aſcitam atque aſſumptam dicunt. Nunc à natura noſtra differentem. Nunc rectoris egentem, & mutationibus obnoxiam.

Ex eadem oratione.

SI tunc verbum caro factum eſt, cùm habitauit in nobis, caro profecto non erat antequam Angelus virgini euangelicum afferret nuncium. Et ille, qui dicit, hominem ad nos è cœlo deſcendiſſe, & antequam humana eſſet natura procreata, extitiſſe, & per illum humanæ naturæ Diuinitatem fuiſſe coniunctam, mendax eſt.

Ex eadem oratione.

CAro, inquit, Domini adoratur, quatenus eſt vna perſona, atq; vnum animal cum ipſo. O abſurdum orationem. Quemadmodum nos dicimus, hominem ex anima ratione prædita & corpore conſtare, ſic & ipſum Dominum componit, vt animæ loco Diuinitatem accipiat, & carnem cœleſtem pro corpore, atque ita ipſum appellat animal.

Ex eadem oratione.

NVnc ait, Virginem filium peperiſſe, cùm iam eſſet caro, non autem in ipſa factum eſſe carnem, ſed per ipſam tanquam per viam aliquam pertranſiſſe. Ecce quomodo ſalutis noſtræ myſterium oppugnat. Sed iſtius oratio adeo eſt impia, & abſurda, & omnibus, qui pie recteq; ſentiunt, execranda, vt ne reſponſione quidẽ, & confutatione dignam exiſtimemus. Nihil enim ex illa colligitur, niſi vt omnia non verè, ſed ſimulate acta videantur.

Ex eadem oratione.

AB iſtis ego, qui animam mentis expertem cum carne aſſumpta coniungunt, quæſiuerim, ecquam animam Dominum habere dicant. Si ratione carẽtem reſponderint, Chriſto non hominem, ſed iumentum adiungẽt, ſin vtentem ratione, rationem ſequitur cogitatio. Quare qui animam ratione præditam dicit, & cogitationis compotem cõfitebitur. Cogitatio verò mentis eſt motus, & actio. Itaq; ſi Dominus animam habet ratione præditam, eam vtique & mente præditam habet, & nulla in re à natura hominis diſcrepantem.

Ex eadem oratione.

HAud decet, inquit, mentem humanam cum Vnigeniti carne coniunctam exiſtimare. Et cauſam ſubiicit, Qm̃, inquit, mens hominis eſt mutabilis. Quid igitur Deo carnem concedit? Nam quòd caro mutabilis ſit, ne ipſe quidem, qui iſtas cõfingit nugas, negabit, cùm ab adoleſcentia vſque ad perfectum augmentum varias ætates induat, vt reliquas mutationes omittamus. Atque ita ſequetur, vt falſum ſit Euãgelium, & inanis prædicatio, & ſtulta fides. Quemadmodum igitur carnem aſſumens mutatus non eſt, ſic mentem ſuſcipiens non eſt immutatus.

Ex eadem oratione.

SI diuinæ humanitatis aſſumptioni mentem fuiſſe putat impedimento, & libentius eam ſine mente Deum exiſtimat aſſumpſiſſe, ergo ſine mente eſſe beatius arbitratur.

Ex eadem oratione.

VTra magis propria, quæ Deo coniungeretur, inuenta eſt, craſſáne, terrenaq; caro, an mens, quæ nec tactum nec figuram admittit?

Ex eadem oratione.

SI nos homines ſumus ouis illa, quæ aberrauerat, & is, qui eam inuenit, eſt filius Dei, qm̃ totam reduxit, totam etiam aſſumpſit. Nec quod intra illam erat, reliquit, quod autem foris, geſtauit, id, quod vult Apolinarij dementia. Quod autem paſtoris humeris geſtatum, hoc eſt, Domini Diuinitati adhibitum eſt, id vnum cum ipſo per aſſumptionem effectum eſt.

Ex eadem oratione.

DOminum in ſeruili figura apparuiſſe concedit. ſeruus igitur, cuius figuram Dominus induit, integer erat, an mutilatus? ideſt, corpus'ne, & animam rationis, ſeu mentis compotem habebat? ſi aliqua harum partium mancus erat, id oſtendant, neque.n. animam rationis expertem habuit, qui peccauerat, cuius ipſe formã ſuſcepit. Sin erat integer, & integrum illud fuit, quod aſſumptum eſt. At homo, inquit, non erat, ſed quaſi homo, quia non erat eiuſdem cum homine eſſentiæ, quantum ad mentem pertinet. Si eiuſdem non erat eſſentiæ, ergo diuerſæ. Quorum autem eſſentiæ ratio diuerſa, horum nec eadem natura nec nomen. Quare ſi aliud quid per eſſentiam erat, non autem homo, niſi quatenus ſpeciem & figuram

guram hominis præferebat, re autem vera secundum naturam diuersus erat, ex his colligitur, ficta simulataq; fuisse, quæ ad vnigeniti vitam humanitatemq; assumptam spectant, ab ortu eius, vsque ad sepulturam & resurrectionem.

Ex eadem oratione.

QVi quod maximè proprium est hominis, id est, mentem aufert, is, quod reliquum est, iumentum ostendit, iumentum autem non est homo.

Ex eadem oratione.

SI, quemadmodum inquit Apolinarius, mens hominis diuina natura facta esset, magnitudine æquales & pares inter se essent Diuinitas & mens humana. Quod enim locum explet alterius, æquale illi est. Sin Diuinitate mens est inferior, id quod in eam conuersum est, in deterius est commutatum.

Ex eadem oratione.

MOrs, inquit, hominis mortem non destruit. Quid autem colligens hoc asseruit? Illudne? Vnigeniti Diuinitatem occidisse? Sed quónam pacto vita queat interire & mori, dicant, qui nesciunt, quid loquantur.

Ex eadem oratione.

SI, quemadmodum sentit Apolinarius, Vnigeniti Diuinitas occidit, cum illa nimirum occidit & vita, & veritas, & iustitia, & bonitas, & lux, & potentia, & vno verbo, quicquid est filius, & nominatur. Quando igitur hæc cum filij Diuinitate per mortem extincta sunt, non erat apud patrem sapientia, aut potentia, aut vita, aut aliud eorum quicquam, quæ filius & est, & appellatur.

Ex eadem oratione.

SI potentia patris, seu filius, aut verbum occidit, quænam alia potentia potentiam mortuam in vitam reuocauit, vt alia incommoda prætereamus?

Ex eadem oratione.

SI omnia, quæ pater habet, filij sunt, qui patris habet omnia, ipsius nimirum habet etiam immortalitatem. Qui autem mori potuit immortalitas?

Ex eadem.

QVemadmodum Christus mortuus est, & resurrexit, sic & nos, inquit Apostolus. Quid nos? Qui natura propria sumus diuina potentia, an caro & sanguis, vt scriptum est? Quod ergo nos sumus per essentiam, id erat & is, qui pro nobis mortuus est, cuius similitudo nobis, qui eiusdem generis cum illo sumus proposita est ad imitandum. Quid est illud, quod moritur, & corrumpitur? Nónne caro quidem in terram resoluitur? Mens autem cum anima permanet, neque corporis mutatione, quantum ad essentiam pertinet, læditur. Id argumento sit, quòd eorum, quæ in terra geruntur, Diues ille meminit, & precatur Abraham pro fratribus suis. Hoc autem amentiæ nemo ascripserit, quod necessariorum curam gerat, eisq; prospiciat, ne & ipsis similia contingant. Quemadmodum si mens nostra permanet etiam post mortem, nullis obnoxia mutationibus, quomodo cõsentaneum sit, illum Apolinarij trium partium Deum carnis mortem oppetiisse?

Item aduersus Apolinarium. Sancti Cyrilli ex oratione de humanitate a Verbo assumpta.

APolinarius nugas, & commentitia sua inuenta veritati & piis institutis atq; decretis anteponens, carnem quidem assumpsisse dicit Verbũ Dei, eaq; tanquam velo quodam vsum esse, mente verò nõ indiguisse, sed ipsum fuisse corpori, loco mentis. O vir optime, dicat aliquis ad Apolinarium, ne corpore quidem indiguit Deus verbum, cùm re nulla egeat, & iussu solo potuit salutem nostram peragere, sed voluit, nos quoque aliquam ad rectè agendum habere societatem. Itaque naturam, quæ peccauerat, suscipiens, eamq; propriis laboribus iustam reddens, & à sæuis illam tyrannis, nempe peccato, diabolo, & morte liberauit, & cœlestibus sedibus dignam effecit, & per id, quod assumptum est, vniuerso generi libertatem impertiuit. Verùm nihil horum animaduertens vir sapientissimus, clarissimum Theologiæ præconem Euangelistam Ioannem dementiæ suæ suffragari arbitratur, dum ait, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, cum tamen non ignoret, hunc esse morem scripturæ diuinæ, vt sæpe totum à parte nominet, & modo per animam totum hominem significet, modo per carnẽ totum animal ostendat. Omnes enim, inquit, animæ, quæ cum Iacob ingressæ sunt in Aegyptum, fuerunt septuagintaquinque. Perspicuum est autem, filios, nepotesq; Iacob non fuisse corporis expertes. Sed ex parte totum Historicus declarauit. Et rursum, anima, inquit, quæ peccauerit, ipsa morietur. Nemo enim nouit, animam sine corpore vnquam peccasse. Et rursum, Non manebit, inquit, spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Et alibi Propheta, omnis, inquit, caro, fœnum, & omnis gloria eius, sicut flos fœni. Et beatus Dauid, recordatus est, inquit, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens. Nemini autem dubium est, hos animam habuisse, & quos accusat, & quibus præcipit, & quorum naturam interpretatur. Quid? quòd non eos solum, qui reprehenduntur, sed illos etiam, qui in primis laudantur, carnem appellari comperies? Testis sit beatus Paulus, Quando autem, inquiens, placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, continuo non acquieui carni & sanguini, neque veni ad antecessores meos Apostolos. Quòd si non solum sensus & mortalitas, sed tota hominis natura per carnem intelligitur, manifestum est, cùm dicitur, Verbum caro factum est, significari non id solum, quod cernitur in animali, sed totum hominem. Neque diuinam essentiam in carnem esse conuersam, sed humanam naturam assumptam à Deo verbo. Quemadmodum enim illud, Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum, non ipsius bonorum fontis in maledictum significat mutationẽ, sed liberationem, quæ per ipsum facta est, & illud, factum esse peccatum pro nobis, qui peccatum non nouit, non iustitiam significat immutatam, neq; enim mutatur Deus, vt ipse per Prophetam clamat, Ego inquiens, sum, & non mutor, sed peccata nostra ab ipso fuisse suscepta, Ecce. n. inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, sic illud, Verbum caro factum est, non Diuinitatis mutationem, sed humanæ naturæ susceptionem declarat. Nam ineffabilem Dei benignitatem

prædicans Euangelista, docuit, eum, qui est in principio, & Deus est, & est apud Deum, & nunquam non est, qui cuncta fecit, qui ea, quæ non erant, auctor fuit, vt essent, qui vita & lux est vera, mortalem naturam suscepisse, & hominum affectiones sibi proprias asciuisse, vt ipsis hominibus salutem compararet. Cumq; vehementius vellet Euangelista beneficij magnitudinem indicare, non animæ immortalis, sed carnis patibilis, mortalis, quæ corrumpitur, quæ ex luto confecta est, mentionem fecit, & ex parte naturam totam indicauit. Vt ea, quæ sequuntur, ostendunt, Verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis. Aliud autem est id, quod habitauit, quantum pertinet ad naturæ rationem, aliud id, in quo habitauit. Quapropter & Iudæis dicebat, soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Porrò templi solutio est animæ corporisq; disiunctio. Mors enim est animæ à corpore separatio. qua quidem animæ separatione templi consequitur dissolutio. Quare si Iudæi templum dissoluerunt cruce & morte ipsum afficientes. templi autem dissolutio, est coniunctorum separatio, templum verò dissolutum Deus Verbum excitauit, nemo sanus, vt arbitror, non clarè perspicit, Deum Verbum non animæ nec mentis expertem, sed perfectum hominem suscepisse. Nam si animæ immortalis loco Deus Verbum in assumpto corpore extitisset, Iudæis dixisset, soluite me, & in tribus diebus me excitabo. Nunc autem declarans & templi mortalitatem, & Diuinitatis inhabitantis potentiam, soluite, inquit, templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Non enim, inquit, ego dissoluar à vobis, sed templum à me susceptum ita dissoluetur, vt meliorem resurrectionem assequatur, vt mortalem ipsam deponat naturam, vt corruptionem exuat, vt induat incorruptionem, vt mortis imperium euertat, vt primitiæ dormientium fiat, vt solutis corruptionis doloribus, primogenitus è mortuis ostendatur, & per resurrectionem suam bonum omnium hominum resurrectionis nuncium afferat.

Ex eadem oratione.

HAec autem sic habere testatur princeps Apostolorum, in libro, quo res ab Apostolis gestæ continentur, Quoniam, inquiens, in inferno non est relicta anima eius, nec caro ipsius vidit corruptionem. Itaque templi solutio nihil aliud est, nisi animæ à corpore seiunctio. Resurrectio verò nihil aliud nisi animæ ad propriam carnem reuersio. si igitur, vt asserunt ij, qui in hæresi, quam commemorauimus, principes sunt, binas animas singuli homines habent, vnam, quam ratione præditam, & alteram, quam vitalem appellant, caro sine vitali anima nunquam censebitur, sed corpus, aut cadauer potius appellabitur. Petrus autem dixit, non corpus, sed carnem Domini non vidisse corruptionem, & animam eius non fuisse in inferno relictam. Constat igitur, carnem, quę corrupta non est, habuisse animam, quam isti nescio quomodo vitalem vocant, sine qua, vt aiunt, caro non posset appellari. Immortalis verò illa rationeq; prædita, & quæ in animali obtinere creditur principatum, in inferno relicta non est, sed ad propriam carnem rediit, & inanes effundunt nugas, qui Dei Verbi templum animæ & mentis expers appellant. Nos vero Petrum sequamur clara voce dicentem, nec carnem eius admisisse corruptionem, nec animam ipsius in inferno relictam fuisse, sed rediisse, & proprio fuisse corpori coniunctam. Credamus & ipsi Domino dicēti, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Quòd si tristitiæ sensum habet anima, quæ in nobis est ratione prædita, & illius partes egit Deus Verbum, affectionesq; suscepit, ipse nimirum & mœstus fuit, & timuit, & ignorauit, & angore affectus est, & angelico auxilio confirmatus est. Quæ si dixerint, qui stultas Apolinarij nugas sequuntur cum Ario & Eunomio Christum oppugnantibus numerentur. Quorum enim paria sunt maledicta, horum vnam etiam societatem esse par est. Nos autem audiamus Dominum dicentem, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eā. Nemo tollit eam à me, Quibus ex verbis intelligimus, alium esse qui ponit, & aliud id, quod ponitur, & Deum esse qui ponit, & iterum sumit, animam verò quæ ponitur, atq; iterum sumitur. Et Deum esse, qui potestatem habet, animam verò, quæ illi subiecta est potestati.

Eiusdem ex oratione, quam Theodosio Imperatori nuncupauit.

SVnt qui carnem Verbo coniunctam animæ ratione præditæ dicant expertem esse. Verbum enim carne vitæ, sensusq;, & motus participi indutum in mundū producunt, mentis autem atque animæ actionem tribuūt vnigenito. Metuunt enim verbum carni humanæ, quæ anima ratione prædita naturaliter animata sit, coniunctum esse confiteri. Hi diuinitus traditæ, atque antiquissimæ fidei instituta paruifaciunt omnino, & voluntate propria tantum, atque argumentis humanis temere innituntur, & profecto sapiunt, præter id, quod sapere oportet. Cur autem ita sentiant, explicabo. Nos ex scripturis asserimus mediatorem Dei atque hominum ex humanitate nostra, quæ perfectè ratione propria se habet, & ex naturali, qui apparuit, filio Dei, hoc est, Vnigenito constare. Et conuentum atque concursum quendam, qui verbis explicari non potest, ad inæqualium dissimiliumq; naturam coniunctionem esse factum affirmamus. Vnum tamen Christum, & Dominum, & filium agnoscimus, qui in eodem & est, & intelligitur Deus simul atq; homo, & coniunctionem, quæ nullo pacto separetur, seruare consueuimus, eundem esse credentes & Vnigenitum & Primogenitum, Vnigenitum quidem vt ex Deo patre verbum, & ex ipsius essentia apparens, Primogenitum autem, quatenus homo factus est, & in multis fratribus. Quemadmodum enim vnus est Deus pater, ex quo omnia, sic & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Deum enim natura Verbum agnoscimus, per quem omnia. Et quanuis caro factum sit, id est, homo, non tamen ipsorum opiniones congruunt iis, quæ nos de ipso sentimus. Etenim cùm vnum & ipsi Christum fateantur, respuunt tamen, vt admodum impium, in duo Emanuelem separari. Attamen omnia humana, rationeq; prædita carnem spoliantes, ei dicunt Dei Verbum fuisse coniunctum. Porrò ad hoc probandum verisimilem, vt ipsi putant rationem excogitauerunt. Quæ enim, inquiunt, ad vnius perfecti compositionem concurrunt, partes, & ex imperfectis videri solent, illius, quod perfectè per se habet, & tanquam in natura propria compositionis ex partibus non indiget. Itaque cauendum est, inquiunt, ne detur perfectus homo, qui vt templum Verbo copuletur, vt & compositio, quæ in Christo forte intelligitur, exquisitam, & nulli obnoxiam reprehensioni rationem in se seruet. Quinetiam illud opinor, adiicient. Si ex homine perfecto, & Verbo ex patre dixerimus,

Emanuelem constare, non mediocriter verendum esse, immo verò planè vitari non posse, ne temerè duos filios, & duos Christos esse sentire & dicere videamur. Quid nos ad hæc? Primùm antiquissimæ fidei instituta, quæ ab ipsis sanctis Apostolis tradita ad nos peruenerunt, immodico subtilitatis studio non esse dissoluenda, neque ea, quæ mentem superant, summis inuestigationibus subiicienda, neque debere in medium prodire quosdam veluti definitores, hoc rectè, illud secus habere, dicentes, Sed oportere, & verè latius esse, Deo sapientissimo propriæ considerationis viam tribuere, non autem impiè reprehendere, quæ apud ipsum rectè habere iudicata sunt. Audiemus enim eum apertè dicentem, Non sunt consilia mea vt consilia vestra, neque sicut viæ vestræ, viæ meæ, sed sicut distat cœlum à terra, ita distat via mea à via vestra, & cogitationes vestræ à cogitatione mea. Nullo autem modo filios duos adorabimus, neque Christos dicemus duos, licet templum Verbo coniunctum anima ratione prædita animatum esse credamus. Quemadmodum enim ex eo, quod ab ipsis probatur, licet ex sola carne, & ex Verbo, quod ex Deo & patre prodiit, dicatur constare, nemo tamen illis vlla ratione persuaserit, vt vna in parte carnem, & in altera Vnigenitum ponentes geminos Christos fateantur, sic & nos, licet cum natura nostra, quãtum ad naturę rationem attinet, perfecta, Dei verbum ratione, quæ nec verbis efferri, nec cogitatione comprehendi potest, coniunctum & vnitum esse dicamus non tamen geminos filios cogitamus, sed vnum & eundem, qui natura quidem est Deus, existitq; ex Dei & patris essentia, sed in extremis seculi temporibus factus est homo, & ex sancta, & Dei genitrice natus est, & à nobis, & à sanctis Angelis adoratur secundum scripturas. Quod si dixerint genus humanum solo indiguisse aduentu ipsius Vnigeniti, qui cùm vellet iis, qui sunt in terra, se conspicuum præbere, & cum hominibus versari, & Euangelicæ vitæ viam nobis demonstrare diuino consilio similem nostræ carnem induit, cùm in propria natura cerni non posset deprehendẽtur humanitatis assumptæ propositum, magnumq; pietatis mysterium pœnitus ignorare. Nam si eo tantum consilio carnẽ, seu humanitatem assumpsit Vnigenitus, vt conspicuus hominibus fieret, & humanæ naturæ nihil aliud adiunxit, nónne melius ac sapientius esset, nos item in eorum, qui opinantes dicuntur, sententiam descendere, qui anima simul, ac terreno corpore Verbum induentes, visum quidem in terra tanquam hominem fabulantur, aberrare tamen à veritate haud magno cum sudore reperiuntur? Quæ igitur fuerit aduentus & carnis assumptæ ratio, & quam ob causam assumpta fuerit, si quis forte requirat, is à nobis vicissim audiet, Diuinam id scripturam docere. Abi igitur, generose, sacras literas cõsidera, & sanctorum Apostolorum scriptis, mentis oculum intendens planè percipe, quod requiris. Sapiens igitur Paulus, qui Christum habebat in seipso loquentem, Quoniam, inquit, & pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat carnis imperium, id est, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam erant obnoxij seruituti. Et alibi quidem rationem exponens, Nam. quod, inquit, impossibile erat legi, in quo infirmabatur, per carnem, Deus filium suum mittens, in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Nónne igitur adeo manifestum est, vt nemini obscurum esse debeat, Vnigenitum esse factum, quales nos sumus, id est, perfectum hominẽ, vt terrenum corpus nostrum ab introducta morte vindicaret? coniunctionis suæ consilio propriam ipsi vitam impartiens. humanamq; animam sibi asciscens, eam peccato superiorem declarauit, quod firmum & immutabile erat naturæ propriæ, ei tanquam velleri colorem aspergens. Oportet enim, opinor, vt his rebus obscuris explicandis adhibeamus exempla. Nam mysteria diuina mentemq; superantia vix in speculo & in ænigmate videmus. Quemadmodum igitur, quia facta est caro verbi cuncta viuificantis, mortis & corruptionis imperium superat; sic mea quidem sententia, quoniam facta est anima illius, qui peccatum non nouit, firmam habet atque immutabilem in omnibus bonis stabilitatem, quæ peccato quondam nobis dominante sine comparatione firmior est. Primus enim & solus homo in terra Christus peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Positus autem tanquam radix, & primitiæ eorum, qui in nouitatem vitæ reformantur in spiritu, corporis immortalitatem, & ex diuinitate securitatem, & firmamentum quodammodo impertit, & per gratiam in vniuersum iam genus humanum effundit. Quod quidem sciens Paulus ille diuinus, sicut portauimus, inquit, imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Imaginem terreni propensionem ad peccatum appellauit, & mortem, quæ inde ad nos prouenerat. Imaginem verò cœlestis, id est Christi, firmamentum ad sanctitatem, & ex morte corruptioneq; reditum & renouationem ad incorruptionem & vitam. Totum igitur toti humanitati nostræ coniunctum esse dicimus verbum Dei. Neque enim quod in nobis præstantius erat, nempe animam, negligens, soli carnì gratiam aduentus sui largitus est. Sed per vtranque dispositionis mysterium præclarè gessit. Ad carnis autem opera, & infirmitates naturales, & quæcunque à reprehensione remota erant, propriam carnem tanquam instrumentum adhibuit; animam verò ad humanas affectiones, quæ a culpa erant alienæ. Esurire enim dictus est, & lassitudinem ex longis itineribus sustinere, pauoresq;, & timores, & mœrores, atque angorem, & mortem in cruce. Nemine enim cogente propriam animam pro nobis posuit, carnem quidem propriam pro omnium carne verè dignum munus pendens, animam verò pro omnium anima pretium soluens, & si reuixit, cùm tanquam Deus esset ipsa vita. Nam diuinus quidem Petrus, viri fratres, inquit, liceat audacter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iure iurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Nefas enim est dicere, carnem, quæ verbo coniuncta est, potuisse vnquam à corruptione superari, aut intra portas inferni diuinam animam fuisse captiuam. Non igitur relictus est in inferno, vt ait diuinus Petrus. Neque enim naturam, id est, Diuinitatem Vnigeniti, quæ nullo pacto à morte capi & detineri potest, ex infernis specubus dicemus reuertisse. Nam admiratione res digna non esset, si in inferno mansisset Dei verbum, quod Diuinitatis vi, atque natura, ratione admiranda, & mentem superante, omnia complet, & est in omnibus. Deus enim supra locum est, magnitudinisq; mensuram, ipse verò à nemine comprehendi potest. Illud verò inusitatum, atque omnium admiratione dignum est, quòd cor-

pus natura corruptibile reuixerit. Erat enim verbi incorruptibilis proprium. Anima item, quæ cum ipso concurrit, coniunctaq; est descendit illa quidem in infernum, sed diuina virtute & potestate inter illos etiã, qui illic erant, visa esse deprehendit. Etenim ad eos, qui in vinculis erant, Exite, inquit, & ad eos, qui in tenebris, reuelamini. Ac mihi tale quiddam dixisse videtur Diuinus etiam Petrus de verbo Dei, deq; anima, quæ, ab illo coniunctionis dispensatione assumpta est. Dum Christus, inquit, semel pro peccatoribus mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu, in quo, & iis, qui in carcere erant, spiritibus, veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando. Neq; enim, opinor, dixerint Vnigeniti Diuinitatem per se ad inferos descendisse, & spiritibus, qui illic erant, prædicasse, cùm videri minime posset, præstantior enim semper est Deus, q̃ vt cerni queat. Ac ne aspectu quidem & figura in animæ formam dabimus fuisse commutatam. Aspectus enim & species in Deo, nullo modo concedenda est. Sed quemadmodum cum illis, qui in carne erãt, cum carne versatus est, sic etiam animabus, quæ erant in inferno cum anima prædicauit, proprium habens indumentum animam, quã assumpserat. Deus igitur existens, & omnium Dominus Vnigenitus, vt scripturæ testantur, apparuit nobis. Visus est enim in terra, & splenduit iis, qui erant in tenebris factus homo. Non aspectu & specie, absit. Insani enim sit id sentire, aut loqui. Neque in carnem conuersus & commutatus. Immutari enim non potest verbum Dei, quod semper & in eisdem, & eodem modo se habet. Sed nec eodem tempore cum carne est, quantum pertinet ad essentiam. Est enim effector seculorum. Neque est, vt verbum pronuntiatum sine subsistentia, neq; vt verbum nudum in homine. Quod enim vocauit ea, quæ non erant aliquãdo, vt essent, & fierent, ante fuit ipsum necessario. Est enim vita ex Deo & patre, qui & est, & intelligitur vita, secundum propriam personam. Verùm nec solam induit carnẽ, quæ ab anima ratione prædita seiuncta foret. Verè enim natus est ex muliere, & apparuit homo, qui viuit, & existit, & est æternus cum Deo & patre Deus verbum, serui formam accipiens. Et sicut est in Diuinitate perfectus, sic est perfectus in humanitate, non ex sola Diuinitate & carne in vnum Christum, & Dominum, & filium compositus, sed ex duobus perfectis, humanitatem dico, & Diuinitatẽ, in vnum & eundem mirabili ratione coniunctus.

Eiusdem ex oratione ad Reginas habita.

NVnc anima mea turbata est, & quid dicam? pater serua me ex hac hora, Sed propterea veni in horam hanc, pater, glorifica filium tuum. Et rursum. cœpit tristari & tædere, & dicere, tristis est anima mea vsque ad mortem. Et rursum. Et clamans voce magna Iesus dixit, Pater, in manus tuas commendo spiritum meũ. Qui Apolinarij opinione victi sunt, & qui decreta ipsius sibi comprobanda delegerunt, quiq; animæ, ac mentis expers esse contendunt templum coniunctum, quid dicent ad hæc, quæ sancti Euangelistæ de nostro omnium Domino Christo nobis scripta reliquerunt? Timorem enim, & mœstitiam, & formidinis causas suscipere diuinam & supremam illam verbi naturam planè nefas est dicere. Nec vllo modo concedendum est, illam in his vnquam fuisse, aut perturbationes nostras, suscepisse. Neque rursum corpus anima menteq; carens mœstitia fuisset affectum, aut quicquam triste cogitare, metumúe ex rerum futurarum expectatione suscipere potuisset. Quæ sanè omnia consensu quidem omnium, vt arbitror, animæ ratione præditæ contingunt, mente cùm præsentia, tum etiam futura consideranti. Qũo igitur dixit Emanuel, Nunc anima turbata est? aut qũo cœpit tristari, & angi? Præterea quid sibi illud vult, q̃ in manus Dei, & patris spiritum commendauit? si hæc & à Diuinitate aliena sunt, & à sola carne, quæ careat anima, nónne perspicuum est, Vnigenitum factum esse hominẽ, nec corpus animæ ac mentis expers, sed anima ratione prædita perfectaq;, quantum pertinet ad ea, quæ naturæ ipsius congruunt, animatum suscepisse? Et quemadmodũ asciuit omnia, quæ corporis proprij sunt, sic etiam, quæ sunt animæ. Oportebat enim, vt omnibus in rebus tum ad corpus, tum ad animam pertinentibus talis, quales nos sumus, existeret. Nos autem ex anima ratione prædita corporeq; constamus. Et quemadmodum dispensatione concessit propriæ carni, vt omnia, quæ ipsius sunt propria, pateretur, ita rursus animæ permisit, vt quæ ipsius propria sunt, sustineret. Et cùm esset natura Deus, & rebus omnibus procreatis præstaret, vbique tamen exinanitionis mẽsuram seruauit. Porrò spiritum proprium, idest, animam sibi coniunctam Deo & patri commendauit, vt nobis ea re quoque prodesset. Olim enim hominum animæ à corporibus solutæ in specus sub terram demittebantur, reliquas mortis partes absoluentes. At posteaquam Christus spiritum proprium patri commendauit, & nouam hanc nobis viam inuenit, non in infernum ibimus, sed potius in hoc quoque ipsum sequemur, & fideli creatori animas nostras commendantes, in bona spe sumus. Omnes enim Christus in vitam reuocabit.

Eiusdẽ ex oratione de humanitate a Verbo assumpta.

HAec stultas Apolinarij nugas coarguunt, qui mentis loco, Deum verbum in carne assumpta dicit inhabitare. Nisi enim mentem humanam habuisset assumpta natura, Deus fuisset is, qui cum Diabolo decertasset, Deus victoriam reportasset. Ex qua quidem victoria Dei nihil ego emolumẽti perciperem, quippe qui nihil ad eam contulissem. Quinetiam nihil inde lætitiæ degustarẽ, cùm alienis tropheis gauderem. Iam verò & Diabolus exultaret, & gloriaretur, sibiq; ipse placeret, & plauderet, qui cum Deo luctatus esset, & à Deo victus fuisset. Præclarum enim foret illi, à Deo vel superari.

Ex eadem oratione.

EXcusationem haberent peccatores, si Deus verbum mentem vtpote imbecillam non suscepisset. Si enim assumptæ carni mens humana non inerat, sed Deus ea, quæ mentis sunt, exequebatur, Deus in corpore esuriebat, Deus sitiebat, Deus defatigabatur, Deus dormiebat, Deus tristabatur, Deus pauebat, Deus denique reliquas omnes affectiones sustinebat. Quòd si Deus ipse certauit, & vicit, ego victoria priuatus sum, Deus autem iustitiam omnem peregit. Qui hæc loquuntur, primùm non exiguã Deo verbo tribuunt infirmitatem. Siquidem, vt ipsi asserunt, non poterat humana mente suscepta hominem iustum efficere. Deinde omnibus peccantibus diuinasq; leges violantibus excusationis aditum patefaciunt. Sic enim nec immerito Deum omnium alloquantur, Domine, nos non admisimus ea, quibus venia non debeatur, aut quæ supplicio digna sint, cùm mentem, cuius ducta regimur, imbecillam acceperimus, quæ leges tuas obseruare non potest. Ac tu quidem ipse, Domine, in carne adueniens, carnem quidem nostram suscepisti, mentem vero, quæ asse

assequendæ virtuti affert, impedimentum, & peccati dolo facile succumbit, reiecisti, & accipere recusasti, & tu in carne mentis munere functus es, & hoc modo iustitiam impleuisti hoc modo peccatum superasti, Deus enim es & voluntate, quod vis, exequeris, & nutu res conficis. Nos autem, qui mentem habemus, quam tu accipere noluisti, necessario peccatis cedimus. Cùm vestigia tua sequi nequeamus, Quid enim humana est mens, si cũ Dei virtute, & cũ Dei sapientia, & luce, & iustitia, & vita, & aliis essentiæ tuæ dotibus, quæ tanquam radij, & faces ex natura tua fulgent, conferatur? Hæc merito dicere poterunt, qui peccato sibi seruiendum iudicarunt, si verè Deus verbum hominem mentis expertem assumpsit, & hoc modo vitandi peccati rationem inuenit.

Ex eadem oratione.

SEd nugas istorum in præsentia omittentes ad propositum reuertamur, ostendamusq; seruatoris nostri dispensationem factã esse necessario. Etenim cùm omnis homo fuisset deceptus, peccatoq; deseruiret, & mens prius, quam corpus fraudem pertulisset, prius enim mẽtis consensus adũbrat peccatum, deinde re ipsa corpus ipsum exprimit, meritò Dominus Christus cùm naturam, quę ceciderat, vellet excitare, vniuersę manum prębuit, & iacentem erexit, carnem dico & animum, qui ad creatoris imaginem creatus est. Quippe qui nec videri, spectarique potest, nec percipi, aut cõprehendi, cum neque seipsum intelligat, neq;, si cogitationis consideres vim, circunscribi, principatuq; & potestate decoratus est, & artibus ac sciẽtiis exornatus, paruus quidam & nouus opifex, vel, vt verius dicã, opificis imitator, rerum procreatarum, quæ cernuntur, Rex, aut Regis imago, tributa colligens ex terra, ex mari, ex aëre, ex sole, ex luna, ex stellis, ex cœlo, ex nubibus, ex pecudibus, ex bobus, cæterisq; iumentis, immo verò omnes eorum fructus percipiens. Propter ipsum.n. facta sunt omnia, quæ cernuntur, Nam Deus eorum non eget. Hunc igitur tam præclarum animum & mentem cu rationis indigentem non despexit Deus. Nec hominis partem, quæ corrumpitur, quæ morbo, quæ senectuti, mortiq; deseruit, suscepit, immortalem verò rationeq; præditam, & ad eius factam imaginem despexit, præsertim cùm ægrotaret, sed omnem vetustate affectam naturam instaurauit. Neque id, quod in ea nouum erat, ornauit. quod autem vetus & corruptum reliquit incuratum, præsertim cùm maximo esset honore, atque immortalitate, rationeq; pręditum, & rerum intelligibilium conditionem ac dignitatem assecutum. Absurdissimũ enim foret, si corpus quidem è cœno, ac puluere constans, & perturbationibus obnoxium, fuisset assumptum, & receptum, atque ad maiestatis dexteram consederet, mens autem, quæ nõ cernitur, quæ est immortalis, quæ obtinet principatum in animali, quæ ad imaginẽ Dei facta est, quæ corporis est dux, & moderatrix, quæ concentum continet, per quam humana natura bestiis præstat, & sapientiæ atque artis ac scientię plena est, reiecta, ne corporis quidem honorem obtineret, cùm per illam corpus inter res procreatas, quę ratione sunt præditæ, censeatur, & per illã legis lationes, & prophetiæ, & certamina, & pugnæ, & victoriæ, & prædicationes, & coronæ, & per illam corpus etiam simul pugnans præmium laborum accipiat, regnum cœlorum, & propter illam Dominus noster aduenerit, & dispensationis mysterium transactum sit. Neque enim pro rebus animæ ac mẽtis expertibus, aut pro iumentis insipientibus, aut lapidibus inanimis, sed pro hominibus immortalem in se animã incolentem obtinentibus, cruciatus pertulit salutares.

Item aduersus Apolinaristas Damasceni. *Caput.* LXXXII.

DEum perfectum & perfectum hominem Christũ dicentes, omnia, quæ & patris & matris sunt, naturalia tribuemus. Factus enim est homo, vt quod victum fuerat, vinceret. Neque enim difficile erat ei, qui omnia potest, omnipotenti auctoritate & potentia sua ex tyranni dominatu hominem eripere. Sed conquerendi occasionem tyrannus habuisset, si ipse, qui hominem vicerat, vinceretur à Deo. Quamobrem cùm vellet clemens & misericors Deus, ipsum, qui ceciderat, victorem declarare, factus est homo, vt re simili similem reuocaret. Hominem verò animal esse ratione menteq; præditum nemo negabit. Quomodo igitur hominem induens, carnem inanimatam, aut animã mentis expertem suscepit, cùm homo id non sit? Præterea quid nobis profuit, eum esse factum hominem, si id, quod in calamitatem primum incidit, non est seruatum, nec Diuinitatis coniunctione renouatum, & confirmatum? Nam quod assumptum non est, curationẽ non sensit. Totum igitur assumpsit hominem, & quod in homine pulcherrimum est, & in morbum inciderat, vt toti salutem elargiretur. Mens autem insipiens & cognitionis expers nunquam erit, si enim iners atque immobilis esset, ne esset quidem omnino. Id quod ad imaginẽ factũ est, cum renouare vellet Deus verbum, factus est homo. Quid autem ad imaginem factum est, nisi mens? Omisso igitur, quod præstantius est, id assumpsit, quod est deterius? Mens enim inter Deum & carnem medium obtinet locum, quippe quæ & cum hac habitat, & illius imago est. Deus igitur cum mente miscetur, & mens inter Dei puritatem carnisq; crassitiem media intercedit. Si enim animã mentis expertem Dominus assumpsisset, ratione carentẽ animam suscepisset. Nam quòd verbum carnem factum dixit Euangelista, sciendum est, in sacra scriptura aliquando aĩam hominem dici, vt eo loco, in septuagnita animabus ingressus est Iacob in Aegyptum, aliquando autem carnem, vt cùm ait, & videbit omnis caro salutare Dei. Non igitur caro animæ, aut mentis expers, sed homo factus est Dominus. Itaque quid me, inquit, cædis hominẽ, qui veritatem locutus sum? Suscepit igitur carnem animatam anima ratione menteq; pręditа, quæ carnem quidem regeret, regeretur autem à verbi Diuinitate.

Ex *scholiis* Anastasii.

CAlumniantur Apolinaristę tum beatum Athanasiũ, tum Iulium Romæ pontificem. Athanasium quidẽ, ꝙ ad Iouianum Imperatorem scripserit, filiũ vnum, esse, non duas naturas, vnam adorandam, & alteram non adorandam, sed Dei verbi vnam esse naturam, quæ carnẽ assumpserit, adorandaq; sit cum ipsa carne. Iulium vero Romæ Pontificem, ꝙ ad Dionysium scripserit, ad hunc modum, Necesse.n. est, vt qui duas asserunt esse naturas, vnam quidem adorent, alteram aũt non adorent. Quòd si in mortem Dñi baptizamur, vnam confitemur esse naturã impatibilis Diuinitatis, & patibilis humanitatis. At Timotheus Polemonis discipulus, qui quidem Polemon Apolinarium habuit præceptorem, librorum Apolinarij conscripsit indicẽ, & has epistolas, in quibus reperiuntur hęc duo, quæ dcta sunt, in ipso indice ipsi Apolinario ascripsit.

TITVLVS DECIMVSQVARTVS

Aduersus Nestorianos. sancti Cyrilli ex sancti symboli interpretatione.

QVI Christum in duos filios diuidũt, audentq; dicere, Deum Verbum sibi ex semine Dauidis hominem adiũxisse, eiq; gloriam, & honorẽ, & adoptionis dignitatem tribuisse, atque ita eum præparasse, vt crucem sustineret, & moreretur, & reuiuisceret, & in cœlum ascenderet, & sederet ad dexteram patris, vt ab omnibus rebus procreatis adoretur, & Dei nomine honores percipiat isti duos primùm filios cõstituunt, deinde mysterij vim insipienter inuertunt. Nõ enim ex hominibus Deus factus est Christus. Sed cùm Deus esset verbum factum est caro, id est, homo, Et exinanisse dicitur seipsum, quòd ante exinanitionem in natura propria vti Deus plenitudinem haberet. Neque enim ex eo quòd inane esset, plenũ euasit. Exinaniuit semetipsum ex diuina sublimitate & immensa gloria, non autem homo humilis & abiectus existens exaltatus & gloria affectus est. Serui formam suscepit, vt qui liber esset, non autem vt seruus ad libertatis gloriam ascendit.

Eiusdem coaceruatio dictorum Euãgelicorũ, & Apostolicorum, quibus Cristum esse Deum, non autem nudum hominem, comprobatur. Hæc aũt coaceruatio ex Thesauro cum delectu deprompta est.

CVm autem natus esset Iesus in Bethleem Iudææ. Natus est in Bethleem Iudææ, qui ex radice Iessę. At per vnum è Prophetis de ipso loquitur Deus & pater, Et tu Bethleem domus Ephratha non minima es in milibus Iuda, ex te enim exibit, qui sit princeps in Israële. Et exitus eius à principio ex diebus seculi. Quomodo igitur, qui in Bethleem Iudęę natus est à principio seculi exitum, id est, existendi principium habere dicitur, præsertim cùm extremis seculi temporibus natus sit? Deus ergo nimirum est Christus. Et ei congruit, quod in tempore est antiquissimum. Deus enim erat, qui propter nos carnis ortum ex muliere subire voluit.

Et ecce leprosus accedens adorabat eum dicens, Domine, si vis potes me mundare. Et extensa manu tetigit eum, dicens, volo; mundator? Et statim curata est lepra eius. Sic agere, vt Deum decet, non est hominis proprium. Sed eam potius & solam naturam sequitur, quæ rebus omnibus præstat. Sic autem Christus agit, non ergo simplex est homo, quales nos sumus, sed Deus in forma humana. Sic etiam intelliges de socru Petri. Et cùm vẽtos, & mare, et aquã increpuit Ex quo diuini discipuli ventos, & mare quiescere videntes admirati sunt, & dixerunt, quis est hic? Non. n. simplicis erat hominis, talia posse perficere. Deus igitur idẽ atque homo, Christus. Tunc dicit discipulis suis, Messis quidem multa, operarij autẽ pauci. Rogate igitur Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Et cùm aduocasset duodecim discipulos suos, dedit eis potestatem aduersus immundos spiritus, vt eiicerent eos, & curarent omnem morbum, & omnem infirmitatem. Nouit esse Dominum messis eum, qui rerum est omnium Deus. Ipsius enim est area intelligibilis, hoc est, humanitas. Ipsius est & messis. Sed ecce, cùm præcepisset, vt orarent Dominum messis, statim, seipsum illum esse demonstrauit, mittens operarios, hoc est, sanctos Apostolos, quibus dedit etiam potestatem in spiritus immundos, tanq̃ Deus. Non est humanitatis mẽsuræ tribuere Sancti spiritus actionem. Tribuit autem Christus. Est igitur & natura & veritate Deus. Verbum enim caro factum est.

Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Multi sanctorum ad martyrij gloriam vocati sunt & euaserunt perfecti per cruciatus & mortem confitentes Christum. Coronatine igitur sunt, affirmantes & dicentes, Christum esse conmunem hominem, an potius confessionibus suis eum vt Deum venerantes? Non est dubium. Cùm & illi, qui id negarunt, martyrij gloriam amiserint, & se negatos inuenient à Christo in die iudicij. Q̃uo igitur Deus non sit, qui martyrij gloria coronat eos, qui Deum ipsum esse verè confitentur?

Nescitis in lege, quòd in sabbatis sacerdotes violant sabbatum, & sine culpa sunt. Dico autem vobis, quòd templo maior est hic. Si sacerdotes sabbatum violantes sine culpa sunt, quia Deo ministrant, quomodo iis, quæ in templo fiunt, maius est Christi ministerium? Nónne quoniam illi in lege, & vmbra, & exemplari cœlestium cultum exhibuerunt? Diui autem discipuli asidentes & ministrantes Christo maiorem etiam gloriam habuerunt? Et si legis cultu præstantior est is, qui Christo exhibetur, cur nõ verè puteť Deus. Quòd si ego, inquit in Beelzebub, eiicio Dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Propterea ipsi iudices vestri erunt. Si in Christi nomine à Dæmoniis vexatos curabant discipuli, Pronuntiabant enim in nomine Iesu Christi Nazareni, cur nõ intelligatur esse Deus verus? Nõ enim hominis gloria & vis fuisset satis ad Satanam expugnandum.

Quemadmodum zizania colliguntur, & igni comburuntur, sic etiam erit in consumatione seculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent ex regno ipsius omnia scandala, & facientes iniquitatem, & coniicient eos in caminum ignis. Scriptum est de Deo. Laudate Dominum omnes Angeli eius. Nõ enim est Angelus Angeli. Sed Dei potius sunt omnia. Quomodo igiť dixit de filio hominis, Mittet Angelos suos? Quia Deus est, sicut Dominus, habens Angelos, & cœlestes spiritus, qui seruiunt ei.

Venturus est enim filius hominis in gloria patris sui cũ Angelis suis. Ecce rursum Angelos suos appellat cœlestes spiritus. Idq;, cùm dixisset, filius hominis. Cùm autem venerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum ipso, tunc sedebit in solio gloriæ suæ. Num vt vnus eorum hominũ, quales nos sumus, sedebit Christus ipsi astantibus omnibus Angelis, atque ita mundum iudicabit? Qui fieri id queat, cùm scriptum sit, vnum esse legislatorem, & iudicem? Deus ergo est Christus, qui & solium habet, & astantes Angelos, & terram iudicat in iustitia.

Et princeps sacerdotum dixit ei, Adiuro te per Deum viuentem, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dicit ei Iesus, Tu dixisti. Amen dico vobis amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & veniẽtẽ in nubibus cœli. Quomodo filius hominis sedet à dextris virtutis Dei? Nónne quia, licet verbum Dei factum sit filius hominis, est tamen id, quod erat? Iccirco considet cũ genitore, & Diuinitatis dignitatibus fulgens cernitur, quamuis caro factum sit.

Iesus autem clamans voce magna emisit spiritum. Et

ecce velum tẽpli scissum est sursum in duo vsque deorsum. Et terra mota est, & petrę scissę sunt. Et monumẽta aperta sunt. Et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Si communis homo erat Christus, quomodo ipso moriente tãta fuit elementis perturbatio. Sol enim radios cõtraxit, Et in die tenebras effudit. Terra autem suum ipsius Dominum cernens à Iudæis vexatum scissa est. Et infernus sanctorum animas emisit. Quónam hæc perficiẽte, nisi Deo? Deus enim erat in carne. Qui cùm afficeretur contumelia, res etiam procreatæ commouebantur.

Et tu puer Propheta altisimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius, ad dandam scientiã salutis populo eius, in remisionem peccatorum ipsorum. Præiuit.n. Christo, & eius præcursor factus est. Et edixit, vt pararentur viæ eius. Et verbum de ipso vaticinatus est, conuertens tanq̃ ad Deum, qui potest iustos efficere eos, qui in peccatis versabantur. Quomodo igitur Christus nõ est Deus?

Cognoscens autem Iesus cogitationes eorũ, respondit, dicens ad eos, Quid est facilius, dicere, dimittũtur tibi peccata tua, an dicere, surge, & ambula? Vt autem sciatis, filiũ hominis habere potestatem in terra dimittendi peccata, dixit Paralytico, Tibi dico, surge & ambula, & grabato sublato vade in domum tuam. Si solus nos rerum omnium Deus liberat à peccatis, quod alij præter ipsum congruit nemini, id autem elargitur Christus cũ auctoritate Deo congruente, qui fieri potest, vt Deus non sit? Vocatus est autem filius hominis, quia quantum ad carnem attinet, natum est ex muliere verbum, existens, Deus.

Ipse autem Iesus nõ credebat se ipsum eis. Quia cognoscebat omnes, nec opus habebat, vt quisquam testimoniũ illi de homine perhiberet. Ipse enim sciebat, quid esset in homine. De Deo scriptũ est, Qui finxit sigillatim corda ipsorum. Et ipse quodam loco, Num, inquit, à me quisquã abscondetur? Quòd si omnes habet cognitos, & nouit quæ sint in homine nónne Deus est, qui corda scrutatur, & renes?

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet. Quoniã ego ad patrem vado, & quodcunq; petieritis in nomine meo, faciam vobis. Proficisci se dicit ad patrem filius. At qui, vt Deus, implet omnia. Itaque proficiscitur tanquam homo. Assumptus enim est in cœlum. Verùm vt Deus pollicetur, impleturum se precantium postulata, si in nomine suo preces effuderint. Cui autem conuenit, vota sanctorum explere, & quæ postulantur, elargiri, nisi ei, qui solus & natura & veritate est Deus?

Hæc autẽ est vita æterna, vt cognoscant te solum verũ Deum, & quẽ misisti. Iesum Christum. Si igitur solius Dei cognitionẽ Iesu Christi cognitio sequitur necessario, eiq; coniuncta est, & hoc vitam æternam præstabit, cui perspicuum non sit, Christum esse verum Deum? Verbum enim caro factum est, & verbum permansit.

Et hoc locutus insufflauit, & dicit eis, Accipite Spiritũ sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retẽta sunt. Totum hoc factum Deo congruit, atque omni est ratione dignum. Primùm enim insufflare, & spiritum Apostolis tribuere, humanum non est. Præterea magna res est, & rerum procreatarum facultate præstantior eam auctoritatem largiri, vt quorum voluerint, peccata retineant, & quorum voluerint, remittãt. Ob id autem per carnis insufflationem spiritum dat, quia caro à verbo non est aliena, Sed propria ipsius. Et humanum quidem fuit, per carnem insufflare, diuinum autem, & auctoritate plenum opus, eos spiritus participes declarare, quos ipse dignos iudicasset.

Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Arrogantię, quã Christo ascribebant Iudæi, Magnus Ioannes causas explicans, Iccirco, inquit, persequebantur Iesum Iudęi, quia non solùm soluebat sabbatũ, sed etiam patrem suum dicebat Deum, æqualem seipsum faciens Deo. Quodam etiam loco introduxit eos impie dicentes, De bono opere non lapidamus te, sed de basphemia, quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum. Non recipiendam igitur de ipso fidem faciunt, nudum esse hominẽ ipsum existimantes, ignorantes autẽ verbum, cùm Deus sit, ita semen Abraham suscepisse, & carnis ac sanguinis, quemadmodum nos, particeps fuisse, vt Deus esse non desinerert, cùm immutabilis sit natura Deus, & perpetuo idem. Itaque cùm exaltaueritis, inquit, filiũ hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Crucifixus enim fuit humanitus diuinitus autem reuixit. Et per resurrectionem demonstrauit, se esse etiam Deum, & verè filium Dei. Quod si nõ alium, sed se ipse potius suscitauit, vt credidimus, necesse est, vt corpus eius proprium intelligamus, quòd mortem pertulit vt ipse quoque dicatur resurrexisse. Atqui immortalis existit, vt Deus. Vnius enim Christi, & filij mortem nunciantes, & resurectionem confitentes iustificamur per fidem. Quapropter ipse vt vnus & solus existens Christus Iesus humana quidem ratione per carnem mortuus est, resurrexit autem vt vita.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me. Vbi non est Dei verbum, si Diuinitatis natura replet omnia? Quomodo igitur à patre mittitur, aut quomodo ad ipsum vadit? Mittitur humana quidem ratione, quatenus ad misionis modũ pertinet, vt prædicet captiuis liberationem, cæcis autem visum. Vadit autem ad patrem & Deum, non pari ratione, sed vt cum corpore proficiscens in cœlũ pro nobis seipsum ostendat in patris conspectu, sicut scriptum est. Quòd si de ipso item verbo mitti accipiatur, nemo id graue putet. Diuinæ enim scripturæ mos est, eiusmodi etiam vocibus vti, nec tamen propterea diuinam naturam, quæ mundo superior est, locis circunscribere, scit enim illam esse incorpoream, & præstantiorem, quam vt vllis locorum spatiis coërceri concludiq; posit. Sed vocabulis humanis ea, quę mentem nostrã superant, studet explicare quandoquidem & seruator noster se missurum ad nos spiritum dicit, cùm tamen Spiritus sanctus impleat omnia. Spiritus enim, inquit, Domini repleuit orbem terrarum.

Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo nouit filium, nisi pater, neq; patrem quisquam nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Cùm filiũ nemo cognoscat, nisi pater solus quomodo respuunt quidam patris testimonium? Ostendit enim proprium filium in Iordane, hic est, inquiens, filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui. At non nudum nobis ostendit Verbum, sed carni coniunctum, Et non dixit, in hoc est filius meus, sed hic est, qui cũ carne nimirum coniunctus est. Vnus ergo filius & Dñs.

Et dixit mater eius, Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et dixit ad eos, Quid est, quòd me quærebatis? Nesciebatis, quòd in iis, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Vide, quomodo proprium patrẽ appellet suum, qui in cœlis est. Quòd si homo duntaxat fuisset, vt nos, nónne potius eum dicere oportebat, Nesciebatis, quòd in iis, quæ patris omniũ sunt, oportet me esse? At proprium ipsum facit. Solus enim ex ipso diuinitus per naturam genitus est.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundū. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eū non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Cùm satis de rebus diuinis disseruisset, & per lucem veram illuminari & sanctificari omnem hominem venientem in hunc mundum dixisset, & mundum per ipsum factum esse, in propria, ait, eum venisse. Venit autem homo factus vnigenitus tanquam ad proprios, in primisque ad eos, qui erant ex sanguine Israëlis.

Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, Hic est, de quo dixi, qui post me venit, ante me factus est. Quia prior me erat. Et quia ex plenitudine eius nos omnes accepimus. Ioannes ait de Christo, Qui post me venit, id est, post me apparuit. Quem ipse nimirum prædicauit. Ante ipsum factus est, hoc est, gloria antecellens. Etenim erat in essentia prior, vt Deus. Quomodo igitur, qui post ipsum, is tempore ante ipsum fuit? Quoniam Deus erat verbum, & caro factum est. Præcedit igitur quatenus est verbum, posterior autem est, quatenus ad carnem pertinet. Quòd si ex plenitudine eius omnes homines acceperunt, plenus autē solus est Deus, vt ait per os Esaiæ, & ipsi soli conuenit, tanquam ex propria plenitudine aliis impertiri, quod quidem Christus effecit, vnus profectò est filius, & Dominus, ex Deo verbum, quod factum est caro, & ipse Deus est simul & homo.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis. Quomodo descendit de cœlo filius hominis, cùm sancta illius caro ex virgine sumpta sit, nisi quia proprium erat corpus verbi, quod de cœlo descenderat, & factum est filius hominis? Vnus igitur Christus & filius, sic quæ verbi sunt, propria carnis sunt facta. Et quæ sunt carnis, propria verbi facta sunt.

Pueri habentes ramos palmarum egresi sunt obuiam illi, & clamabāt: Benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israël. Quomodo ipsum in nomine Domini venturū dicunt sacræ literæ? Si enim priuatim vt hominem ex sancta virgine, cui verbum Dei per personam coniunctum non sit, commune erit ipsi Dominationis nomen, quemadmodum & nobis. Et nihil erit in Cbristo magnum. Sin vt verè Dominus esse venturus, prænuntiatus est, quod quidem est verum, venit autem nō sine carne in hunc mūdum vnigenitus, vnus nimirum est natura, & verè Dominus, & Christus, & filius.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus coram discipulis suis, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius. Qui ex sancta virgine natus est Emanuel, Angeli voce nominatus est Iesus. Quoniam igitur ipse est, & non alius filius Dei, & qui credit, habet vitam æternā in nomine eius, nónne insaniunt, qui definiunt, & dicunt alium esse filiū, atque aliud ex Deo verbum, quam ex sancta natum virgine? In his enim Euāgelista & valde quidem apertè declarat, se vnum & solum ex ambobus nosse, & prędicare, Iesum Christum, id est, ex Deo patre verbum carnem & sanguinem assumpsisse, perinde atque nos, vt scriptum est.

Hoc fecit initium signorum Iesus in cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eū discipuli eius. Num vt in hominem sanctum simpliciter? minime. Nam & ante signum secuti erant illum, vt virum sanctum, Conspecta autem per signum virtute & potentia maiore, quam vt in hominem caderet, in ipsum tanquam Deum crediderunt. Porrò sciendum est, multos sanctos viros res multas admirandas fecisse, admirationiq; fuisse, sed nemo tamen in illos credidit. Idem ex illis colligendū est verbis, Vt autem fuit Hierosolymis in Paschate, in celebritate, multi crediderunt in nomen eius, videntes signa ipsis, quæ faciebat.

Excitauit à mortuis Reguli filium Christus, vade, inquiens, filius tuus viuit. Deinde credidit domus eius tota. Propter magnam igitur & diuinam potestatem tanquam in hominē credidit Regulus? an ipsum natura Deū agnouit, & in vitam reuocantem, quos vellet, Idq; verbo solo? sed eum tanquam in Deum credidisse, non est dubium.

Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Dicat aliquis fortasse, diuinæ ac supremæ verbi naturæ non conuenire, vt adoret. Prætetera si verè Deus est Christus, cur se in adorantiū numero constituit? Quid nos ad hæc? si verbum ex Deo nuda Diuinitate venisse in hunc mundum crederemus, ei profectò non conueniret adorare, Adoratur enim potius, quā adorat alium. Verùm cùm serui forma suscepta, adorátisq; humanitatis mensuram non despiciens declaratum sit hominis filius, dispensationis est adoratio, & mēsurę potius exinanitioni conueniens, quam naturæ verbi, si per se consideretur. Nam quomodo ex Iudæis est salus? neque enim quatenus verbum intelligitur, dixerit quisquam ipsum ex Iudæis esse, sed quatenus eorum frater, qui ex carne cōstat & sanguine, propterea quod semen Abraham assumpsit. Vnus ergo Christus, licet, quatenus est homo, dicatur adorare, vt Deus ab omnibus rebus procreatis adoratur.

Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrē, & qui mādučat me, & ipse viuet propter me. Ab istis ego, qui Christum vnum in duos diuidunt, libenter didicerim, quínam ille sit, qui missus est à Deo, & patre, & qui viuit propter ipsum, & iccircò vitæ est ipse largitor. Si enim verbum, quod ex ipso est nudum & per se, quomodo à nobis manducatur, vt per ipsum viuamus? Natura enim incorporeus est Deus. Sin solus & p se homo est, qui missus est, quomodo vitæ largitor est, quia viuit propter patrem? Et quomodo non omnes, qui sumus in terra, inter viuentes existimus, cum Deus & pater nobis vitam præbeat? Siquidem illud est verum, nos in ipso viuere, & moueri, & esse. Cùm igitur viuamus omnes propter patrem, quomodo solum vnius hominis corpus id efficiat? Et cur non eandem habent vim aliorum etiam corpora, si omnes, vt dixi, sumus, & viuimus propter patrem? Quid ergo dicimus ad hæc? Dei verbum in forma apparens humana, legationis munere fungebatur. Missum enim est, vt prædicaret captiuis redemptionem, & cæcis visum. Viuit autem propter patrem, cùm ex viuente patre sit genitum. Oportebat enim, oportebat omnino, & omni ratione, vt qui ex viuēte Deo & patre genitus esset filius, natura esset vita. Et quoniam corpus ex sancta Virgine assumptum sibi proprium fecit, ipsum vitam elargiens reddidit. Idq; merito. Est enim corpus vitæ cuncta viuificantis. Vnus ergo filius, & Christus, & Dominus non est in duos filios diuidendus. Quandoquidem ipse quidem est vita, vtpote ex vita, & viuente patre, vitam autem elargiens etiam per proprium corpus, vt qui Deus existens, factus sit, quales nos sumus, & humanitatem assumpserit.

Accesserunt quondam ad Christum Iudæi dicentes, si tu es Christus, dic nobis. Respondit eis Iesus, Dixi vobis, & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. Quid hic dicunt, qui in duos filios, & duos Christos stultè diuidunt vnum Dominum Iesum Christum? De quo dicebant Iudæi, si tu es Christus, dic nobis liberè? Quis porrò ille, qui respōdit,

dit, Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me? Cuius esse dicemus proprium patrem Deum? illius'ne, qui ex muliere priuatim & propriè natus sit, an Vnigeniti? At posse Diuinitatis opera perficere, non cadit in naturam humanam. Longè enim abest ab ea facultate. Proinde cùm Christus opera patris effecerit, non est homo nudus existimandus, sed Deus potius, in carne & sanguine manens id, quod erat. Sic enim se habens æqualia cum proprio patre opera perficiet, & nemo, qui sanus sit, mysterij rationem reprehenderit.

Et testimonium perhibuit Ioannes, Vidi, inquiens, spiritum descendentem tanquam columbam è cœlo, & stetit super ipsum. Et ego nesciebam eum, Sed qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit, super quem videris spiritũ descendentem, & stantem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quòd hic est filius Dei. Vnum ostendit pater, & de vno Beatus loquitur Euangelista. Hic est filius Dei. De quo igitur intelligetur id, quod dictum est? Si de proprio & solo Vnigenito, hoc est, de Verbo, quod est ex patre, quomodo spiritum accipit, cùm sit natura Deus, & spiritum habeat proprium, ac suum? Sin hominem priuatum, & solum, qui ex muliere natus sit, spiritu dixerint indigere, quomodo ipse est, qui baptizat in ipso spiritu? Cùm soli supremæ naturæ conueniat, posse declarare spiritus participes eos, qui ad ipsam accedunt? Quòd si vnus, atque idem est, qui suscipit, & qui largitur, perspicuum est, hæc fieri, quatenus pertinet ad assumptę carnis dispensationem, & quatenus natura & verè Deus est. Suscipit enim, vt homo, nõ magis sibi, q̃ humanæ naturæ per se ipsum & in seipso primo spiritum concilians. Dat autem vt Deus, ex propria natura tribuens illis, qui digni sunt, vt eum accipiat. Poteram huic sententiæ multas alias similes & eãdem habentes vim in medium proferre, verùm cùm idem repetere molestum sit, ex vnius loci declaratione prudentes homines, cætera similia loca facilè dicimus intellecturos. Itaque quoties Christus, aut sanctificari dicetur, aut spiritum accipere, hoc modo conuenit intelligere.

De die autem, aut hora illa nemo nouit, neque Angeli cœlestes, neque filius, nisi pater. Si Christum vnum, inquiunt, confitendum censeris Dei verbum, quod carnem, seu hominem assumpsit, quomodo cõsummationis diem ignorauit? Respõdemus nec insolitum esse, nec dedecere, vt res procreatæ ignorent mysteria, quæ sunt in Deo. Quis enim, inquit, nouit sensum Domini. Et si filius dicitur paulum ab Angelis imminutus, quatenus homo factus est, quã uis vt Deus rebus præstet omnibus procreatis, quid mirum, si vna cum Angelis ignorare dicatur mysteria, quæ sunt in Deo? Atqui sapiẽtia est, et virtus ipsius. Quomodo autem ignoret sapientia Dei & patris, quæ sunt in ipso abscondita? Et si spiritus dicitur cuncta scrutari, etiam profunda Dei, spiritus autem est Christi, Quomodo Christus ignorauit ea, quæ planè nouit spiritus ipsius? Dicendum igitur est, eum quanuis ignoret vt homo, scire tamen vt Deum. Nam cùm etiam quæsisset, vbi Lazarus esset positus, tanq̃ ipsi vt homini liceret nescire, vt Deus tamen illũ à mortuis excitans in vitam reuocauit. Tribuentes igitur dispensationi, quæ in carne facta est, illa, quę sunt humana, Verbo ex Deo genito, & secũdum nos facto, ea, quæ Deo sunt digna, conseruabimus.

Quemadmodum in vnum patris nomen, & in vnum filij nomen, & in mortem ipsius, & in Spiritum sanctum baptizamur. Qui duos in filios vnum Christum & filium diuidunt, Deoq́; hominem coniunctum asserunt, doceat, diuisis secundum solam dignitatis, seu auctoritatis æqualitatem naturis, in cuius mortem baptizati simus. Si separatim in verbi Dei mortem, aperte naturæ immortali mortalitatem ascribemus, tribuemusq́; mortem ei, qui per naturam est vita. Quòd si dixerint, in mortem illius separatim, & sigillatim, & per se, qui ex muliere natus est, nónne perspicuè dicent, cum omni ratione, omniq́; modo cum patre & Spiritu sancto coniunctum esse, expulso etiam fortasse ex veri filij loco, Verbo ex Deo genito? Sed vide planè tu, qui mentem habes excitatam, absurdas hominum cogitationes. Necessarium igitur est, vt intelligamus, Dei verbum vt nos, natum, sponte passum esse carne. Sic enim in mortem ipsius baptizati sumus, vt qui vnus sit filius, quantum ad Diuinitatis naturã pertinet, impatibilis, quantum autem ad carnem, patibilis.

Apparuit gratia Dei illa salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Quæ'nam est hæc gratia, & cuius Dei, quæ nobis apparuit, & salutaris esse dicitur omnibus hominibus? Nónne Deus & Dominus, vt ex Beati Dauidis verbis perspicuè patet, apparuit nobis, & eius è cœlis aduentum suscepimus, & ipse est Deus, & Seruator noster, Iesus Christus, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos ab omni peccato liberatos veros sibi adoratores adhiberet? Quis igitur Deum verũ Emanuelem esse neget? Cùm Beatus Paulus eum Magnum Deum, & Saluatorem nostrum Iesum Christum appellet?

Et sine controuersia magnum est pietatis mysterium Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, visus est ab Angelis, prædicatus est in gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria. Ecquis manifestatus est in carne? nónne planè atque omnino Verbum ex Deo patre? Sic enim erit magnum pietatis mysterium. Visus autem est ab Angelis in cœlum ascendens. Prædicatus est in gentibus per sanctos Apostolos, creditus est in mundo. Et nullo modo amplius dicimus, eum esse simpliciter hominem, quales nos sumus, sed Deum, qui in carne vti nos, natus est, assumptus autem est in gloria, vt Deum & patrem audiat dicentem, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Ex Epistola ad Romanos.

EI autem, qui potest nos confirmare secundum Euangelium meum & prædicationem Iesu Christi secundum reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, manifestati autem nunc per scripturas Prophetarum secundum mandatum æterni Dei ad obedientiam fidei, in omnes gentes cogniti, soli sapienti Deo, per Iesum Christum, cui gloria, & imperium in secula seculorum Amen. Ecce palàm dicit Euangelium, & prædicationem esse Iesu Christi, & occultatũ, ac tacitum fuisse mysterium de ipso seculis æternis, reuelatum autem esse nunc ad obedientiã fidei. Conuersæ enim sunt gentes ad Christum, Quoniam largitus est nobis, inquit, Apostolus, non solũ, vt in ipsum credamus, verũ etiam vt pro ipso patiamur. Si in muneris loco à Deo accepimus, vt in Christum credamus, non errauimus autem ob id, sed nouimus natura & verè Deum existentem, quõ quisquam Deum esse Christũ dubitabit?

Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iu-

ſtitia legis impleatur in nobis non ſecundum carnem ambulantibus, ſed ſecundum ſpiritum. Pugnant enim profecto inter ſe caro, & ſpiritus, hoc eſt, carnis ſenſus, & voluptatum, quæ in nobis inſitæ ſunt, motus, & vitæ virtus, quæ eſt ſecundum ſpiritum. Et quãquam diuina lex eo nos vocet, vt bonum eligamus, tamen carnis cupiditas nos in contrarium trahit. Nũc autem in Chriſto contentio ſoluta eſt, & peccati lex eſt debilitata, ſpiritus verò lex conualuit. ecquam ob cauſam? Miſit enim Deus filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, vt peccatum damnaret in carne. Nónne igitur carnis aſſumptio fuit neceſſaria, cùm per illam in carne noſtra peccatum damnatum ſit? Quòd ſi Verbum caro factum non eſt, rebus noſtris non eſt conſultum, & ſeruimus carni lege peccati, cùm illam in nobis deſtruxerit nemo. Itaque neceſſariam eſſe dicimus, Verbi cum carne coniunctionem in perſona, non autem ſolam in perſonis, & voluntate, ſiue contactu ſimplici, vt quidam aſſerunt.

Quid ego dicent ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio quidem filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donabit? Si proprium filium, eum nimirum, qui ex eius eſſentia eſt, tradidit pro nobis Deus & pater. Paſſus eſt autem carne non autem natura Diuinitatis. Proprium eius corpus paſſum eſt, vt ipſe quoque, qui pati non poteſt, diſpenſationis ordine pati intelligatur. Quamobrem vnum in duos diuidere impium eſt. Neq;.n. proprium dediſſe filium pro nobis pater deprehenditur, ſiquidem eſt Chriſtus homo diuiſus.

Deus, qui iuſtificat, quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo verò & à mortuis reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis. Si fide iuſtificat Chriſtus, Deus autem eſt, qui iuſtificat, Deus vtique verus eſt Chriſtus. Et ſi eſt in dextera Dei, is, qui mortuus eſt, & reſurrexit, & cum patre conſidet, corpus nimirum eſt verbi proprium. Conſidet enim cum patre ſimul cum carne aſſumpta, tanq̃ filius per naturam, licet Verbum caro factum ſit.

Ex oratione ad Reginas habita.

COgnoſcite enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia propter nos pauper factus eſt, vt nos illius paupertate diuites efficiamur. Vide in his mihi, & valde perſpicuè, tum naturæ diuinæ atque immortalis excellentiam, tum abiectam atque humilẽ humanitatis menſuram, & cum hac coniunctionem atque congreſſum, ad eum ſeſe Vnigenito demittente. Nulla enim oratio queat Diuinitatis diuitias explicare, contra vero humanitas pauper admodum eſt, cui omnia ſunt diuino & cœleſti munere data, etiam illud ipſum, quòd eſt. Vocata enim eſt à Deo, vt eſſet, cùm aliquando non eſſet. At ipſe diues, vtpote Deus, volens euaſit pauper, & factus eſt homo, vt hominis natura deinceps in diuinæ præſtantiæ ſublimitatibus, in Chriſto exiſtens, paupertatis turpitudinem exueret. Nos enim Deus & pater in Chriſto ſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus, vt ſcriptum eſt. In quibus profecto nunquam fuiſſemus conſtituti, niſi naturam ipſe diues, vtpote Deus, pauperem induiſſet. Quid enim non egent homo, qui propria natura egenus & pauper eſt? Aequius ergo id pertulit verè diues, hoc eſt, Verbũ ex Deo patre genitum, quando eſt homo factum.

Ex eadem oratione.

AT in ipſo, inquit, habitauit omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Ecce perſpicuè Chriſtum nouit alterum ſeparatim, nempe hominem natum ex muliere, in quo Verbum ab eo diuerſum, id eſt, omnis plenitudo diuinitatis habitauit corporaliter. Ad hæc reſpondemus, Paulum diuino afflatum ſpiritu duos Chriſtos non agnoſcere, ſed vnum prædicare, quemadmodum & patrem vnum. Nobis enim, inquit, vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipſum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. In quo igitur habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter? Si priuatìm, & ſigillatim in Dei verbi natura id factum dixeris, nõ minus ſtultè ſenties, q̃ ſi ipſum Vnigenitum in ſeipſo habitaſſe contenderes. Qui autem verbum carnem factum ita credunt, vt non immutatum vniuerſumq́; ſit, Sed vt in nobis habitarit & proprium ſibi templum fecerit, corpus animam ratione præditam habens, quod ſibi vere coniunxit, pie dicent, Admirabilem Paulum cum vellet indicare verbi habitationem in carne, ſeu veram coniunctionem, dixiſſe, in ipſo habitare omnem plenitudinem Diuinitatis, non magis quòd eius eſſet particeps, aut habitu, & gratiæ munere eam haberet, q̃ corporaliter, id eſt, per eſſentiam non aliter, q̃ ſi in homine dicatur ſpiritus eius habitare, cùm ab eo diuerſus non ſit. Sæpe tamen in vna perſona duplicem nobis loquendi ratio & figura perſonam affert, nec propterea quicquam detrahit veritati. Exempli gratia ſi de Deo ſcriptura diuina dicat, Qui fingit ſpiritum hominis in ipſo. Cui enim perſpicuum non ſit, ſpiritum qui in homine fingatur, non eſſe diuerſum ab ipſo homine? Dicit etiam quodam loco Beatus Dauid, Meditatus ſum nocte cũ corde meo, & ſcopebat ſpiritus meus. Quis eſt, qui meditatur cum corde ſuo? Et proprius ſpiritus ſcopens? Non admodum igitur curandæ ſunt figuræ verborum, ſed ipſæ potius rerum naturæ cõſiderandæ, & ex ipſis ad veritatem progrediendum eſt.

Ex Epiſtola ad Galatas.

CHriſtus liberauit nos à maledicto legis, factus ipſe pro nobis maledictum. Scriptum eſt enim, Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Legalis literæ, quæ deteſtabilem & execrandum declarat eũ, qui in tranſgreſſione, & peccato eſt, ille qui peccatum non nouit, nempe Chriſtus, iudicium ſubiit, ſententiam ſuſtinens iniuſtam, & ea, quę maledictis atque execrandis conueniũt, perferens. Vt quia amplum eſt ſalutis omnium pretium, pro omnibus moriens debita omnium contumaciæ ſupplicia ſolueret, & proprio ſanguine in cœlum reditum cõpararet. Non autem vnus fuiſſet amplum ſalutis omnium pretium, ſi eſſet homo ſimpliciter. Sin Deus hominem indutus & propria carne paſſus intelligatur, exiguus ſit pro tanto pretio rerum omnium procreatarum numerus, ſatiſq́; fuit ad reditum in cœlum recuperandum vnius carnis mors, quæ propria eſſet verbi ex patre geniti.

Ex Epiſtola ad Hebræos.

EVm autem, qui paulum quid ab Angelis imminutus eſt, videmus Ieſum per paſsionem mortis gloria & honore coronatum. Et rurſum, cùm autem introducit Primogenitum in orbem terrarum, & adorent, inquit, eum omnes Angeli Dei. Et rurſum, Qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, portanſq́; omnia verbo virtutis ſuæ, per ſeipſum purgatio-

nem

nem peccatorum nostrorum faciens, Sedet in dextera sedis maiestatis in excelsis, tanto præstantior Angelis factus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te? Cùm igitur natus est primogenitus Emanuel in multis fratribus, tunc ipsum introductum fuisse dicit in orbem terrarum. Extra enim res procreatas. erat Deus natura sua tunc. Et minorem Angelis factum ait, cùm tamen excellentius, quàm illi, nomen hæreditarit. Angelus enim est officij nomen, quod supplicem nobis mensuram indicat. Mittuntur enim in ministerium, propter eos, qui salutis hæreditatem sunt adepturi. Filius autem existentiam ex patre per essentiam naturamq; significat. Quoniam & verè ortum credimus. Quomodo igitur minor Angelis factus est, qui ab ipsis adoratur? Qui cum patre considet? Sed clara est propositio. Descendit enim in mensura humanitatis, assumens corpus mortale, sibiq; ipsum proprium faciens, in ipso sponte sua passus est, & propter mortem suprema gloria coronatur, vt qui morte sua mortem destruxerit, & corruptionem inualidam effecerit, quippe qui ipsa est incorruptio atque vita. Quando igitur Iesum nominat, & minorem Angelis factum dicit, ipsum non hominem per se sigillatim intelligimus, sed vnigenitum, salutis humanæ consilio, præstantia sanctis Angelis cedentem, quia verè factus est homo, qui Angelorum vincitur excellentia. Quæ quidem excellentia in eo sita est, quòd & carnis & mortis expertes sunt, cùm vtriusque propter voluntariam exinanitionem filius particeps esse voluerit. Atqui propter humanitatis conditionem Angelis paulo minor effectus est, is in excellentia Diuinitatis existens ab illis adoratur & sedet in sedibus, quas illi constituunt, eum semper collaudantes & potestatum Dominum appellantes.

Eiusdem ex libro, qui ex interrogatione responsioneq; constat.

A. Genuit quidem filium Deus & pater generatione vna, attamen placuit ei genus humanum in ipso seruare per carnis, seu humanitatis assumptionem, quam omni ratione fieri prorsus oportebat, per ortum nimirum ex muliere, & verbi Dei similitudine, quam habet nobiscum, peccati lex in carnis ipsius membris damnaretur, & similitudine mortis illius, qui mortem nesciebat, mors destrueretur. Si enim complantati facti sumus, inquit, similitudini mortis eius, & resurrectionis erimus. Necessario igitur qui erat & existebat, natus est in carne, quæ nostra sunt suscipiens, vt carnis proles, id est, nos, qui corruptioni atque interitui sumus obnoxij, in ipso maneamus, quæ nostra sunt propria deinceps habente, quo nos etiam quæ ipsius sunt, habeamus. Propter nos enim pauper factus est, cùm esset diues, vt nos ipsius paupertate diuites efficeremur. Illi profecto, qui Dei Verbum carnem factum aut secundum carnem ex muliere natum negant, humanæ salutis consilium tollunt. Nam si diues cùm esset, non euasit pauper, pro benignitate sua nobis sese demittens, ne nos quidem diuitias eius sumus consecuti, sed adhuc in paupertate, & execratione, & morte & peccatis detinemur. Ex eo enim quòd Verbum caro factum est, secuta est execrationis, damnationisq; in hominum naturam dissolutio, atque euersio. Quòd si salutis nostræ radicem euellunt, & spei fundamentum euertunt, vbi reliqua construent? Nam si Verbum, vt dixi, caro factum non est, nec mortis imperium euersum est, nec peccatum vllo modo deletum est, & nos adhuc primi parentis transgresionibus sumus obnoxij, nec vllum ad meliora per Seruatoris nostri Iesu Christi gratiam reditum habemus. B. Intelligo, quod dicis. A. Ecquis præterea intelligeretur à nobis sanguinis & carnis particeps extitisse similiter, atque nos, qui natura diuersus esset? Neque enim homini dixeris conuenire, vt humanitatis particeps fiat. Qui enim aliquid est, quomodo is, quasi aliud sit, suscipiat idipsum, quod est? B, nullo modo. A. Sed alia item ratione considera, vt intelligas, quàm impium absurdumq; sit, conari tollere Dei verbi ortum ex muliere. Quomodo enim corpus eius viuificaret, nisi proprium esset ipsius, qui est vita? Quomodo sanguis eius mundaret nos ab omni peccato, si communis esset hominis? Quomodo misisset Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege? Quomodo peccatum in carne damnasset? Si enim esset communis hominis, qui naturam, quemadmodum nos, peccati dominatui subiectam haberet, peccatum non condemnasset. Sed quia corpus est factum ipsius, qui nesciebat peccatum, iccirco & merito id quidem peccati dominationem sustulit, & proprietatem nãciscitur Verbi, quod ipsi ratione ineffabili, et ita dicam, vnitum est, & sanctum, atque viuificans est, & diuinæ virtutis plenum. Porrò nos item in Christo tanquam in primitiis transmutamur, vt simul & peccato & corruptione superiores, & verè, quoniam, vt Beatus Paulus ait, sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis, id est, Christi. Cœlestis autem homo Christus intelligitur, non quòd è supernis atque è cœlo ad nos carnem detulerit, sed quòd verbum existens è cœlo descendit, & nostram similitudinem subiens, id est, ortum carnis è muliere, suscipiens, id, quod erat, è supernis nimirum, & è cœlo, & super omnes existens vt Deus etiam cum carne. Sic enim quodam loco admirandus Ioannes de ipso locutus est, Qui de supernis venit, super omnes est. Remansit enim omnium Dominus etiam in serui forma existens propter humanæ salutis consilium. Quibus de causis verè mirabile est Christi mysterium. Atqui Deus & pater quodam loco per vnum è Prophetis, Videte, inquit, contemptores, & admiramini, & disperdimini. Quoniam opus ego facio in diebus vestris, quod nemo credet, siquis dixerit vobis. Christi enim mysterium tam est admirabile, vt vix credi posse videatur. Deus enim est humanitatem indutus, & quales nos sumus, factus, qui rebus omnibus procreatis præstantior est. Inuisibilis, carne visibilis. Qui è cœlo & supernis est, terrestrium similitudinem gerit. Tangitur, qui tangi non potest. Qui natura propria liber est, serui formam suscepit. Qui rebus procreatis benedicit, maledictus effectus est. Inter iniquos numeratus est, qui est omnis iustitia. In similitudine mortis factus est is, qui est ipsa vita. Corpus enim, quod mortem gustauit, non alterius est, nisi illius, qui natura filius est Dei. Illud præterea mihi considera. B. Quid'nam? A. Christus quodam loco ad eos, qui mortuorum negant resurrectionem, Nescitis, inquit, quòd is, qui fecit hominem à principio, masculum & fœminam fecit eos? Scribit autem & Diuus Paulus, Honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus. Cur ergo Dei filius vnigenitus, Verbum, cùm nostri similitudinem vellet induere, propriæ carnis constitutionem, seu gñationem, noluit humanitatis legibus subiacere? Non.n. ex concubitu neq; ex nuptiis eam suscipere voluit, sed ex virgine graui, & nuptiarũ experti, quę concepit ex Spiritu sancto, qui obumbrauit ei virtute Dei, vt scriptum est. Cùm igitur Deus nuptias non

improbet, sed potius benedictione illas honoret, cur virginem ex spiritu concipientem propriè carnis matrem effecit Deus verbum? B. Nõ habeo dicere. A. Atqui perspicua sit omnibus causa id considerantibus. Filius enim, vt dixi, venit, seu factus est homo, vt in seipso & primo nos reformaret, & sanctam quandam, & admirandam, & verè nouam generationem & vitam reuocaret. Factus autem est & primus ipse genitus è Spiritu sancto, quantum ad carnem pertinet, vt tanq̃ via ad nos etiam ipsos gratia perueniente non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo per spiritum intelligibilem habentes regenerationem, & spiritalem similitudinẽ cum illo, qui natura & verè filius est, patrem vocemus Deum atque ita incorruptibiles maneamus, vt qui non amplius primum habeamus patrem, nempe Adam. Christus enim modo quidem dicit, Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus enim est pater vester, qui in cœlis est, modo autem, vt qui ad nos iccirco venit, vt nos ad propriam ipsius & conuenientem dignitatem ducat, Vado, inquit, ad patrem meum, & patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum. Ipsius enim est natura pater, Deus autem noster. Sed quoniam qui natura, & verè Deus est, factus est homo, ideo se habere dicit ipsum Deum, quatenus pertinet ad rationem exinanitionis. Dedit autem nobis etiam patrem suum. Scriptum est enim, potestatem dedit eis, filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius. Quod si Verbum Dei principatum in omnibus gerens, vt sapientissimus Paulus ait, partu, atque ortu simile nobis factum negauerimus, ad quem nos deinceps reformati, filij Dei per spiritum declarabimur? Quas Dei primitias habebimus? aut etiam quis omnino ad nos mittet dignitatem? Dicent ipsi quoque, vt equidem puto, Verbum ipsum hominem indutum. At qui fieri potest, vt verum id sit, nisi caro, idest, homo factum est, corpus humanum sibi proprium faciens per coniunctionem inseparabilem, adeo, vt ipsius, non alterius corpus intelligatur? Sic enim mittet & nobis adoptionis gratiam, & nos quoque spiritu nati erimus, cum hominis natura in ipso & primo id acceperit. Quod quidem mihi per se videtur sensisse, & quodam loco dixisse, & admodum rectè diuinus Paulus, Quemadmodum, inquiẽs, portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Et primum quidem hominem dicit è terra terrenum, secundum autem è cœlo. Sed qualis, inquit, terrenus, tales & terreni. Et qualis cœlestis, tales & cœlestes. Terreni enim sumus, vt ex terreno Adam in nos maledictionis corruptione propagata, per quam & peccati lex introiuit, quæ est in membris carnis. Cœlestes autem facti sumus, vt in Christo declarationem consecuti. Cùm enim esset Deus, & ex Deo & è supernis insolita & noua ratione sese demisit ad ea, quę nostra sunt, factus secundum carnem, natus ex spiritu, vt nos quoque sancti & incorrupti secundum ipsum maneamus, tanq̃? ex principio & radice secunda, ex ipso nimirum gratia ad nos proficiscente. B. Optime loqueris. A. Quo autem pacto similem fratribus, id est, nobis factũ esse dicit in omnibus? aut quis omnino similis factus dicatur, nisi natura diuersus sit, & non idem? Quod enim alicui simile factum est, id ab eo differt necessario, nec erat simile, sed potius diuersum genere, siue natura. Vnigenitus ergo, cùm esset nobis natura dissimilis, similis factus dicitur, quia factus est, vti nos, nempe homo, humani partus ratione, licet in ipso mirabilis extiterit, Deus enim erat, qui caro factus est. Corpus tamen anima menteq; præditum assumpsit. Neq; enim omittens, quod præstantius est, nempe animam, solius corporis terreni rationem habuit, sed vtrunque sapienter adhibuit Deus verbum existens. Quod autem hominem induens verbum immutatum nõ sit, diuino spiritu afflatus Apostolus patefecit, Iesus Christus, inquiens, heri, & hodie, idem & in secula. Ac præteritum quidem tempus significans, ait, Heri: præsens autem hodie, inquit. Futurum verò, dixit: & in secula. Quod si putant, se sapiens aliquid excogitasse, heri, & hodie pro nouo recentiq; interpretantes, atq; ita verba continuantes, dicentesq;, Qui heri, & hodie, quomodo erit & in secula? nos quoque mutabimus interrogationis rationem & contrarium, dicentes, verbum, quod est in secula, qũo heri, & hodie admittet in se? Siquidem vnus est Christus, & diuisus non est, vt Diuus Paulus ait. Scriptum est de Beato Baptista, Postridie videt Iesum venientem ad se, & dicit, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mũdi. Hic est, de quo ego dixi, Post me venit vir, q ante me natus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum, sed vt manifestetur Iraëli, propterea ego veni in aqua baptizans, intelligis, quomodo virum dicens, eumq; nominãs agnum, non alium esse dicit, qui tollit peccatum mundi, sed magnam hanc illi, & verè admirandam, atque diuinam dignitatem ascribit, Ante autem, & prius esse natum, licet postea natus sit, quatenus ad carnis ortum pertinet, quoniam quamuis, vt homo, post natus sit Emanuel, tamen ante omne seculum erat, vt Deus? Itaque & nouum ipsius est, vt hominis, & æternum, vt Dei. Beatissimus itidem Petrus non nudum, neque carnis expers aspiciens verbum, sed in carne, & sanguine apparens, sapienter, & simpliciter suæ in ipsum fidei testimonium declarauit, Tu, inquiens, es Christus filius Dei viui. Ad hoc ille audiuit, Beatus es, Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Quod si profundũ mysterium non esset, & nõ Deus esset in carne, sed homo, vt ipsi sentiunt, adoptionẽ per gratiam habens, quid tanto indice opus fuit, Adeò vt nemo mortalium discipulo id aperuerit, sed eius arcani patrem ipsum habuerit præceptorẽ? Atqui diuini Discipuli, cùm viderent ipsum aliquando per maris æquora percurrentem, admirati quidem sunt diuinitatem, sed confessi sunt fidẽ, dicentes, verè Dei filius es. Quod si adulterinus & falsus est, & fictitiũ habet filij nomen, eos vti mendaces coarguant, qui id iureiurando affirmarint. Addiderunt enim, verè, confirmantes ipsum esse filium Dei & patris. B. Rectissimè loqueris. A. Ad hæc qũo proprios habet Angelos filius hominis, & splendet in gloria patris sui cum Angelis suis? Et rursum, Et mittet filius hominis Angelos suos. Quod si non credunt adhuc, diuina eum gloria, & adeò præclaris ac summis dignitatibus coronatum intuentes, audient ipsum dicentem, si mihi non creditis, operibus credite. Itemq;, si non facio opera patris mei, mihi ne credite. Si autẽ facio, & si mihi non creditis, operibus credite. Nam in homine immensæ gloriæ excellentiam cernere, non vt alienam, nec gratiæ munere datam, sed vt propriã ipsius, quomodo non probet, ipsum esse humana in specie Deum, & verè filium Dei, qui est super omnia? Suos, inquiunt, Angelos esse affirmauit, & miraculorum effector extitit, quoniam in ipso verbum habitauit, & gloriam ipsi propriam, virtutemq; præbuit. Scriptum enim est, Iesum à Nazareth vnxit Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit, benefaciens, & curans omnes, qui tenebantur à Diabolo. Vnctus igitur & virtute & spiritu miraculorum, inquiunt, effector fuit. Istis nos respondemus. Sed nobis, inquit, sapientissimus Paulus, vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos ex ipso: Et vnus Dñs Iesus Christus, per quem

omnia,

omnia,& nos per ipsum: Quomodo igitur, quæso, per hominem omnia? Præterea vbinam vnigenitum collocabimus, in eius loco hominem constituentes? præsertim, vt ipsi aiunt, cũ ab ipso sit confirmatus & honoratus? Quid? eorum oratio nónne à decoro, & à proposito recedit? & quemadmodũ aberrat à veritate, sic merito risum mouet? Dei verbum, inquiunt, appellatum est homo, hoc ferè modo. Quemadmodum enim ab illo assumptus homo, natus est ille quidẽ in Bethleem, attamen dictus est Nazarenus propterea quòd habitauit in Nazaret, sic & Deus verbum appellatus est homo, quoniam in homine habitauit. O mẽtem anilem, & insanam, atque effeminatam, & garrulam. Edormiscite crapulam, dicat aliquis è contrario. Cur vim affertis veritati? Cur decretorum robur corrigentes extra viam regiam ruitis? Neq; enim iam per vos verbum caro factum est, vt scripturæ testantur, sed hominis potius habitator, Itaque consentaneum fuit, vt humanus potius, quã homo appellaretur, quemadmodum & Nazaret habitator non Nazaret. sed Nazarenus appellatus est. Quòd si sapiens istorum inuentum rectè habet, nihil arbitror prohibere, quo minus vnà cum filio pater etiam, & Spiritus sanctus homo noïetur. Siquidem per Spũm sanctum sanctæ atq; eiusdẽ assentiæ Trinitatis in nobis habitat plenitudo. Nam Paulus quidem ait, Nescitis, nescitis, quòd estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in vobis. Quinetiam ipse Christus, si quis, inquit, diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mãsionem apud eum faciemus. Atqui nec pater vllo modo dictus est homo, nec Spiritus sanctus, quanuis habitent in nobis. Sed isti ridẽt humanitatis assumptæ mysteria, adeò recta & auditu digna Ecclesiæ decreta ad rationem absurdam detorquentes. Attamen sermo noster suo cursu progrediatur, & ebrias ipsorum nugas valere sinat. Si enim quia verbum in ipso fuit, propterea miraculorum effector extitit, vnum aliquem Prophetarum eum esse dicunt. Nã & per manum Prophetarum, miracula edidit, quorum in numero si filium locant, eum prophetica & apostolica mẽsura metiuntur. B. Quid? nónne Propheta, atque Apostolus dictus est? Moses enim dixit eis, qui erant ex sanguine Israëlis prophetam suscitabit vobis Deus ex fratribus vestris sicut me. Scripsit etiam Diuus Paulus, Quare fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum, & summum pontificem confessionis nostræ Iesum. A. Quemadmodum natura Deus existens, & verè Dominus, serui formã suscepit, vt in ipsa natus, & ea, quæ nostra sunt, sumens, sic & prophetiæ, spiritum tribuens, & Apostolos declarans, sacerdotesq; constituens, similis in omnibus factus est fratribus. Sic enim nominatus est & Propheta, & Apostolus, & pontifex. B. At quanuis dent, ipsum esse Prophetam, non tamen eum vt vnum Prophetarum esse dicunt, sed multo illis fuisse præstantiorem. Illi enim ad mensuram vt Deo placuit, gratiam acceperunt, quæ & in tempore ad ipsos accedebat. Hic autem plenus erat Diuinitatis iam inde ab ipso ortu. Deus enim verbum cum ipso erat. A. Gratiæ igitur quãtitate, & temporis longitudine pstitit Christus sanctis Prophetis, qui ante ipsum extiterunt. Et hoc in ipso eximium est. Vt quærendum iam sit, non vtrum prophæta fuerit, sed vtrum præstans fuerit. Perinde quasi parum sit, esse Prophetam, nisi conditionis nostræ mensuram superet, licet ab initio id ei fuisse intelligatur, quemadmodum mirabilis ille Baptista, de quo Beatus Angelus ait, Et Spiritu sancto replebitur, adhuc ex vtero matris suæ. At cur ipse Baptista seruus, hic autẽ Domini dignitatibus illustratur. Ac de se ipso quidem Beatus Ioannes, qui de terra, inquit, est, de terra loquitur, de Emanuele verò, Qui de supernis, venit, super omnes est. At concedent fortasse & de supernis esse, & super omnes verbum, quod ex Deo manifestatum est, verentur autem, quæ humana sunt, illi ascribere, ne ea ipsi sint detrimento, & infamię. Hac ratione dicunt, ipsum sumpsisse hominẽ, & hunc sibi accommodasse, circa quem & sint & dicantur ea, quæ sunt humana, atque ita nihil omnino damni ad verbi naturam accesserit. B. Dicunt profecto Christum sanctificatum à patre. Ioannes enim, vt scriptum est, testimonium tulit, vidi, inquiens, spiritum descendentem, tanquam columbam, è cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem & manentem, ille est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimoniũ perhibui, quod hic est filius Dei. Sed & Paulus de ipso scripsit, Qui sanctificat, & qui sanctificaт, ex vno omnes. Minime autẽ iustificaretur, Deus existens verbum, & natura sanctũ. Restat igitur, vt sanctificatus dicatur homo, qui ab ipso per coniunctionem assumptus est. A. At quomodo, qui baptizatus est, & perspicuum accepit aduẽtum Spiritus sancti, baptizat in Sãcto spiritu? & implet ea, quæ soli cõueniunt, & congruunt naturæ diuinæ? Sanctitatem enim largitur, eamq; ostendit vt proprium bonum, dum hominem indutum verbum corpore insufflat sanctis Apostolis, Accipite, inquiẽs, Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retẽta sunt. Quomodo autem sanctificatum, apertissime demostrãs admirabilis Baptista testatus est, Hic est, inquiẽs, filius Dei, singulariter, & vnice. Oportebat enim, vt qui aduentus eius sub sole erat indicator, si credebat, eum esse diuersum à verò filio, veritatem declararet, aperteq; diceret, Hic est, qui per coniunctionem cum illo, qui verè naturaq; filius existit, munere & gratia factus est filius. Verũ nihil dixit eiusmodi: Sed cùm vnum, atque idem esse cognosceret, & verbum ex Deo, & natũ ex semine Dauidis, sanctificatum quidẽ dixit, quatenus homo est, sanctificare autem quatenus intelligitur Deus. Erat enim in eodem, vt dixi, hoc, & illud. Si igitur homo factus non est, si non est natus ex muliere secundum carnem, amoueamus ab eo, quæ humana sunt. Sin verum est, ipsum sese ad exinanitionem demittentem, factum esse, quales nos sumus, cur isti ab eo remouent ea, per quæ intelligitur exinanitus, mirificum assumptæ carnis consilium in consideratissime dissoluentes? B. Quid? ergo si dicetur & gloriam accipere, & Dominus esse factus, & exaltatus à patre, & constitutus esse Rex, hæc & alia eiusmodi ad Deum verbum ita referre poteris vt non ipsius gloriam afficias iniuria? A. Veri Dei verbi naturam, gloriam, & regnum, & imperium semper habuisse quis dubitet? attamen illud quoque certum est, ipsum etiam posteaq; factum est homo, diuinis sublimitatibus excellere, quippe cui omnia data adiudicataq; sunt. Quo quidem modo plenum existens, & ex propria plenitudine cũctis distribuens, humana tamen ratione accipit, cùm paupertatem nostram sibi propriã asciuerit. Et vera fuit, & noua in Christo, quod mirabile est, in serui forma dominatio, in exiguitate humana, diuina gloria. Et regia coronatum est gloria, quod sub seruitutis iugo in humanitatis mensura degebat, & humilitas suprema præstitit excellentia. Vnigenitus.n. factus est homo, non vt in mensura permaneret exinanitionis, sed vt in ipsa suscipiens, quæ ipsius sunt propria, Deus tamen etiã sic esse natura cognosceretur, hominisq; naturam in seipso extolleret, sacrarum ipsam diuinarumq; dignitatum participem faciẽs. Repe-

riemus etiam sanctos homines, cum Dei & patris gloriam appellare, & Regem, & Dominum, & filium, etiã posteaq̃ factus est homo. Esaias enim quodam loco, quemadmodum, inquit, si homo excutiat oleam, sic excutient eos, & si qui euerit vindemia, & isti voce clamabunt. At superstites in terra lætabuntur cum gloria Domini. Et alius sanctorum, Illuminare, inquit, Hierusalem, venit enim lumen tuũ, & gloria Domini super te orta est, ecce tenebræ, & caligo operient terram, super te autem Dominus apparebit, & gloria Domini in te videbitur. Iacobus verò discipulus eius, Fratres, inquit, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. At Diuus Petrus, si exprobramini, inquit, in Christo, Beati. Quoniã gloriæ & Dei spiritus super vos requieuit. B. Hæc nobis iam satis sunt, ô generose. Illud potius explana, quomodo sit à nobis intelligendum, quod de Christo scriptum. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq́; ad eum, qui posit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lacrimis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cùm esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, & consumatus, factus est omnibus obtemperãtibus sibi, causa salutis æternę. Addam & illud iis, quę dicta sunt, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? Hęc negant Dei verbo conuenire, & abiectiora esse, quam vt ipsius præstantię congruant. A. Ego quoque, mihi crede, negarem hæc Dei verbo conuenire, si ab humanæ salutis consilio excluderetur, & si à nobis nõ esset admissum illud, verbum caro factum esse, vt scripturæ testantur. Sed age diuini consilij rationẽ quatenus licet, consideremus. Apparuit nobis in forma humana Dei verbum, vt innumerabilibus naturam nostram beneficiis afficeret, & viam ad ea, quæ sunt admiranda, perducentem demonstraret. Necessarium est igitur, vt, cùm tentatio decurrat, & Charitas in Deum periclitetur, intelligamus quales esse oporteat illos, qui gloriosam, & eximiam viuendi rationẽ elegerunt, vtrum remissi, & negligentes, atq; desidiæ dediti & intempestiue delicias agentes, an precibus incumbentes & lacrimantes. Deo viuenti supplicemus & ab ipso auxilium petamus & fortitudinem, si velit nos etiam pati. Ad hæc magni refert, scire, quò tendat obedientię finis, & per quæ trãseat munera, & qualis, quantaq; sit patientiæ merces. Factum igitur est nobis exemplar Christus. Et ad hoc nos cõfirmat Diuus Petrus, Quæ enim, inquiens, gloria, si peccãtes, & vapulãtes sufferitis? At si benefacẽtes sustinetis, hoc est gratia apud Deum. Quoniã & Christus pro nobis mortuus est, nobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius: Non ergo nudum adhuc existens, neque exinanitionis expers mensuræ verbum Dei, sed in diebus carnis suæ, factum est nobis exemplum, quando sine admiratione poterat vti exinanitionis conditione, & preces intendere, ac lacrimas fundere, & egere seruante, & discere obedientiã, quanuis esset filius Dei. Admirabile enim expressit mysterium diuino spiritu afflatus, dicens, ipsum quanuis natura & verè filius esset, & Diuinitatis gloria conspicuus, demisit semetipsum ad humilitatem, vt humanę paupertatis tenuitatem subiret. Sed fuit, quemadmodum dixi, nobis præclarum atque vtile exemplar, quòd non oporteat nos ad aliam viam deflectere, cùm tẽpus nos ad fortitudinem vocat, id quod facillimè qui vis intelligat, cùm Christus modò quidem dicat, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, timete eum potius, qui potest & animam & corpus perdere in Gehennam, modò autem, si quis vult venire post me, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Porrò sequi ipsum, quid aliud est, nisi se fortiter in tẽtationibus gerere, & cœleste auxilium postulare, non autem negligenter, & remisse preces adhibere, sed eas intendere, & ex oculis reuerentiæ lacrimas profundere?

Eiusdem ex scholiis de Vnitate.

Vnio siue coniunctio multis efficitur modis. Nam & qui affectione & mente diuisi sunt, atque inter se dissentiunt, congressu beneuolo & consensione coniungi atque vniri dicuntur, è medio tollentes dissensiones. Ea quoque coniungi atque vniri dicimus, quæ conglutinantur, aut aliis rationibus vel per appositionem, vel per mixtionem, vel per temperationem copulantur. Qñ igitur Dei verbum naturæ nostræ coniunctũ vnitumq́; dicimus, ille coniunctionis vnionisq́; modus præstantior est, quam vt cogitatione nostra queat cõprehendi. Neq; enim, est vllus eorum, quos commemorauimus, sed planè arcanus, nec vlli fortasse cognitus, nisi ipsi Deo, qui nouit omnia. Neq; verò mirandũ est, quòd res eiusmodi capere nequeamus, cùm ea, quæ ad nos pertinent, quomodo se habeant, considerantes, necessario confiteamur, nos ignorare. Quis.n. valeat explicare, quomodo hominis anima cum proprio corpore coniungatur? Quòd si nos, qui parua, & ea vix quidem percipere soliti sumus, res adeò subtiles, & mentẽ, & rationem superantes coniectare fas est, dicamus, sic esse cogitandum, quanquam veritate minor hæc prorsus est ratio, talem esse Emanuelis coniunctionem, qualis est animi hominis cũ proprio corpore. Anima enim sibi propria facit ea, quæ corporis sunt, licet natura sit expers affectionum ipsius tum naturalium, tum extrinsecus aduenientium. Mouetur enim corpus ad appetitiones naturales, & anima, quæ illi inest per coniunctionem consentit, sed nullo modo fit particeps. Quòd si appetitionis euentus consequatur, existimat sese frui. Sin corpus forte vapulet, aut ferro concidatur, condolet, quod proprium corpus patiatur quanquam ipsi in propria natura nihil eiusmodi cõtingit. Attamen Emanuelis coniunctionem præstantiorem dicemus. Necessarium enim est, vt anima proprio corpori coniuncta condoleat, vt propria verbera fugiens parentẽ Deo ceruicem subiiciat. Dei autem verbum simul sentire verbera nefas est dicere. Deus enim pati non põt, ne in iis quidem, quæ nostra sunt, coniunctus tamen est carni animam habenti ratione præditam, sed cùm ipsa pateretur, nihil ille patiebatur in cognitione eorum, quæ carni contingebant, & delebat quidem, vt Deus, carnis infirmitates, proprias tamen illas habebat, quòd proprij essent corporis. Itaque & laborare dicitur, & defatigari, & pati pro nobis. Quamobrem verbi cum humanitate cõiunctio haud planè dissimilis. Quemadmodum enim corpus ab anima diuersum est, ex anima tamen & corpore homo conflatur sic ex perfecta persona verbi Dei, & ex humanitate perfecta vnus Christus existit, idem in eodem Deus simul & homo. Et propria quidem sibi facit verbum, vt dixi, ea, quæ carnis sunt, quoniam ipsius est corpus, & non alterius. Impertit autem & carni propriæ diuinæ virtutis in se existentis facultatem, vt posit & mortuos in vitam reuocare, & morbos depellere. Quòd si volumus exempla sumere è diuina scriptura, quibus coniunctionis rationẽ explicemus, licet. Beatus Esaias, Missum est, inquit, vnum è Seraphim, & habebat in manu carbonem, quem forcipe tulit ex altari, & venit ad me, & attigit labia mea. Et dixit, Ecce tetigit hoc labia tua, & auferet iniquitates tuas, & peccata tua mundabit. Dicimus carbonem exprimere nobis rationẽ

verbi hominem induti, quod si labia nostra cõtigerit, hoc est, quando fidem in eum confessi erimus, tunc nos ab omni peccato mundos declarat, & à culpis antiquis liberos reddit. Iam licet carbonis exemplo videre sic humanitati coniunctum verbũ, vt id, quod assumpsit, sibiúe cõiunxit, non abiecerit, sed in propriam ipsius gloriam, atque vim commutarit. Quemadmodum enim ignis cum ligno versans, & in ipsum ingrediens, sic ipsum apprehẽdit vt ligni natura non spoliet, sed potius in ignis speciem mutet & facultatem, & omnia in ipso peragat, quæ propria sunt, & tã quam vnum iam cum ipso esse existimatur, sic etiam de Christo iudicabis. Ineffabili enim ratione cũ humanitate coniunctus Deus, eam seruauit, vt esset, quam dicimus, & ipse quoque mansit, quod erat. Semel tamen coniunctus, cum illa vnus esse censetur, quæ illius sunt sibi propria faciens, eiq; propriæ naturę vim tribuens.

Eiusdem ex oratione de vno filio.

SVb execratione sumus, qui in Christum credimus, nisi natura & verè filius est, qui natus est ex virgine. De hoc enim Esaias ait quodam loco: Et erit radix Iessæ, & qui exurgat imperare gẽtibus, in ipso gentes sperabunt. Quomodo igitur nos, qui spem in ipso positã habemus, non sumus execrabiles, siquidem Hieremias est verus Propheta, qui maledictus, inquit, qui spẽ habet in homine? At nos, qui in Christũ credidimus, in homine spes nostras non collocauimus. Deus enim est vnus & solus, & verè filius, & antequam carnem assumeret, & postquam carnem assumpsit, qui insidens pullo, vt Euangelistæ tradiderunt, ascendit in Hierusalem. Tũc obuiam processerunt pueri, qui & dicebant, Osanna filio Dauid Benedictus, qui venit in nomine Domini. Ad hanc puerorum vocem indignati sunt Pharisęi. Cùm enim in hominis forma cõspicuus Deo conuenientem laudem admisisset, audacter accesserunt, & tantum non testati sunt, dicentes: Non audis, quid isti dicunt? Nihil abest, inquiunt, quo minus homo cùm sis, patiaris, te tãquam Deum gloria, & laudibus affici. Num his auditis Christus pueris indignatus est? num laudes ipsorũ recusauit? succensuit ne illis, à quibus laudabatᷣ vt Deus? Nequaquam. Quinetiam ad eos, qui criminationibus delectabantur, Nonne, inquit, legistis, Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? Amen dico vobis, si hi tacuerint, lapides clamabunt. Vides quomodo qui pullo insederat, secundum carnem filius Dauidis, Diuinitatis gloriam vt suam agnouit testimonio suo? Non igitur erat alienæ gloriæ socius, vt isti dicunt, neq; diuersus à verbo Dei, vt filius sigillatim. Et iccirco & Deus, & Dñs, & altissimus, Angelorum etiam voce nominatur. Nam Beatus quidem Gabriel cùm Ioannis ortum nuntiaret, & munus ipsius apertè indicaret, ad Zachariam, Multi, inquit in natiuitate eius gaudebunt. Et multos filiorum Israëlis conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Quomodo igitur cõuertit ad Dominum Deum ipsorum filios Israëlis? Nunciauit eis, Post me inquiens, venit, qui ante me factus est, quia prior me erat. Et ego nesciebã eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille dixit mihi, super quem videris spiritum descendentem & manentem, ille est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testatus sum, hunc esse filiũ Dei.

Eiusdem Excommunicatio.

SI quis dicit, verbum Dei patris esse Deum aut Dominum Christi, ac non potius ipsum & Deum simul & hominem confitetur. cùm verbum caro factum sit, vt scripturæ testantur, anathema sit. Dominus enim noster Iesus Christus, qui & vnus & solus verè filius est Dei & patris, factus est caro, & vna cum proprio genitore rebus omnibus dominatur, eiq; omne genu flectitur cœlestium terrestrium & infernorum. Et omnis lingua confitetur Dominum Iesum Christum esse in gloria Dei patris.

Eiusdem Excommunicatio.

SI quis dicit Iesum vt hominẽ à Dei verbo regi, & vnigeniti gloriam ei tanquã ab ipso differenti circundari, anathema sit. Quando enim Beatus Gabriel vnigeniti filij Dei ortum in carne sanctę virgini nuntiauit, paries, inquit, filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluũ faciet populum suum à peccatis ipsius. Vocatus autem est Christus quia nobiscum vnctus est humaniter.

Eiusdem ex Epistola ad Nestorium.

NOn enim dicimus verbi naturam immutatam carnem esse factam, neque in totum hominem ex anima corporeq; constantem esse conuersam, sed potius verbum sibi per personam assumpsisse carnem animatam anima ratione prædita, factumq; esse hominem eo modo, quem nec verbis assequi nec cogitatione cõplecti possumus, & filium hominis esse declaratum nõ voluntate solum, nec personæ tantum assumptione. Et quanuis ad veram coniunctionem diuersæ naturæ concurrerint, vnum tamen ex vtrisque Christum & filium constare, non quòd per coniunctionem, naturarum diuersitas sublata sit, sed potius quòd vnum nobis Dominum, & Christum, & filiũ constituerint, ineffabili & arcano Diuinitatis atque humanitatis concursu. Atque ita quanuis æternam habeat essentiam, & ex patre genitus sit, tamen ex muliere secundum carnem natus dicitur. Non quòd diuina ipsius essentia ex sancta virgine principium acceperit existendi, aut quòd secundo ex ipsa ortu necessario post ortum ex patre indiguerit. Est enim hoc leue simul ac stultum, existimare, eũ, qui est ante omnia secula, & qui ęternus est cũ patre, egere secundo principio, vt sit. Verum quia propter nos, & propter salutem nostram, sibi secundum personam humanitatem assumens ex muliere processit, iccirco dicitur natus secundum carnem. Non enim primum ex sancta virgine cõmunis natus est homo, deinde verbum Dei ad ipsum accessit, sed ex ipso vtero coniunctum subiisse dicitur ortũ carnis, quoniam propriæ carnis ortũ sibi proprium fecit. Sic ipsum dicimus passum & surrexisse, non quòd Dei verbum in propria natura vel verbera, vel clauorũ foramina, aut alia vulnera pertulerit, Deus enim pati non potest, quoniam & corporis expers. Sed quoniã corpus, quod ipsius factum est, hæc pertulit, ipsum rursus pro nobis passum dicimus. In corpore enim quod patiebatur, ipse erat impatibilis. Eodemq; pacto mortuum dicimus. Nam verbum quidẽ Dei natura est immortale & incorruptibile, & ipsa vita, & vitam largiens. verum quoniam corpus eius proprium gratia Dei, quemadmodũ Paulus ait, pro omnibus mortem gustauit, dicitur pro nobis etiam mortem pertulisse, non quòd mortis experimentum subierit, quod quidem ad naturam ipsius peruenerit, id enim dicere, aut sentire dementis sit, sed quoniã vt modo dicebam, caro eius mortẽ gustauit. Sic etiã cùm eius caro resurrexerit, ipsius dicitur resurrectio, Non quòd verbum ad interitum deuenerit, absit, sed quoniam corpus ipsius resurrexit. Sic Christum vnum & Dñm cõfitemur, non quòd hominem adoremus cum verbo, ne per syllabam hác, cum, vlla diuisio-

nis incidat cogitatio, sed quòd vnum & eundē adoremus. Quandoquidem à verbo seiunctum nō est corpus ipsius, cum quo considet cum patre, non quòd duo rursum filij consideant, sed vnus per coniunctionem cum carne.

Eiusdem ex Epistola ad Eulogium.

ORientalium expositionem reprehendunt quidam & dicunt, cur cùm naturas nominarint, Episcopus Alexandriæ pertulit, & laudauit, cùm illi, qui Nestorio fauent, eum dicant idem sentire, atque ita corripiant eos, qui rem haud ita planè norunt? Istis reprehensoribus respondendum est, nō omnia, quæ dicunt hæretici, fugere & accusare nos oportere. Multa enim cōfitentur, quæ nos item confitemur. Vt cùm Ariani patrem rerum omnium auctorem & Dominum dicunt, non debemus nos id negare. Sic etiam de Nestorio sentiendum est, quanuis duas dicat naturas, differentiam ostendens carnis & verbi Dei, alia enim est verbi natura, & alia carnis. Verum nobiscum non confitetur etiam vnionem & coniunctionem. Nos enim hæc copulantes vnum Christum, vnum Dominum eundem confitemur, & vnam verbi Dei naturam carnem assumpsisse. Et paucis verbis interiectis. Naturarum discrimen agnoscere, non est, vnum Christum in duo secare.

Eiusdem ex Epistola ad Acacium.

NEstorius ergo tollit omnino vnigeniti filij Dei ortū in carne. Negat enim ipsum esse natum ex muliere secūdum scripturas. Sic enim ait, Deum ex Christi genitrice Virgine processisse ex diuina scriptura didici, natum autem ex ipsa Deum nusquam didici. Et in altera rursum expositione, Nullo igitur modo scriptura Deum ex Christi genitrice virgine natum dicit, sed Iesum Christū, filium, Dominum. Quòd autem hæc dicens, in duos filios vnum diuidat, & alterum per se filium, & Christum, & Dominum, nempe ex Deo patre genitum verbum, Alterum rursus proprie sigillatim, & per se filium, & Christum, & Dominum cōstituat, quis dubitet, cùm ipse id clara voce fateatur? At fratres Antiocheni Dei genitricem appellāt sanctam virginem, & vnum esse dicunt filium, & Christū, & Dominum, perfectum in Diuinitate & in humanitate perfectum eundem, quippe cùm illius caro sit animata anima ratione prædita.

Ex eadem Epistola.

NEstorius simulat, se cōfiteri, Dei verbum hominē, seu carnem assumpsisse, sed assumptionis ignorans vim, duas quidem naturas nominat, easq; vicissim separat, Deum separatim statuens, & hominem itidem separatim, qui habitu, & sola honoris æqualitate, seu auctoritate cōiunctus sit Deo, Sic enim ait, Ab eo, quod cernitur, non est separatus Deus, Itaque cùm separatus non sit, nec honorem separo. Naturas separo, sed adorationem coniungo. At fratres Antiocheni ea, ex quibus intelligit̃ Christus, in nudis & solis nationibus suscipientes, naturarum quidem differentiam statuerunt, quod idem in qualitate natutali non sit Diuinitas atque humanitas, vnum tamen filium, & Christum, & Dominum, & vnam ipsius vnius existentis personam asserūt, & nulla ratione diuidunt, quæ sunt cōiuncta, neque naturalem admittunt diuisionem, quemadmodum sentire videbatur iste decretorum infelicium introductor, sed diuidi solas contendunt voces, quæ de Domino dictæ sunt, easq; conuenire dicunt, non partim quidem filio, qui separatim cōsideretur verbum Dei, partim rursum alteri filio, qui ex muliere natus sit, sed alias quidē ipsius Diuinitati, alias rursum eiusdem humanitati. Eundem enim esse Deum atque hominem. Alias autem dicunt esse communes quodam modo, & ad Diuinitatem atque humanitatem respicientes. Nam aliæ quidem voces maxime Deo congruentes, aliæ contra homini, aliæ medio quodam se habent modo, quæ filium Dei simul, & hominem, & in eodem pariter ostendunt. Et post alia. Neque enim eo dementiæ processerunt, vt se transgressores constituerent, ea, quæ rectè dissoluerunt, inconsiderate construentes. Nā si Nestorij probant opiniones, quomodo illas vt adulterinas & execrandas detestantur? Causas autem arbitror explicandas, quamobrem ad eiusmodi nugarum subtilitatem progresi sunt. Quoniam enim Arianę impietatis defensores veritatem nefariè venditantes, Dei quidem verbum factum hominem dicunt, sed tamen inanimatū corpus assumpsisse, vt humanas ipsi voces tribuentes ostendant iis, quos deceperunt, ipsum patris excellentiæ cedere, & diuersæ ab ipso dicant esse naturæ. Orientales veriti, ne Dei verbi gloria naturaq; minuat̃ ob ea, quæ propter dispensationem in carne factam, humana ratione dicta sunt, voces definiunt, non vnum Christum & Dominum, vt diximus, in duas diuidentes personas, sed alias quidem ipsius tribuentes Diuinitati, alias autem humanitati, vniuersas tamen vni.

Eiusdem ex oratione de assumpta a verbo humanitate. Virginem esse Dei genitricem.

AVdientium animos decepturos se quidam existimāt, dicentes, Deum verbum hominem assumpsisse, & per ipsum ex virgine prodiisse, & eū ipsum hominem à Deo verbo diuinum esse redditū. Qui sanè hoīes pietatis mysterium ignorant, & vnigeniti gratiā ex susceptæ carnis cōsilio profectam mediocrē efficiunt. Nos aūt haud ita sumus edocti, sed vnum eūdemq; scimus, fratres, per sanctam virginem Dei genitricem genitum Deum perfectum, & hominē animatum anima ratione prædita. Sic & Dei genitricem dicimus sanctam virginem in eaq; Deum verbum per essentiam non opinione sed re ipsa filium Dei simul & filium hominis habitasse. Quinetiam Diuinitatis, Humanitatisq; voces, quas nobis de ipso diuinæ tradunt scripturæ, in vnam personam dicimus conuenire. Eundem enim scimus esse, qui in puluinari dormiebat, & qui cum potestate mari & ventis imperabat, eundem, qui in itineribus defatigabat̃, & qui propria auctoritate super mare tanquam super solidam terram ambulabat. Eundē igitur Deum & eundem Dominum confitemur. Quid.n. mirum, si homo quispiam, quales nos sumus, Dei potestate miracula facere dicatur? Verùm vt Deum ipsum verbū sese exinanisse nobis ostendant diuinæ scripturæ, non opinione, sed veritate, vnum atque eundem nobis affirmant in prædicationibus prophetarum & apostolorum.

Ex Epistola ad Ioannem Antiochenum.

COnfitemur igitur Dominum nostrum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, Deum perfectum, & perfectum hominem ex anima ratione prædita corporeq; constantem, ante secula quidem ex patre genitum secundum Diuinitatē, in extremis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem ex Maria natum virgine secundum humanitatem. Duarum enim naturarū coniunctio facta est. Quamobrem vnum Christum, vnum filium,

filium, vnum Dominum confitemur. Et hac quidem in confusæ coniunctionis notione confitemur sanctam Virginem esse Dei genitricem. Quoniam Deus verbum caro & homo factus est, & ex ipsa conceptione sibi templum ex illa sumptum adiunxit & copulauit.

Ex oratione ad augustissimas Dominas habita.

NISI sancta Dei genitrix Deum carnem indutum carne peperit, necesse est omnino, vt eam communem hominem, nihil amplius, quàm nos habentem peperisse, velint, nolint, fateantur. Quòd si ita est, quomodo ipsi flectetur omne genu? & omnis lingua confitebitur, Dominum Iesum Christum esse in gloria Dei patris? Quomodo ipsum adorant omnes Angeli, & supremarum virtutum sancta multitudo? Communem hominem cœlum vniuersum nobiscum adorabit? Absit. Adoramus enim Emanuelem vt Deum verum. Aliter autem non erit adorandus, nisi credamus, ipsum Dei Verbum, quod ab omnibus rebus procreatis adoratur, factum esse carnem, vt scripturæ testantur, non quòd in carnem mutatum sit, sed quòd ex sancta Virgine, vt dixi, carnem assumpserit, & humanum nobiscum ortum subierit, vt & homo factus pro nobis moreretur quidem humanitus, resurgeret autem diuinitus, subigens mortis imperium. Sic enim fieri poterat, vt nos quoque in Christo vinceremus, & peccatum quidem reiiceremus, corruptionem autem exueremus, & mortem superaremus. Sic & per immensam in Christo lætitiam nobis licet dicere, Vbi est mors victoria tua? vbi stimulus tuus? Inferne? sicut in Adam cecidimus, sic in Christo vicimus. Quòd si communis homo fuisset Emanuel, quomodo hominis mors naturam hominis adiuuisset? Atqui multi antea mortui sunt sancti Prophetæ, Abraham ille celebratissimus, & Isaac, & Iacob, & Moses, & Samuel, & qui deinceps sancti fuerunt, quorum mors humano generi nihil attulit adiumenti. At Christi mors illud seruauit. Propriam enim carnem pro nobis obtulit, & tradens eam morti propter nos, omnes è mortis vinculis liberauit. Satis enim fuit vnus pro omnibus moriens, qui dignior est omnibus, quoniam & natura Deus est ex patre verbum, & proprium ipsius est corpus, quod pro nobis omnibus in odorem suauitatis oblatum est patri. Impium igitur est, & absurdissimum, vnum Dominum Iesum Christum in duos diuidere. Istis autem & sapientissimus Paulus aduersabitur, Vnus, inquiens, Dominus, vna fides, vnum baptisma. Quòd si vnus est Dominus, in duos autem filios vnum diuiserint, vtri Dominationis gloriam tribuent? Verbo nimirum ex patre. Ipsi enim dominationis & nomen & res maximè congruit, & est verè rerum omnium Dominus. Sed vbinam alterum collocabimus?

A dominatione enim excludetur, eamq; præstantiori, & sine comparatione sublimiori concedet. An ex muliere nato, vt isti dicunt, qui eos separant, dominationis gloriam ascribemus? Sed quomodo erit Dominus verbũ ex Deo? Si cùm vnus existat Dominus, vt scripturæ testantur, homini nudo nomen dominationis largiemur? Negant enim, quantum veritatis vim licet dicere, Dominum, id est, Christum à quo redempti sunt. Sed veriti molestias, & mirabilem zelum eorum, qui soliti sunt piè sentire, eum, qui ex sancta Virgine natus est, & Deum, & Dominum, & Dei filium esse cõfitentur, adeo, vt si simplicium aliquis audiat sermones ipsorum, iudicet, vt par est, eos recta, piaq; dicere, & à veritatis decretis nihil abhorrentia. At si quis intimos eorum sensus peruestiget, & eorum dicta diligenter expendat, haud simplices esse deprehendet. Sunt enim Dei multi tum in cœlo, tum etiam in terra, vt Beatus nobis indicat Paulus, sed nobis vnus est Deus, pater, ex quo omnia, & nos in ipso, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed cùm Iesum Christum nominamus, Dei patris verbum in forma humana manifestatum significamus, non in gratiæ parte, nec extrinsecus adiunctam habens dignitatem, sed quod verè sit id, quod esse creditur. Deus enim natura cùm sit, & sine carne, & cum carne mansit Deus. Et filius natura cùm sit, & ante carnem filius mansit, & posteaquam caro factus est, & Dominus verè omnium rerum cùm sit, in tali conspicitur gloria, etiam postquàm homo factus est. Proinde si Deum verum esse dicunt eum, qui ex Virgine natus est, hoc est, natura Verbum ex Deo patre, cum carne coniunctum cur sanctam Virginem esse Dei genitricem verentur cõfiteri? Verum hoc illis propositum est, vt fingant se dicere, eum esse & Deum, & Dominum, & cũ patre cõsidere, cùm tamen re vera aliter sentiant, dicãtq; in gratiæ parte, & ex progressu datam esse adoptionis? & dominationis gloriam communi illi homini, quales nos sumus, qui ex Virgine natus est.

Eiusdem.

DIcimus igitur Dei verbum cùm spiritus sit vt Deus, pro salute omnium, vt scripturæ testantur, carnem & hominem factum esse, non ex propria natura sibi corpus accipiens, neque desinens esse id, quod erat, nec vllam subiens mutationem, sed ex sancta Virgine immaculatum corpus assumens animatum anima mente prædita, illudq; proprium reddens per coniunctionem minime cõfusam, quæ nec animo, comprehendi nec verbis omnino potest explicari, adeò, vt non alterius sed proprium ipsius corpus intelligatur. Sic ingressus est in mundum vnigenitus, qui primogenitus & in multis fratibus factus est, qui tamen vt Deus inter res procreatas non potest collocari. Quare cùm dicitur natus, & ex muliere, necessario secundum carnem adiicitur, ne existendi principium ex sancta Virgine intelligatur accepisse, cum ante seculum omne sit, & sempiternus, & semper extiterit cum patre Deus verbum. Verùm quando ex voluntate patris formam serui sumere voluit, tunc & ortum ex muliere secundum carnem subiisse dicitur. Sine controuersia igitur quod ex carne est, est caro, & quod ex Deo Deus, ex vtroque autem in idem Christus, qui vnus est filius, & Dominus cum propria carne non inanimata, sed animata anima, vt dixi, mente prædita. Non igitur vnum nobis filium in duos secent, seorsum constituentes verbum & filium, & alterum seorsum & separatim hominem ex muliere, vt ipsi aiunt, sed cogitent non magis Deum verbum homini coniunctum esse, quàm ipsum esse factum hominem dici, dum semen Abraham assumit, vt dicunt scripturæ, & in omnibus, excepto peccato, fratribus assimilatur. Absoluta autem similitudo in primis habebit ortum ex muliere, & si intelligitur supra nos, humanè tamen & secundum nos, nam de Vnigenito quidem est super hoc. Deus enim erat caro factus. Quapropter & Dei geni-

trix sancta vocatur virgo. Quòd si dixerint, Deum, & hominem congressos in idem, vnum Christum effecisse, seruata nimirum vtriusque persona sine confusione, nihil eos propterea exquisitè sentire, aut dicere possumus intelligere. Non enim, vt ipsi aiunt, Deus & homo congredientes Christum vnum effecerunt, sed vt iam dixi, Deus existens Verbum similiter, atque nos, sanguinis & carnis particeps factum est, vt Deus homo factus & carnem assumpsisse nostram intelligatur, & propriam effecisse. Vt quemadmodum ex anima & corpore vnus homo consurgit, sic ipsum vnum filium & Dominum confiteamur. Vna enim hominis est natura & constitutio, licet ex diuersis & differentibus rebus consistat. Alterius enim naturæ confitemur esse corpus, si cum anima comparetur. Sed proprium tamen est corpus ipsius & hominis vnius personam perficiens. Atque animo quidem & cogitatione vtriusque percipitur differentia, congressus autem & concursus, non admittens diuisionem, vnum absoluit animal hominem. Vnigenitus ergo Dei Verbum non hominem accipiens prodiit homo, sed arcanum habens ex patre ortum per sanctum & eiusdem essentiæ spiritum sibi templum fabricans factum est homo. Quamobrem & vnum intelligitur.

Eiusdem ex oratione ad Presbyteros, & Diaconos, & Monachos.

EX ipsa profectò patris essentia genitum est viuens Verbum & in sua consistens persona. Sed in extremis seculi temporibus, cùm factum est caro, id est, cùm carnem assumpsit, animam habentem ratione præditam, natum esse dicitur in carne, & per mulierem. Quod quidem mysterium humano partui videtur simile. Nam matres quidem terrenæ, dum naturæ seruiunt ad generationem, compactam ad breue tempus carnem in vtero gerunt, & ineffabili quædam Dei virtute progredientem ad perfectam formam humanam. Deus autem animali spiritum iniicit. Format enim spiritum hominis in ipso, vt ait Propheta. Alia autem est carnis, & alia animæ ratio. Verùm quāuis solius terreni corporis matres sint, tamen totum animal ex anima & corpore constans, non autem partem dicuntur peperisse. Nemo enim exempli gratia dixerit, Elisabet carnem, non autem animam peperisse, quippe quæ animatum Baptistam peperit. Tale quiddam & in Emanuelis ortu actum esse dicimus. Genitum enim est ex Dei & patris essentia, vt diximus, vnigenitum ipsius Verbum. Sed posteaquam carnem assumens, eamq́; sibi propriam faciens, declaratum est etiam filius hominis, & factum est, quales nos sumus, non alienum est, vt arbitror, dicere, immò verò necessarium est, cōfiteri, ipsum per mulierem genitum esse secundum carnem. Quemadmodum & anima hominis nimirum simul cum proprio corpore nascitur, & vnum cum ipso censetur, quāuis natura diuersa cognoscatur, & sit ratione propria. Quòd si quis matrem alicuius, carnem ipsius, non autem animam peperisse dixerit, ineptus & vanus existimabitur. Peperit enim, vt dixi, compositum planè ex dissimilibus animal, ex duobus nimirum in vnum hominem, cùm vtrunque maneat id, quod est, concurrant tamen quasi in vnitatem naturalem, atque inter se commisceant, quod vtrique proprium est. Quod autem vnitas in Christo sit maximè necessaria, cùm aliis multis rationibus perspicere facillimum sit, nos tamen, si videtur, Beati Pauli verba perpendamus, eaq́; diligenter pro viribus consideremus. De Vnigenito igitur dicit, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus, vt homo, humiliauit se ipsum. Quis igitur est, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualē Deo, aut quo exinanitus est modo? vt quomodo sese humiliauit, & in serui forma, inuentus est? Qui in duo secant vnum Dominum Iesum Christum, nempe in hominem, & in verbū Dei, eum, qui ex sancta Virgine natus est, exinanitionem subiisse dicunt, ab eoq́; segregant verbum Dei. Ostēdant igitur prius illum in forma & æqualitate patris extitisse, vt & exinanitionis modum subierit, in qua non erat. Verùm nulla res est procreata, quæ natura propria sit in patris æqualitate. Quomodo igitur dicitur exinanitus, si natura homo existens natus est ex muliere, quemadmodum nos? Dic mihi ex qua antiquiore conditione, quæ sit humana præstantior, eo descendit, vt homo fieret? Aut quomodo intelligatur serui formam suscepisse, quam principio non habuerit, qui natura est inter seruos, & manet sub iugo, seruitutis? At enim, inquiunt, qui natura, & verè, & liber est filius, patris verbū, in eius, à quo genitus est, forma existens, & illi æqualis habitauit in homine per mulierem genito. Et hoc est, exinanitio, & humilitas, & serui formā accepisse. Quid, ò viri optimi, satis ne fuit ad verbi Dei exinanitionem, vt in homine habitaret? Et tutum est dicere, ipsum hoc pacto serui formam subiisse, atque ita exinanitionis rationem peregisse? Atqui audio, ipsum sanctos Apostolos hunc in modum alloquentem, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Audis quomodo dixerit, Deum & patrem secum in illis habitaturum, à quibus diligitur? Patrem'ne igitur exinanitum, & eandem, quam filius subiit, humilitatem tulisse, & serui formam accepisse concedemus, quoniam sanctas animas diligentium filium, domicilia sibi constituit? Quid ipse Spiritus sanctus, qui in nobis inhabitat, humanæ carnis assumendæ consilium expleuit, quòd filium solum omnium salutis & vitæ gratia executum dicimus? Facessat tam superuacanea, & stulta planè, atque inanis temeritas. Humiliauit ergo se ipsum in Dei & patris forma & æqualitate existens Verbum, quando, vt Ioannes ait, caro factum ex muliere natum est, & cum ortum haberet ex Deo patre, ortum etiam nostrum pati voluit propter nos. Doceant nos isti qua ratione Verbum ex Deo patre Christus intelligatur, & dicatur à nobis, nisi propterea quòd vnctus est. Quem vnxit pater oleo exultationis, siue Spiritu sancto. Si separatim ex se genitum Deum Verbum, & id verum esse dicunt, ignorant, se Vnigeniti naturam iniuria afficere, & assumptæ carnis mysterium negant. Nam si Spiritu sancto vnctum est Verbum existens Deus, sanctificationis ipsum prorsus indiguisse vel inuiti fatebuntur, superioribus temporibus, quibus nondum vnctum expers erat adhuc huius muneris, quod illi postea datum est. Quod autem sanctificatione priuatum erat, natura mutatum est. Præterea haud planè peccati expers intelligatur, neque peccare non potuisse. Mutationem igitur ad meliora fortasse pertulit Verbum. Quod si ita est, quomodo est idem, & immutatum non est? Quòd si Verbum Deus existens & in forma & æqualitate patris vnctum & sanctificatum est, dicat aliquis fortasse à re proposita ad exiles cogitationes diuertens, &

patrem ipſum ſanctificationis egere, atque adeò minorem eſſe filio, ſiquidem ſanctificatus eſt filius, cùm patri eſſet æqualis & in forma eius, ante ſanctificationem. Pater autem manſit in quibus erat ſemper, & eſt, & erit, & nondum ad meliora augmentum accepit, quippe qui ſanctificatus non ſit, quemadmodum filius. Et ambobus maior ſpiritus, qui ipſos ſanctificat, apparebit. Nemini enim dubiũ eſt, quin minori à maiore benedicatur. Verùm inanes iſtæ ſunt nugæ, & dementię atque ſtuporis indicia. Sãcta enim per naturã eſt eiuſdem eſſentiæ Trinitas. Sanctus eſt pater, ſanctus & filius per eſſentiam eodem modo, ſimiliter & Spiritus ſanctus. Itaque, quantum pertinet ad naturam propriam, ſeparatim ſanctificatum non eſt verbum Dei. Sin aliquis putet, ſolum, ex ſancta natum virgine fuiſſe vnctum & ſanctificatum, atque ita vocatum eſſe Chriſtũ, In medium prodeat iſte, atque dicat, an ſatis fuerit vnctio ad declarandum illum, qui vnctus eſt, gloria, & imperio æqualem illi, qui omnibus antecellit. Quòd ſi id ſatis eſſe dixerit, cùm vncti ſimus & nos, atq; ita teſtetur Diuus Ioãnes, Et vos, inquiens, vnctionem habetis à ſancto, num erimus & nos fortaſſe æquales Deo? Ecquid erit impedimento, quo minus & nos cum ipſo conſideamus, quemadmodum & ipſe Emanuel? Sic enim ad illum dictum eſt, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorũ, Adoret & nos ſancta cœleſtium ſpiritũ? multitudo. Quando enim, inquit, introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei. At nos, licet Spiritu ſancto vncti ſimus, & adoptionis gratiam obtinuerimus, vocemurq; Dij, non tamen naturæ noſtræ conditionem ignoramus. Sumus enim è terra, & inter ſeruos numeramur. Ille verò nõ eſt, in quibus nos ſumus, ſed natura, vereq; filius, & omnium Dominus, & è cœlo. Nec ſi rectè ſentire voluerimus, vnquã dicemus, carnem Deum effectum eſſe, neque ipſam Diuinitatis naturã genitam eſſe per mulierẽ, cùm humanitate nõdum aſſumpſerit. Sed potius verbum ex Deo, & ex ſancta virgine perfectum hominem in vnum conferentes, vnum Chriſtum Ieſum Dominum adorabimus. neq; Diuinitatis terminis propter carnem excluſi, neque propter ſimilitudinem noſtram ad nudam humanitatẽ deſcendentes. Sic intelliges, verbum ex Deo genitum voluntariam exinanitionem pertuliſſe. Sic humiliauit ſemetipſum formam ſerui accipiens, qui natura propria liber eſt. Sic Abraham ſemen apprehẽdit, & ſanguinis, carniſq; particeps factus eſt. Si enim homo nudus intelligit, quales nos ſumus, quomodo alterius præter ſe naturaliter apprehendit ſemen Abrahę? At quomodo propriæ carnis particeps per omnia fratribus ſimilis factus eſt? Quod enim cuipiam ſimile fit, id ex diſsimili eo decurrit, vt ſimile efficiatur, Apprehendit igitur ſemen Abrahæ, & ſanguinis carniſq; particeps factum eſt Dei verbum, propriũ corpus efficiens, quod ex muliere, aſſumpſit, vt iam non ſolum eſſe Deus, verùm etiam homo, quales nos ſumus, per vnionem intelligatur. Ex duabus ergo rebus Diuinitate nimirum, atque humanitate conſtat Emanuel, ſed vnus tamen eſt Dominus Ieſus Chriſtus, & vnus ac verè filius, Deus ſimul atque homo, nec homo Deus effectus, æqualis iis, qui per gratiam ſunt, ſed Deus verus, in forma humana apparens propter nos. Id nobis perſuadeat Diuus Paulus, Quando venit, inquiens, plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuũ factum ex muliere, factum ſub lege, vt qui ſub lege erant, redimeret, vt nos adoptionem reciperemus. Ecquis eſt ille, qui miſſus eſt ſub legem, & ex muliere factus eſt, vt dixi, niſi is, qui ſupra leges erat, vt Deus? Sed poſteaquam declaratus eſt homo, factus eſt ſub lege, vt per omnia fratribus aſsimilaretur. Itaque ſimul cum Petro didrachmum ſoluit ſecundum legẽ Moſis. Quòd autem ſit liber vt filius, & lege ſuperior vt Deus, & ſi factus eſt ſub lege vt homo, docuit ipſe, Reges, inquiens, terræ à quibus accipiunt cenſum, aut tributum, à filiis ſuis, an ab alienis? Petro autem ab alienis, reſpondẽte: ſubiecit ipſe, ergo liberi ſunt filij. Porrò Dei genitricem, non autem Chriſti genitricẽ Virginem appellamus, quod alio modo Chriſti, hoc eſt, vncti dicantur tum Reges, tum ſacerdotes, nec ſolum qui oleo cornu quondam vngebãt, ſed etiam Spiritu ſancto. Horũ matres Chriſti genitrices, non autem Dei genitrices dici poſſunt. Atqui Dei quoq; dicuntur alia rõne, Vt illud, Deus ſtetit in ſynagoga Deorum. Ne igitur ex ſancta Virgine genitus vnus ex his, qui Chriſti dicuntur, exiſtimetur, eam non dicimus Chriſti genitricem, quanquam Chriſtum genuit, ſed Dei potius genitricem appellamus, ne nudum hominẽ, quales illis ſunt, ab illa genitum concedamus, eam ſeparantes ab aliis matribus, quæ Chriſtos, id eſt, vnctos Reges, ſeu ſacerdotes genuerunt, Dei genitricem nominamus.

Item aduerſus Neſtorianos Damaſceni, *Caput.* LXXVI.

Dei genitricem proprie & verè ſanctam virginem prædicamus. Nam vt verus eſt Deus, qui ex ipſa natus eſt, ſic vera Dei genitrix eſt, quæ verum Deum carnem ex ſe ſuſcipientem genuit. Deum enim dicimus ex ipſa natum, non quòd verbi Diuinitas principium ex ipſa duxerit exiſtendi, ſed quòd ipſum Dei verbum. quod ſine vlla temporis præſcriptione ante ſecula ex patre genitum eſt, & ſine principio ab æternitate cum patre & ſpiritu exiſtit, in extremis diebus propter ſalutem noſtram, in vtero ipſius habitarit, & ex ipſa ſine mutatione carnem ſumpſerit, & genitum ſit. Neque enim hominem ſimplicem peperit ſancta virgo, ſed Deum verum, non nudum, ſed carne indutum, non qui è cœlo corpus detulerit, & per ipſam tanquam per canale tranſierit, ſed qui ex ipſa carnẽ eiuſdem eſſentiæ, cuius eſt noſtra, acceperit, & in ſeipſo conſtiterit. Si enim è cœlo corpus detuliſſet, & non è natura noſtra ſumpſiſſet, quæ carnis aſſumptæ fuiſſet vtilitas? Eo nanque conſilio Dei verbum caro factum eſt, vt natura, quæ peccauerat, & ceciderat, & corrupta erat, tyrannum, à quo decepta fuerat, ſuperaret, atque ita ab interitu vindicaretur. Quemadmodum Diuus ait Apoſtolus, Quia per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Si primum eſt verum, & ſecũdum, Et ſi dicit, Primus homo Adam de terra terrenus, ſecundus homo Dominus è cœlo, non intelligit corpus eius è cœlo conſtare, ſed oſtẽdit non eſſe hominem ſimplicem. Alioquin vt vides, & ipſum Dominum Adam nominauit, vt vtrunque ſignificaret. Adam enim ſonat è terra ſumptum. Nam hominis natura è terra conflata eſt. Dominus verò diuinam eſſentiã conſtituit. Rurſumq; Diuus ait Apoſtolus, Miſit Deus vnigenitum filium ſuum factum ex muliere, non dixit per mulierem, ſed ex muliere. In quo ſignificauit, ipſum eſſe vnigenitum filium Dei, & Deum, corpore quidem natum, quatenus factus eſt homo, non quòd in homine prius formato, vt in Propheta habitauerit, ſed quòd ipſe per eſſentiam verè factus ſit homo, ſeu in ſua ipſius propria perſona carnem anima ratione, menteq; prædita animatam ſumpſerit, factuſq; ſit illius ipſe perſona. Id enim ea verba ſignificant. Factum ex muliere. Quomodo enim ipſum Dei

verbum sub lege factum est, nisi homo eiusdem, cuius nos sumus, essentiæ factum est? Quamobrem iuste & vere sanctissimam Mariã Dei genitricem appellamus. Hoc enim nomen totum humanæ carnis assumptæ mysterium complectitur. Si enim Dei genitrix est, quæ peperit, Deus omnino est, qui ex ipsa natus est, idemq; prorsus & homo. Qui enim ex muliere nasci potuisset Deus, qui ante secula est, nisi homo factus esset? Filius enim hominis homo nimirum est. Quòd si is, qui natus est ex muliere, Deus est, vnus profectò est, qui ex Deo genitus est, quantum ad diuinam & principio carentem essentiam pertinet, & qui in extremis temporibus, quantum ad essentiam, quæ principium habet, & est sub tempore, siue ad essentiam humanã pertinet, ex Virgine natus est. Hoc autẽ vnam personam, & duas naturas, & duos ortus significat Domini nostri Iesu Christi. At virginem sanctã non appellamus Christi genitricem. Quoniam sceleratus, & execrandus, & Iudæorũ errorem sequens Nestorius, quæ vocem hanc Dei genitricem tolleret, & quæ verè supra res omnes procreatas honorata est, Dei matrem despiceret, licet ipse simul cum patre suo Satana disrumpatur, vocabulum istud excogitauit. Nam & Dauid Rex Christus vocatur, & Aaron sacerdos. Regnum enim & sacerdotium vnctione sanciebantur. Et omnis vir diuinus Christus dici potest, non autem natura Deus. Verùm Nestorius iste vesanus etiam è virgine natũ ausus est Theophorum, id est, Deigerum, siue diuinum appellare. Absit autem, vt nos eum Deigerum non autem Deum carnem indutum dicamus, aut cogitemus. Ipsum enim verbum caro factum est sine mutatione, ex vtero quidem virginis, quo gerebatur, prodiens Deus cũ assumpta carne, cùm iam & hæc ab ipso diuina esset reddita, simul atque esse cœpit. Quare simul fuerunt hæc tria, vt assũmeretur, vt esset, vt efficeretur Diuina ab ipso verbo. Atq; ita intelligitur & dicitur Dei genitrix sancta virgo, non solum propter verbi naturam, sed etiã quia homo factus est Deus. Quorum simul & comprehensio & essentia mouet admirationem, comprehensio quidem verbi, carnis autẽ essentia in ipso verbo per ipsam Dei matrem, quæ ratione naturam superante præbuit formatori, vt formaretur, & Deo rerumq; omnium effectori, vt homo fieret, & assumptum hominem Deum faceret. Cùm ipsa coniunctio, quę coniuncta sunt, seruaret, qualia coniuncta sunt, nõ modo Christi Diuinitatem dico, sed etiam humanitatem, quod supra nos est, & quod iusta nos. Neque enim quod prius erat iusta nos, postea factum est supra nos. Sed ex prima vtrunque fuit essentia: propterea quòd ex summa comprehensione in ipso verbo essentiam habuerunt. Itaque humanitas quidem est secundum naturam propriam, Dei verò, & diuinam, ratione naturam superãte, & adhuc animatæ carnis proprietates habuit. Suscepit enim illas verbum dispensationis ratione, naturalis motionis ordine, secundũ veritatem naturaliter factas.

Eiusdem. Cap. LXXXVI.

PRoficere dicitur sapientia, & ætate, & gratia, ætate quidem crescens, & per incrementum ætatis, sapientiam, quæ ipsi inerat, in apertum proferens, præterea hominũ in sapientia & gratia progressum, & bonæ patris voluntatis perfectionem, seu hominum de rebus diuinis cognitionem, & salutem, proprium profectum faciẽs, &, quod nostrum est, suum planè reddens. Qui verò ipsum sapientia & gratia ita dicunt profecisse, vt earum augmenta susceperit, ij Nestorium stulte sentientem secuti coniunctionem per habitam & nudam habitationem cõfingunt, nec quæ dicant, nec de quibus affirment, cognoscentes. Nam si caro verè coniuncta est verbo, simul atq; esse cœpit, & eandem cum ipso in persona essentiam habuit, qui fieri potuit, vt perfectè cunctas sapientiæ & gratiæ diuitias non habuerit?

Eiusdem. Caput.

CVm sine peccato esset Dominus noster Iesus Christus, peccatum enim nõ fecit, qui sustulit peccatum mundi, nec inuentus est dolus in ore eius, morti non fuit obnoxius. Siquidem per peccatum in mundum mors introiuit. Mortuus est igitur, mortem pro nobis subiens, et se ipsum patri pro nobis hostiam obtulit. Nos enim in eũ peccaueramus, & ipsum oportebat pro nobis pretiũ accipere, atque ita nos condemnatione liberari. Quòd si mortuus est etiam vt homo, & sancta ipsius anima ab immaculato corpore separata est, Diuinitas tamen à neutro discessit, nec ab anima, nec à corpore Neq; propterea persona vna in duas diuisa est. Nam corpus & anima, quæ eodem tempore à principio in verbi persona essentiam habuerunt, licet in morte seiuncta fuerint, vnam tamen verbi personam habentia & sine diuisione cum ipso coniuncta permanserunt.

TITVLVS DECIMVSQVINTVS

Magni Athanasii. Aduersus illos, qui Christum vnam esse dicunt naturam compositam. Licet enim postea ab Eutychæ & Dioscoro Monophysitis hæc hæresis fuerit propagata, fuerunt tamen antea quidam, qui nefariæ istius opinionis semina proiecerunt. Sanctus autem Maximus eam dicit Apolinarium disseminasse.

QVID? argumentum illud, quo veluti ariete animas petunt? Partem, inquiunt, essentiæ propriæ Deus fecit carnem assumptam. Vt eo pacto vna vtrunque essentia intelligatur, quæ impatibilis sit, quatenus verbũ est, patiatur autem parte carnis, quæ cum verbo ad vnam essentiam absoluendam concurrit. Hoc autem absurdum esse, & maximè execrandum facilè quiuis intelligat. Pars, inquiunt, diuinæ essentiæ caro, &, quod magis adhuc ridendum est, pars illius, qui nullas habet partes. Compositam faciunt, quæ simplex est. Nam si hæ mutuæ inter se partes ad vnũ aliquod concurrunt, compositum diuersum ostenditur, quod è partibus constat differentibus. Præterea suscipit incrementum ex carne addita, quæ non in natura propria spectatur, sed pars est essentiæ carnem ipsam accipientis. Quinetiam ex his mutatio patet, cùm verbum amplius secundum æternam essentiam non maneat, sed aliud quiddam propter augmentum esse contingat. Dum naturam mutabilem immutabilis naturæ partem constituis, & vnã istam ex vtraque nouam compositionem, & mutationem ostendis, adeo, vt magna difficultas in animo oboriatur, cùm nec quid inde sequatur videri queat, neque rei propositæ nomen reperiatur. Quo enim nomine vnam ex

vtrisque

vtrisque essentiam appellemus? Verbum tantum? At carnis pars id non permittit. Carnem tantũmodo? At id verbi naturam non concedit. Christum'ne? Dispensationis, non autem essentiæ, istud est nomen. Proh impiorum hominum insaniã, qui dum immutabilem audent essentiam tractare, proprio etiam nomine ipsum spoliarint. Ista.n. ratione filio, ne illud quidem seruabitur, vt eiusdem cum patre sit essentiæ. Qui enim essentiæ propriæ accessioné, & mutationem ex alterius admittit admistione, is cũ illo, qui in eadem manet essentia non est eiusdem essentiæ. Pater enim preter gloriam propriam in natura nihil possidet. Filius autem in naturæ carnem adiungit, vt carnis & verbi vna sit essentia, multum abesse deprehenditur ab eo, qui nullam accessionem ad essentię proprię incrementum aut mutationem acceperit. Necesse igitur est, vt vnam essentiam verbi, & carnis non confusam agnoscas, aut in eorũ, qui Arium secuti sunt, errorem incidas, & illorum essentię diuersitatem introducas, & sacris Domini vocibus aduerseris, & magno cum periculo respuas illud, Ego, & pater vnum sumus. Et qui vidit me, patrem vidit. Qũo vnum, vbi tanta differentia reperitur? vt vnus quidem ad finem vsque manserit, qualis ab omni æternitate creditur fuisse, alter autem carnis compositione propriam essentiam miscuerit, aut auxerit, aut per confusionem in aliud commutarit? Qũo qui hunc videt, videt illum, si patris quidem essentiam Diuinitas duntaxat indicat, filij verò, Diuinitats & humanitas, quæ vnum quiddam natura sunt? Et patris quidem essentia partem non habet, quæ patiatur. Verbi autem natura carnis partem habet, quæ patiatur? Quid ista impietate magis nefarium? Vnam essentiam dicere, & hãc in partes secare varias & differentes, & voces dicere contumeliosas, quæ rei propositæ accommodari nequeant, nisi perfectæ naturæ pars patibilis, & pars sit impatibilis, & pars patiatur, pars autem non patiatur, & pars viuat, pars intereat. Magis profectò miserandum animal, cuius mortui dolores pars sensu percipiat. Siquidem vnius essentiæ sit simul & interire & viuere. Sed reiiciatur hæc inanis doctrina. Nec partem naturæ simplicis, & quæ diuidi non potest, accepimus. Nec quod est impatibile parte quidem pati, parte autem non pati didicimus. Neque vnius naturę definitionem in duabus agnoscimus, neque diuersæ, etsi nomen admisimus. Quæ quidem omnia constituere deprehenduntur, qui verbum, & carnem in vnam essentiam conuenisse dicunt. Qũo igitur & caro sumpta est, & qui illam sumpsit, non est immutatus? Et qui cum illa coniunctus est, seruat eandem essentiam cum patre suo? Qũo ex carnis assumptione, & ex iis, quæ per ipsam sapienter, supra q̃ dici potest, gesta sunt, non ad incrementum, aut mutationem essentiæ propriæ peruenit, sed ad communicationem naturalis dignitatis, quam arcanæ coniunctionis gratia perfecit? Aliud enim est, dicere, duas naturas perfectas in vnam personam conuenisse, & aliud ex duabus partibus vnam essentiam esse conflatam. Nam diuinæ quidem essentiæ ratio simplex est, humanæ autem dispensationis miraculum duplex. Quare nec essentiæ simplicitas in varias partes secatur, neque duplex dispensationis ratio in vnam conflatur essentiam. Qui enim fieri potest, vt qđ æternum est, & quod est recens in vna considerentur natura: Num & sanguis & aqua fuit Diuinitatis essentia, quę fontis instar defluxit è latere? Si eiusdem est & pati, & non pati, necesse est & voluntates esse diuersas, & non easdem actiones. Alia enim conuenit formæ Dei, & alia formæ serui, Alia templo, & alia inhabitanti Deo. Perpetuam igitur in vnam essentiam introducunt seditionem, cuius essentiæ pars vnum vult, pars aliud. Si vna essentia, cur dicit, Non quod ego volo, sed quod tu? Qũo eadem est, quæ fecit, & quæ facta est? Qũo eadem & omnia nouit antequã fierent, & extremum diem, & horam ignorat? Qũo eadem & precatur, & preces suscipit? Qũo dicit, Deus me⁹, Deus meus cur me dereliquisti? Quis nouit eandem à se ipsa naturam derelinqui, & seipsam, vt alium, inuocare, quæ quidem omnia naturam duplicem consequuntur. Verùm quoniam & humanæ naturæ exemplum nos quidem ad pietatem confirmandam attulimus, alij autem illud ad euersionem detorquent, necesse est, vt de hoc item disseramus.

Eiusdem aduersus eosdem.

Ecce enim falsam alteram cum impietate ratiocinationem peperunt. Quemadmodum, inquiũt, homo ex duobus consistens vna dicitur natura, sic etiam Dominum Christum ex verbo, & carne existentem vnam esse constat essentiam. Quòd duo tantum inter se differentia perfectam vnam nequeant essentiam conficere, & quę non sit mutabilis, paucis antea demonstratam est. Quod autem exemplum hoc rei ab ipsis propositæ nihil prosit, statim ostendetur. Homo ex anima mente prædita, & corpore sensibus affecto animal iure cẽsetur. Quoniam horũ neutrum sine altero prius consistit, neque naturæ terminũ conseruat, cùm existendi principium sumant ex vtero, atque ita in vitam exeant, & vnius animalis constitutionem efficiant, At Dominus Iesus non imperfecti è rebus existendi principium accipit, sed naturarum perfectarum in se principium ostendit. Atque illic quidem hominis partes sunt anima & corpus. Hic autem neq; caro pars verbi est, neque verbum pars carnis. Horum enim vtrunq;, priusq̃ cõiungãtur, perfectam naturam ostendit, vt nihil omnino neque diuinitati ad rationem propriam, neq; humanitati desit. Aliud enim est duabus ex partibus essentiã absolui, & aliud duas essentias cõiungi, quarum vtraque perfecta sit. Quamobrem & forma Dei dicitur, & forma serui. In homine verò neque anima sola est homo, neque caro. Nam si harum altera re ipsa perfecta forte natura, aliquid etiam sine altera perfecisset. Et hoc perspicuum est, non solum ex diuinis legibus, verũetiam ex verbis humanis. Etenim, qui hæc profitentur, sic hominem definiunt, esse animal ratione prẹditum, mortale, vt ratione prẹditum ad animam, mortale spectet ad corpus. Sic vtrunque vnius esse personæ, non autem duarum censuerunt. Pari ratione & diuina scriptura hominem ipsum & ad imaginem Dei significat, propter animæ ratione præditæ excellentiam, & masculũ appellat, & fœminam propter carnis proprietatem, vt animam & corpus vnius personæ, non autem duarum partes esse declaret. Cur igitur hoc vtuntur exemplo, quod nullam habet similitudinem? Si enim duas personas perfectas ostenderent in vnam conclusa essentiam, rectè exemplum protulissent. Sed vnius personæ duas partes dicentes, duas dicunt personas, cùm Dominus Christus duo vocetur perfecta, & Deus, & homo, propter vtriusque perfectionem. Sic enim seruatoris Christi nomen nunc quidem solã ostẽdit Diuinitatem vtpote absolutam & perfectum nũc autẽ humanitatem, quippe cuius perfectioni nihil desit. Nunc autem cùm ipsa persona vtraque duarum naturarum differentiam & perfectionem noua cõiunctionem suscipiat, Illi quidem ad Diuinitatis mutationem & euersionem humanitatem adhibuerunt. Nos autem vt ostenderemus, & testaremur, fieri posse, vt duarum rerum congressus sit, & vna persona. Nam si nihil prohibet, quominus hominis

natura duas habeat partes, ex quibus vna consurgit persona, homo nimirum, qui ita constat, quanto magis diuina gratia valet efficere, vt & duæ naturæ perfectæ in coniunctionem minime confusam concurrant, nec tamen vna singularis tollatur persona? Quemadmodum autem cum audimus, vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, rerum omnium procreationem, vt par est, soli tribuimus Diuinitati, sic audientes: vnus patibilis Christus, cõiunctæ carnis affectionem agnoscimus. Qui enim possimus eiusdem essentiæ & in eodem imbecillitatem, & virtutem intelligere? spiritus, inquit, prõptus, caro autem infirma, nõ autem pars carnis, aut pars spiritus. Et rursum, si enim, inquit, crucifixus est, ex ĩfirmitate, viuit ex virtute Dei. Cernis nomina, & res, spiritus, & caro, virtus, & infirmitas, crux, & vita Qui suscitat, & qui suscitatur, Qui exaltat, & qui exaltatur. Cernis autem in vna persona non partium compositionem. Sed perfectarum naturarum coniunctionem, qua non duæ vna fiunt essentia, sed vna dignitas & gloria declaratur. Non igitur naturarum negamus coniũctionem, sed in vnam essentiam dicimus non cõfluxisse. Fieri non posse, vt duæ vna fiant essentia, docet naturę lex, docet & prędicationis ratio, suadet in omni rerum genere experientia, aperte etiam ipse Dominus indicat, qui post resurrectionem suam non credentibus adhuc discipulis, Palpate, inquit, me, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Palpate, inquit, prius, vt ostenderet se spiritus non esse spectrum qua spectantes deciperetur, sed corpus tactui resistens. Quis non videat naturarum proprietates, cùm spiritus quidem carnem & ossa non habeat, quę corpori adsunt? & corpus quidem videatur, spiritus autem non cernatur? Corpus tactui sit obnoxium, spiritus autem sub tactum non cadat? Quomodo igitur essentia vna, cùm tanta sit differentia?

Eiusdem aduersus eosdem.

QVid dicitis? Quid demonstratis? Abit naturarum differentia, & nullum earum indicium relinquit? Quomodo igitur subiectum appellabimus? verbum'ne solum? Neque enim id quispiam carnem dixerit, qui eo nomine se illud putet honorare. At quomodo non ipsum afficitis contumelia, cùm talem ipsius essentiam putatis esse, vt alteri liceat essentiæ procreatæ in eam cõmutari? Quod enim à deterioribus capi potest cõmune multorum est, & non vnius eximium. Cui autem id proprium est, vt sit inaccessum, huic quomodo alterum adiungas? At non modo verbum afficitis contumelia, verùm etiam carnis personam tollitis. Cuius enim indicium amplius nõ relinquitur, huius gloriam quomodo cognoscemus? Si.n. cognoscitur, quoniam est, merito eam honoratis. Sin non est, quomodo gloriæ fruitur amplitudine? Nisi ostenderitis id, quod honoratis, non apparebit gloriæ magnitudo. Necessarium igitur est confiteri, duorũ minime confusam coniunctionem, nec ad accipientis mutationem, nec ad accepti interitũ esse factã, sed ad gloriæ societatem, quæ in vnius persona declaratur. Quãuis enim vtrunq; verbum solum natura etiam repugnante vocari patiamini, non tamen discrimen abscondetis. Quandoquidem vnum erat à principio, alterum autem factum est. Vnum, quod nec cerni nec tangi potest, ex infinito infinitum. Alterum autẽ ex eo, quod cerni tãgiq; potest in id, quod nec cernitur, nec tangitur, trãsiit. Et vnum quidẽ semel immutabile, alterum autem ex mutabili ad præstãtiorem peruenit conditionem. Præterea si hoc est solum verbum, cur non inuenimus, caro facta est verbũ? Sed verbũ caro factũ est? Quis porrò adeo insanit, & mente captus est, vt audeat dicere diuinam essentiam assumpsisset alium Diuinitatis essentiã ex altera prouenientem natura, vt per talem accessionem incrementum illius, quod natura nullius indiget, & perfectum est, compararet? Ad hæc quomodo diuina scriptura etiam post nouũ reditũ prædicat, quæ carnis sunt propria, nempe rursum venturum, eodemq; modo visum iri? Nũ Angelis etiam repugnabitis, qui aperte dixerunt, Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendẽtem in cœlum? Omnia ad carnem significandã plane spectant. Illud, Hic, veniet, sicut in corpore, nunc quidem hic, nunc autem illic perspecto, Quemadmodum vidistis, id est, carnis oculis. Hæc qui ita non accipit, is non solum Angelis repugnat, verum etiam sacris Spiritus sancti oraculis aduersatur, Quomodo intercedit pro multis Dominus Christus, vt verbum solum? Et vbi est æqualis cum patre dignitas, si tanquam inferior interceditur? non autem cum auctoritate largitur, cùm sit pariter omnipotens? Nónne perspicuum est, primitiarum esse, pro massa propria intercedere, vt suam erga carnis naturam affectionem ostendatur? Quem autem non moueat clarissima sapientissimi Pauli prædicatio, qui, Deus, inquit, ignorantię tempora despiciens denuntiat omnibus vbique, vt pœnitentiam agant, quoniam constituit diẽ in qua iudicaturus est orbẽ terrarum, in iustitia, in viro, quo definiuit, fidem omnibus faciens, ipsum à mortuis suscitasse. Nónne differentiam sustulit? Nónne dixit, Deum in viro? Nónne demonstrauit, Deum, qui suscitauit, & hominem qui suscitatus est? Verum quanq̃ differentiã ostendit, non tamen coniunctionem inseparabilem prætermisit. Non enim dixit Deum cum viro, sed Deum in viro. Iam quomodo illud intelligemus, videbunt, in quem transfixerunt, nisi carnis natura, quæ clauos suscepit, aperte foramina demonstret? Neque enim Diuinitatis essentia, quæ nec videtur, nec tangitur, vestigia vulnerum in testimonium est allatura, sed natura ex patibili genere suscepta impiorũ scelus redarguet, qui cogentur propria flagitia agnoscere in carne, quam vulnerarũt. Sic & naturarum proprietates non esse sublatas, & certum humanæ carnis assumptæ lucrum & impudens aduersantium argumentum, & vim veritatis inexpugnabilem demonstrauimus.

Sancti Maximi aduersus Eutychem, & Dioscorum, duas naturas in vnam confundentes, quos quidam Synchyticos, quidam Monophysitus appellauerunt. Eutyches autem fuit Archimandrita, Dioscorus vero Archiepiscopus Alexandriæ. Ex interpretatione orationis de recta confessione.

DVarum naturarum coniunctarum rationes ita seruari docent Patres, vt illę ipsæ conuenientes, in vnã ambæ filij personam atque vnam hypostasim concurrerint. Quòd si ita est eadẽ Patrum doctrina, necessarium est, vt cùm rationes ipsæ seruẽtur, differentia itẽ appareat, quæ post coniunctionem in naturali proprietate vtranque conseruet. Ex eo autem quod in vnam personã, atque hypostasim naturas ambas conuenisse confitemur, has diuidi, seiungiq; non posse planè cognoscimus. Quòd autem & naturarum differentia, & ipsæ naturæ post coniunctionem sine vlla mutatione, aut cõfusione seruentur, sanctissimus Ecclesiæ splendor Cyrillus, cui vel addi quicquam superuacaneum esse simulant, qui frustra sanctam

Dei oppugnant Ecclesiam, satis testatur in secũdo Tomo eorum, quæ contra Nestorij maledicta conscripsit, loquẽs ad hunc modum, cùm autem Christi mysterium in medium affertur, coniunctionis ratio non ignorat differentiam, sed reiicit diuisionem, nec naturas confundit atque commiscet, sed Dei verbum sic esse factum carnis & sanguinis particeps dicit, vt vnus tamen atque idem filius intelligatur, & nominetur. At in Apologia ad Andream, qui caput tertium reprehendebat, Ab omni, inquit, absit reprehensione, si quis carnẽ natura propria à Verbo ex Deo patre genito diuersam esse sentiat, itemq; naturæ propriæ ratione diuersum vnigenitum. Nec tamen hæc ita contemplari, est naturas post coniunctionem diuidere, Ecce quã aperte à Magno Cyrillo positum est, post cõiunctionem, in quo piè cum fidelibus, & sentit, & loquitur. Nam quòd eorum, quæ coniuncta sunt, ratio nihil lædatur, ex coniunctione declarat. Quòd autem neutrum cum altero misceatur & confundatur, ex eo, quod ex vtroque vnum in persona fieri dicit, seruari autem & manere sicut vtrunque est per essentiam. Id enim cùm sapiens Cyrillus sciret, perspicue dicit, neque inter se naturas confundi, quod in vnã personam conuenerint, neq; vicissim diuidi, quanuis vtraque secundum rationem essentiæ post coniunctionem & sit, & maneat, & intelligatur, cum naturali proprietate, & differentia, qua & verbum natura Deus est, non autem caro, licet per dispensationem carnem propriam effecerit, & caro est natũ caro, non aũt Deus, licet Dei verbi propria facta sit. Nónne igitur necessarium & pium, & congruũ est, dicere ex patrum doctrina, post cõiunctionem dñam seruari, & duas in vno Christo naturas, ex quibus est, tenere post earum coniunctionem, quarum est dña? Necesse enim est, cùm quædam differant, esse differentiam, & vbi differentia est, ibi aliqua differre. Hæc enim quodãmodo sese vicissim introducunt. Vti sunt causæ, & quæ à causis proficiscuntur. Quippe quæ sunt ex eorum numero, quæ cum aliquo conferuntur. Si enim essentiæ diuersitas eorũ, ex quibus constat Christus tanquam causa in eo constituit differentiam, & ipsa prorsus differentia tanquã ab illa causa proueniens indicat naturalem eorum, quæ coniuncta sunt, diuersitatem. Hæc enim, vt diximus, sese mutuo respiciunt, & consequuntur, vt cùm vnum dicatur, necesse sit alterum etiam confiteri, & vno sublato alterum etiam tolli. Oportet igitur, vt duas dicamus naturas, ne nudam differentiam introducamus, & in hoc solo adhibeamus numerum, quo differentiam eorum, quæ coniuncta sunt, ita manere demonstremus, vt ea post coniunctionem seruẽtur, non autem diuidantur.

Eiusdem, ex oratione, qua demonstrat, eam non esse rationem numeri, vt diuisionem eorum, de quibus dicitur, afferat.

Omnis numerus, qui res, quæ existẽdi, subsistendiúe ratione inter se differunt, quot sint, ostẽdit, earum differentiam, non autem habitum indicat. Hoc autem verè sic habere, omnemq; numerum differentiam, non autem diuisionem indicare, sanctisimus item Cyrillus in Epistola ad Eulogium scripta sic ad verbum scribens testatur. Eodem modo loquimur & de Nestorio, qui licet duas naturas dicat, significans differentiam, carnis, atque Dei verbi, à nobis tamen dissentit, quia coniunctionẽ non confitetur. Nos, enim hæc coniungentes, vnum Christum vnum Dominum confitemur, & deinceps, vnam verbi naturam carnem assumpsisse. Quod perinde est ac si diceret, Nos sapientissimum mysterij consiliũ considerantes cùm concurrentium naturarum differentiam seruare volumus post coniunctionem, duas in hoc & solo naturas dicimus, contemplatione duntaxat, numerum adhibentes ad differentiam demonstrandam. Cùm autem arcanam mysterij coniunctionis rationem accuratius proponimus, vna Dei verbi naturam carnem dicimus assumpsisse. Id enim arbitror ea Cyrilli verba significare, Nos autem hæc coniungentes vnum Christum, vnum Dominũ confitemur. Et deinceps vnam verbi naturam carnem assumpsisse. Id est, nos coniunctionem confitentes, eiusq; rationem diligenter & piè explicantes, differentiæ vocem non adhibuimus, vt coniunctionem ostenderemus, sed aliam quidem in differentia, aliam in coniunctione rationem congruè suscipientes minime confusum rerum significatarum sensum seruamus. Vt inde perspicuũ iam sit, illud Cyrillo fuisse cum Nestorio commune, vt duas naturas diceret, eatenus vt differentiam cognosceret. Proprium autem illud, vt coniunctionem cõfiteretur, & diceret, vnum Christũ, vnum filium, vnum Dominum, & vnam verbi naturã carnem assumpsisse, Quod quidẽ Nestorius dicere recusabat. Dicẽdo enim sic & de Nestorio, licet duas asserat naturas, differentiam significans carnis & Dei verbi, non tamen coniunctionem nobiscum confitetur, nihil aliud vult significare, nisi, Nestorius differentiã quidẽ nobiscum confitetur, cùm duas naturas dicat, at coniunctionem nobiscum non confitetur, cùm vnum Christum, vnum filium, vnum Dominum, non dicat, nec vnam verbi naturam carnem assumpsisse, & hoc perspicue patet honestatis, veritatisq; studiosis ex eo, quòd nusquam apparet, magistrũ aut prohibuisse dicere duas naturas post coniunctionem, aut docuisse coniunctarum differentiam tolli post cõiunctionẽ, quod ex innumerabilibus ipsius scriptis licet intelligere. Si igitur semper mansit coniunctio, & semper, quæ cõiuncta sunt, manent sine confusione, semperq; coniũctorum differentia seruatur, propter quam numerus à patribus susceptus est, nónne necesse est, si semper & coniunctio, & quæ coniuncta sunt, & eorum differentia, mansit, & manet, ac cõseruatur, & duas naturas dicere ad declarandam eorũ, quæ coniuncta sunt, differentiam, & rursum vnã Dei verbi naturam carnem assumpsisse, quo demonstretur secundum personam coniunctio, neutra nimirum istarum vocũ propter alteram sublata, vt quibusdam videtur, qui insipiẽtiam sapientiæ faciunt argumentum?

Eiusdem, de Sancti Cyrilli dicto, quod positum est in Epistola ad Sucensum.

Non simpliciter indiuisibilis vocabulo vsus esse videtur Beatus Cyrillus, sed aduersus versutiã Nestorij, qui coniunctionem habitu dicebat constare. Sic enim suo testimonio confirmat Beatus ipse Cyrillus in extrema parte alterius at Sucensum Epistolæ, sententiamq; suam litigiosis hominibus patefacit, his verbis, Illud autẽ, indiuisibile, adiunctum videtur apud nos rectam significationẽ retinere. At isti haud ita sentiũt. Indiuisibile enim apud ipsos ex inani doctrina Nestorij alia ratione accipitur. Aiunt enim hominem, in quo verbum habitauit, tum dignitate, tum voluntate, tum auctoritate ab ipso Deo verbo esse indiuisibilem. Ex quo patet, eos nõ simpliciter verba proferre, sed cum dolo, & calliditate. Dupliciter accipi vocabulum hoc, indiuisibile, aperte docet, vt vides, magister admirabilis, vel vt coniunctionem in persona significet, quam quidem ipse significationem probat, vel vt cõ-

iunctionem in habitu declaret, quam ipse significationem improbat, & ab oĩbus piis improbandam monet. Cùm ex eiusdem vocis pronuntiatione clam hæreticæ impietatis venenum simplicioribus queat obrepere. Quare se duas naturas indiuisibiles rectè dixisse declarat, q̃m ipse coniunctionem in persona intellexit. At à Nestorij studiosis ita vocẽ hanc, indiuisibile, adhiberi, vt suspecta esse debeat, quippe qui coniunctionem habitu tantummodo factam sentiant. Conunctio igitur in persona ex patrum sententia est essentia differentium concursus in vnã personam, cum vtrunque eorum, quæ coniuncta sunt, naturalem habeat, & veram, & immutabilem, & indiuisibilem proprietatem. Coniunctio autem, quę habitu fit, est eorum, quæ per se propriæ in singulari subsistunt persona: par voluntatis motus, & immutabilis animorum cõsensus. Quamobrem qui coniunctionem in persona cõfitetur, licet duas in Christo dicat naturas post coniunctionẽ ratione indiuisibili copulatas, cõiunctione nimirum in persona, is nihil aberrat à veritate. Ea.n. ex quibus cõstat Christus, minime confusa propter dr̃iam seruatam ex patrum sñia confitetur, cùm naturali ratione dr̃ia vnum esse non desinant secundum personam. Qui verò coniunctionẽ asserit habitu cõstare, licet milies dicat indiuisibile, reprehensionem non vitat. Mutua enim & beneuola quadam affectione coniuncta atque indiuisibilia dicit esse ea, quæ significantur, nullo autem modo potest dicere, vnam esse personam Deum verbum cum ipsius propria ex nobis sumpta carne animata menteq; prædita. Ex duabus enim propriis personis, quæ ad vnius speciei indiuidua, propria ratione diuidãtur, vna fieri persona non potest. Quamobrem nõ simpliciter eos reprehẽdit & reiicit Beatus Pater noster Cyrillus, qui ratione indiuisibili duas naturas coniunctas dicunt post coniũctionem, sed eorum, qui verbis his abutuntur, sententiã. Si igitur numerus, vt tum ex sanctorum Patrum scriptis, tum ex communi cogitationum consensu demonstrauimus, nullam nec facit nec patitur, nec inducit diuisionem, sed simpliciter ostendit, quot quæque sint, non autem quomodo se habitu habeant, quæ nam sectionis, aut diuisionis reliqua potest esse suspicio istis, qui in sancta Dei Ecclesia commouent seditiones?

Ex eadem oratione.

NAm si hoc verum nõ est, & si differentiam nudam, & sola pronuntiatione, vtpote quæ nulla de re sit, ad simpliciorum animas decipiendos simulate proferunt, cur recusant dicere, quæ, & quot sint ea, quæ differunt, quorum esse differentiam cõfitentur? Si enim ea, ex quibus coniunctio, fit, post coniunctionem seruari credunt, duo plane seruata confitebuntur, tot enim ad coniunctionem indiuisibilem concurrunt, quæ nec inuersionem, nec confusionem, nec imminutionem, nec mutationem vllam inter se ex coniunctione suscipiunt. Nunc autẽ hoc improbantes, vt qui negent naturas post coniunctionem seruari, se ipsos, reprehensionibus obnoxios constituerunt, etiam si nolint, cùm dicant sola qualitate differentiam seruari, sine rebus. Quod quidem est hominum aperte ludentium nec turpe, vt par est, existimantium, se derideri, & plane Euangelium mane efficientium, cùm sine subiectis essentiis asserant esse posse qualitates, & sine quãtitate differentiam cognosci tradant. Ignorant enim, vt videtur, homines sapientissimi, omnem qualitatem habere subiectam essentiam, circa quam consideratur & dicitur, cùm per se consistere nequeat: Et omnem differentiam, cùm dissimilitudinem & diuersitatem, quam variæ res habent inter se, quatenus aliquo modo sunt, significet, rerũ differentium quantitatem constituere, siue essentiæ, siue qualitates, siue proprietates sint, seu quiduis aliud eorum, quæ inter se differunt siue sensu, siue cogitatione differentiam intelligant. Sine quantitate enim posse differentiam confirmari non est admittendum. Nam quæ inter se eadẽ plane non sunt, nullo modo vnam & eandem existendi rationem suscipiunt, essentia nimirum, siue natura cum natura, aut qualitas cum qualitate, aut proprietas cum proprietate, aut si quid aliud, est eorum, quæ non omnino sint eadem. Nam quæ plane sunt eadem, & differentiam non admittunt, vnam & eandem aliquo modo existendi rationem nunquam dicere poterimus.

Ex eadem oratione.

SI vtriusque coniunctorum ratio mansit incommutabilis post coniunctionem in alterius non incidens essentiæ terminum, Christi profecto Diuinitas secundũ essentiam Diuinitas mansit, in carnis essentiam non commutata. Et eiusdem rursus humanitas secũdum essentiam mansit humanitas in Diuinitatis naturam non cõmutata. Quòd si propter coniunctionem in persona nec Christi Diuinitas nec humanitas vicissim immutatæ sunt, sed sine confusione, vt scribit Magnus Cyrillus, naturę, permanserunt, differentia plane seruatarum in Christo naturarum post cõiunctionem perstitit. Et nulla ratio repugnabit. At si naturarum, quæ sine cõfusione in Christo seruatæ sunt, post coniunctionem est differẽtia, nec sine quãtitate differentia cognosci potest omnino, ad differentiam declarandam dicatur quantitas differentium, ne nudam quodã modo, & non veram differentiam asserere deprehendamur. Nuda porro omnis est differentia quæ re ipsa subiectam non habet eorum, quorum est differẽtia, veritatem. Nos igitur, qui personam & naturam idem esse proprie nũquam diceremus, ex Patrum doctrina piè de Christo idẽ & differens asserimus. Idem ratione vnius personæ, qua idem cum propria carne Deum verbum confitemur, ne accessionẽ personæ sanctissima Trinitas accipiat, & quaternitas efficiatur, differens autem ratione diuersitatis essentiæ eorum, ex quibus constat, qua Christi partes vicissim non commutantur omnino. Neque enim idem vnquã erit per essentiam Diuinitas & humanitas, ne aliquid creatum eiusdem cum Diuinitate per coniunctionem sit essentiæ atque naturæ. Furentis enim animi putamus esse, naturam dicere eiusdem esse cum natura essentiæ. Nunquam enim natura eandem habet cum natura essentiam atque naturam. Idem enim natura essentiaq; de solis dicitur eiusdem speciei indiuiduis, quę ad vnam essentiam referri consueuerunt.

Ex eadem oratione.

CVm hæc sit nostra sententia, neque naturarum differentiam post coniunctionem negamus, ex quibus constat Christus, ipsas naturas minime confusas mãsisse credentes. Neque coniunctionem in persona ignoramus, vnum Christum sanctæ & eiusdem essentiæ & adorãdæ Trinitatis confitentes, sed eorum etiam, ex quibus est Christus, vt quæ in ipso vere sine inuersione & mutatione seruantur, post coniunctionem, perspicuam numero differentiam, quo Eutychis confusio tollatur, constituimus. Et in persona coniunctionem agnoscentes, clara voce vnam Dei verbi naturam assumpsisse carnem, habentem animã mente præditam, asserimus contra Nestorij diuisionem, qui personæ differentiam in Christo pronunciabat, & eãdem

dem personæ rationem quæ est carnis cum verbo dissecabat.

Ex eadem oratione.

NAm si Christus post coniunctionem est Deus & homo, iusta cõmunem nimirum cõfeßionem, res nominibus congruentes verè habet post coniunctionem. Res enim nominibus propriis præcedunt, nec quisq̃ nomen esse dixerit sine re, quæ per se nomini præbet occasionem, & ipsa viciſsim recipit declarationẽ. quòd si Christus post coniunctionem non habet res, quarum sunt nomina patet, eum nudas habere appellationes, quippe quæ de nemine dicãtur, & rebus ipsis priuatæ sint. Et erit Deus & homo nomine tantum Christus, non autem re, vt ipsi sentiunt. Quo quid Deo minus congruens esse queat? Sin hanc insaniã euitantes vocabula in Christo rebus spoliata negabunt post coniunctionem, quẽadmodum non recusant dicere duas Christi post coniunctionẽ appellationes, duas item Christi post coniunctionẽ naturas dicãt, ex quibus, & in quibus consistit, quarum sunt appellationes.

Eiusdem de differentia, & quantitate.

QVare si numerus, ex patrum sentẽtia, non habitũ, sed rerum quantitatem desiderat. Omnis autem quantitas naturali diuersitate considerata differẽtiam omnino suscipit, differentiam verò in Christo naturalem post coniunctionem, veritatis etiam oppugnatores concedunt, differentium quoque quantitatem, sine qua differentia cognosci non potest, vna cum numero quantitatem declarãte, sine quo quantitas ipsa cognosci nequit post coniunctionem dicant, necesse est, si modo recto disputandi ordine aptam proprij dogmatis rationem volũt demonstrare quod si naturarum in Christo seruatarum post coniunctionem, quantitatem negant, ne differentiã quidem naturarum ex quibus est Christus, post coniunctionem audeant dicere, sciẽtes, quicquid aliqua in re differentiam habet, vnum omni ratione & modo esse non posse. Quod autem vnum omni ratione & modo esse non potest, id aliqua plane ratione & modo saltem est duo aut plura. Quocirca qui in Christo post coniunctionem dicũt esse differentiam, vnum omni ratione, & modo Christum esse non possunt dicere. Quòd si non omni ratione & modo vnus est Christus post cõiunctionem, perspicuum est, Christum aliqua ratione & modo post coniunctionem omnino esse duo. At si rõne aliqua & modo Christus post coniunctionem est duo, ꝑ naturarum, ex quibus, & in q. bus est, dr̃iam, vt ratione demonstratum est, constat, eos prorsus impie sentire, qui dr̃iam quidem naturarum, ex quibus est Christus, post coniunctionem dicunt, ipsas autem naturas, quarum est differentia, aperte silentio tollunt post coniunctionem. Verè enim tollunt, qui ea, quæ sunt, & seruantur, negant. Nam si naturas post coniunctionem sublatas non arbitrantur, sed eas esse, seruariq; sentiunt, æquum est, vt eas post coniunctionem seruatas confiteantur. Aut si æquum non est, vt eas post cõiunctionem seruatas fateantur, neque esse neq; seruari illas in Christo, per illos æquum est dicere, & sublatæ sunt. Quod enim omnino nominari æquum non est, id ne esse quidem, vt ego sentio, satius & æquius est dicere. verum vt omni ratione & modo Christus non est vnum post coniunctionem, ita rursus omni ratione & modo Christus non est duo post coniunctionem. Quòd si non omni ratione & modo post coniunctionem, Christus est duo, aliqua omnino ratione & modo, nẽpe per vnam eandemq; personam, per quam habere differentiam nõ potest, Christus est vnum. Quamobrem cùm alia atque alia ratione & modo vnum & duo idem sit necessarium est, qua ratione vnum, & qua duo idem sit, considerare.

Eiusdem ex responsione sexagesima secunda ad Thalassium.

DOminus noster Iesus Christus vnigenitus Dei filius & verbum, qui per se ipsum natura simplex est, & semper permanet, propter me autem carnem assumens anima rationeq; prędítam, factus ea ratione, quam ipse nouit, in persona compositus, neque summa cum carne in persona coniunctione confusionem in naturam vnã suscepit, neq; summa cum carne per naturam differentia in geminos diuisus est filios. Summam appello in persona coniunctionem quæ nullo pacto diuidi potest. Summam autem cum carne differentiam quæ confundi prorsus nequit, aut immutari. Quoniam carnis à Deo susceptę mysterium non admittit in persona differentiam propter naturalem eorum, ex quibus constat, diuersitatem, ne vel Trinitatis mysterium accesionem accipiat, vel quicquã sit eiusdem cum Diuinitate, generis, aut essentiæ per naturam. Duarum enim naturarum in vnam personam, non autem in vnam naturam concursus est factus, vt & vnum in persona ex naturis mutuo concurrentibus per coniunctionẽ perfectum ostendatur, & earum ad coniunctionem indiuisibilem per naturalem proprietatem conuenientium differentia credatur, quæ sine mutatione confusioneq; maneat. Si.n. ad alius naturæ generationẽ, naturarum concursus factus est, salutis nostræ mysterium nobis omnino sit incognitum. Neque.n. habemus, vnde, aut q̃uo possimus Dei descensum ad nos intelligere, carne per coniunctionem in naturam diuinam mutata, aut natura diuina in carnis essentiam conuersa, aut vtraq; in alius à se diuersæ naturę gñationem per mixtionem confusa, neutra illarũ. ex quibus est, natura rõnem suam integrã conseruante. Nã siue in Diuinitatis naturam caro conuersa sit, siue in carnem natura Diuinitatis, siue cõiunctionis in vna natura modus ad alius naturæ ab ipsis diuersæ generationem naturas cõpulerit, ego carnis à Deo assumptæ mysterium non cognosco, cùm post coniunctionem in mysterio naturalem carnis & Diuinitatis differentiam non inueniam. At si carnis & diuinitatis in Christo post coniunctionem differentia manet, neque enim vnquam idem per essentiam sit Diuinitas & caro, concurrentium coniunctio non in vnam naturam, sed in vnã personam facta est, qua nullam in Christo vllo modo differentiam reperimus. Verbum enim cũ propria carne per personam vnum est.

Eiusdem de duabus Christi naturis.

TRres personas Arius confitetur, sed vnitatem negat, & sanctam Trinitatẽ non eiusdẽ essentiæ dicit. Sabellius autem vnitatẽ cõfitetur, sed Trinitatẽ negat. Eũdem enim esse dicit patrem, & filiũ, & Spiritum sanctũ, At Ecclesia & vnitatem confitetur, & prædicat Trinitatẽ. Sic & in vno sanctæ Trinitatis Nestorius naturalẽ asserit differentiam, sed vnitatẽ non cõfitetur. Hanc enim in persona factã negat. Eutiches cõntra fatetur vnitatẽ, sed essentiæ differentiã negat, & naturarũ confusionẽ inducit. Ecclesia verò & vnitatẽ in persona tradit indiuisibilẽ, & minime cõfusam essentiæ differentiam.

Et hæc eodem ex loco.

IN sancta Trinitate eadẽ est essentia. & diuersæ personæ. Vnam enim essentiam, & tres personas confitemur. In homine autem eadem & persona, & diuersitas essentiarum. Etenim cùm vnus sit homo, aliam anima, aliam cor-

pus habet essentiam. Similiter in Christo Domino eadem est persona, & essentiarum diuersitas. Nam cùm vna persona sit, alia est Diuinitatis essentia, & alia humanitatis. Quemadmodum autem in sancta Trinitate fieri non potest, vt vnitatem confiteamur, & differentiam non pronunciemus, sic & in ipsa dispensatione necessarium est, & vnitatem, & differentiam enunciare.

Et hæc.

QVemadmodum Sabellium naturalẽ in sancta Trinitate prędicantem vnitatẽ, sed personarum differentiam negantem execramur, sic execramur Eutychem, qui in Christo vnitatem personæ cõfitetur, sed naturalem differentiam non agnoscit.

Et hæc.

VT in sancta Trinitate non cum trium personarum confusione vnam essentiam dicimus, nec tres personas cũ vnius essentiæ interitu, sic in vno sanctæ Trinitatis nec vnam personam dicimus eum duarum personarum confusione, nec cum vnius essentiæ interitu naturas duas.

Et hæc.

QVi propter duarum in Christo naturarum differẽtiam personæ vnitatem nõ agnoscit, Nestorianus est. Et qui in personæ vnitate naturalem non concedit differentiam, est Eutychianista. At qui personæ vnitatem, & naturalem differentiam in vno sanctæ Trinitatis prædicat, is regiam & nulli obnoxiam reprehensioni fidem amplectitur.

Et hæc.

QVi & vnitatem & differẽtiam in Christo dicit, nec differentiam tollit, nec vnitatem cõfundit. Etenim Cyrillus detestatur eos, qui propter personæ vnitatem differentiã tollunt & Synodus Oecumenica illos execratur, qui propter vnitatem personæ naturalem differentiam tollunt in vno sanctæ Trinitatis.

Eiusdem, impium esse, Christum vnam simpliciter naturam dicere.

SIn Christus, vt illi sentiunt, est natura cõposita in quo mirabilis Seueri rationum arx est constituta, aut generalis omnino est, aut singularis, tertium.n. cogitare nõ possumus. Si generalis est, Christus natura de multis nimirum numero differentibus dicetur, & cogitatione tãtum erit in iis, in quibus habet essentiam, non aũt per se in propria vlla persona cognoscetur, sine accidẽtibus indiuiduorum, quę in indiuiduis ipsi subiectis considerantur. Hęc.n. est omnis naturæ generalis definitio atque ratio. Et superuacanea ista Seueri aduersus veritatẽ insania pro vno Christo multitudo Semichristorum, qui nullam nec cum Deo, nec cum hominibus rõnem eandem habeant, inducetur. Sin natura singularis est Christus, vt illud omittamus, nullã esse naturam, quæ vnica sit persona circũscripta, q̃uis in fabulis decantatam volucrem isti Phœnicem ad extremum tanq̃ exẽplum inexpugnabile, quo innitatur ipsorum opinio, proponant. Nam si volucris est Phœnix, & aĩal prorsus est. si aĩal, primùm nõ omni modo singulare, quatenus est aĩal, non.n. solum animal. Prętererea, si animal, & corpus animatum sensu præditum. Quòd si corpus aĩatum ac sensu præditum est Phœnix, & ortui profecto atque interitui obnoxia. Quòd si talis est, quęramus ex sapientibus istis rerum spectatoribus, an fieri posit, vt quod ex eorum est numero, quæ sunt animata sensuq; prædita, quodq; ortum atque interitum sentit, singularis naturæ sit, quantum pertinet ad personam, cùm mutua ipsorum in specie successio perspicua sit existendi nota. Ad hæc si natura singularis est Christus, nec eiusdem cum Deo & patre, nec eiusdem cum hominibus est essentiæ. Quod enim omnino est natura singulare, naturali cognatione nulli coniunctum est. Quòd si ab omnibus, vt eos sentire probauimus, natura diuersus est Christus, futiles ipsos opinionum inuentores rogemus, vt nobis dicant, qualem natura Christum, & qua ratione venerentur. Itaque cùm magnum atque horrendum necessario periculum ex rationis, quæ reddita est, vi consequatur eos, qui Christum natura vnum, aut naturam esse vnam contendunt, siue simplex, siue composita, eaq; siue generalis, aut communis, siue singularis dicatur, animos nostros omni custodia ab eiusmodi opinione remotos seruemus, vt & à minis ipsi impendẽtibus liberi simus.

Eiusdem.

QVamobrem si Dei verbum non lege atq; ordine naturæ rerum compositarum, sed alia ratione diuina, & quæ verbis explicari non potest, nempe per carnis assumptionem compositum est, non autem per generationem simul cum carne cõpositionis accepit essentiã, vt totum aliquod specie compleret, vt veritatis orõ omnibus apertè significat. frustra conantur insipientes isti compositionem, quę omnem naturæ terminum rationemq; superat, legibus naturalibus impiè subiicere. Quamobrem qui per carnis assumptionem verbum esse factum hominẽ dicit, is, & æternam Dei ante secula essentiam seruat, & voluntariam piè confitetur sponteq; susceptam in tempore carnis indutionem, & differentiam verbi suscipientis, atque carnis susceptæ sine confusione tuetur etiam post coniunctionem. Qui verò Dei verbum non per carnis assumptionem immutabili rõne factum esse hominẽ dicit, nihil eorum, quæ dicta sunt, vllo mõ verè poterit confiteri.

Eiusdem de voce hac, in duabus naturis.

IN duabus naturis ratione indiuisibili ipsum esse credimus, vt in Diuinitate, & humanitate. Quemadmodum enim cùm ex duabus naturis constare Christum dicimus, ex Diuinitate & humanitate, vt duabus è partibus totum, intelligimus, ita cùm post coniunctionem eum duabus in naturis esse dicimus, in Diuinitate atq; humanitate esse credimus, vt totum in partibus. Partes.n. Christi sunt Diuinitas & humanitas ipsius, ex quibus, & in quibus consistit. Præterea vnam Dei verbi naturam carnẽ assumpsisse animatam anima mente ratioñeq; prædita dicere & prædicare didicimus ex doctrina sancti Cyrilli. Vt ex eo, qđ dicimus, carnem assumpsisse, essentiam naturę nostræ illatam intelligamus. Itemq; vnius & eiusdem Christi tam miracula, q̃ cruciatus esse dicimus, duosq; eiusdem ortus, vnum ante secula sine corpore ex patre, & alterum in tempore ex matre & virgine ratione corporea atque humana. Ex quo maximè & verè propriè ipsam Dei genitricem cõfitemur. Vt quæ genitum ante secula ex patre Deum verbum, in extremis temporibus ex ipsa carnem assumentem genuerit. At naturam vnam compositam Christũ dicere omnino recusamus, non solum ꝑꝑ causas, quas diximus, verũetiam quia nemo Patrum probatorum ad hunc vsq; diem vocem hanc protulisse deprehẽditur, & q̃m ab Apolinario & discipulis eius perspicuè videtur esse profecta.

Eiusdem de persona composita.

VErùm, si, q̃m omnis persona cõposita proprias partes & secum & inter ipsas eiusdem tpis habere deprehenditur, nos aũt Christum personam esse compositam dicere non recusamus, ꝓpterea nos aduersarij ꝓpriis captos ratio

rationibus reprehensionem vitare posse negauerint, respondebimus, verè sic rem habituram, si compositam, tanquam speciem, quæ de ipsa diceretur, habentem concederemus. Nunc autem haud ita loquimur, itaque in nullam incidimus reprehensionem. Scimus enim planè omnem personam compositam non per se, sed per naturam circuniectam constituere speciem, quando composita est. Et speciem, quæ dicitur, ad quam illa reducitur, cùm id, quod singulare, seu priuatum est, totum illud plenissimum habeat in se, quod est vniuersum, seu commune, & generale, proprium autem generali nihil omnino impertiat. Quod quidem de Christo nemo prorsus eorum, qui ad hanc vsque ætatem pietatis doctrinam tradiderunt, mentis compos dixerit. De quo vt de Christo nemo neque genus neque speciem dici comperiet. Non enim naturæ ratione ad nos Dei Verbum per carnem descendit, sed ratione dispensationis sibi sine detrimento naturam nostrã coniungens, eam renouauit. Quamobrem magna demẽtia sua nihil profecerunt, cùm ipsorum sapientia ad quantitatem, quam negauerant, redierit, quippe qui ne ipsam quidem in qualitate differentiam, sine quantitate dicere valeant. Necesse enim est, vt multæ sint, aut duæ saltem qualitates, vt dictum est, quarum differentiam constituãt. Vnam enim qualitatem, quæ cum alia prorsus mixta non sit, secum ipsam differre, nemo sanus vnquam dixerit. Reliquum igitur est, vt vel ab ipsa nuda recedant differentia, cùm intelligant, ipsam omnino significare aliquorum differentium quantitatem, vel veritatis confessionem nobiscum recipiant, qui differentiæ ratione tantummodo numerum ex patrum sententia piè iccirco suscepimus, vt quæ coniuncta sunt, sine confusione mansisse cognosceremus. Illud autem beneuolè nobis exponant, siquidem vna est apud ipsos sapientiæ non ignaua ratio, cùm ad coniunctionem duo concurrisse dicant, eaq; post coniunctionem sine confusione permansisse non negent, tanquã neutro ipsorum à naturæ termino & ratione recedente, licet ad vnam vtrũque filij personam atque vnam hypostasim concurrerit, cur duo per ipsos seruata, vt dicunt, si tamen verè loquuntur, non confiteantur. Et quæ sit ratio & causa, quamobrem numerum minuant, & quomodo duæ naturæ factæ sint vna. Aut si coniunctio sine vlla mãsit imminutione, quæ ratio sit, cur ea non dicant sine imminutione seruata. Quod si perfecerint, vnius iacturã æquo animo patiemur, admirabimurq; bonæ ipsorum disciplinæ constantiam, qui nobis rerum arcanarum cognitionẽ soli percipere videantur. At nunquam poterũt rationem, qua id persuadeant, inuenire.

Eiusdem solutio quæstionis Seueri.

AD illud postremo Seueri putre atque inane confugiunt inuentum, quod ab eo passim iactatur, & decantatur. Dicunt enim ridiculum esse, dicere, duas naturas duabus è naturis constitui, tanquam argumentum captiosum à nobis propositum rectè confutent. Quem.n. ex iis, qui diuina callent Ecclesiæ instituta, audierunt dicentem, Duarum naturarum coniunctionem duas naturas constituere? Id audiuisse nullo modo poterunt dicere, si veritatis studiosi sunt. Duabus quidem è naturis coniunctionem factam dicimus, sed vnam ex ipsis Christi personam constare compositam, quæ illas ipsas naturas, ex quibus composita est vt totum proprias partes sine defectu cum proprietatibus naturalibus & sine mutatione tuetur atque conseruat, & in ipsis conseruatur & custoditur vt totum in partibus. Quare duabus è naturis non duas naturas, sed vnam Christi personam compositam dicimus, quæ naturas has vt proprias partes complectitur, & eas vt partes proprias continet, & in ipsis tanquam in partibus & est, & cognoscitur. Itaque cùm vnum & duo idem dicimus, non eadem, Sed alia, atque alia ratione de vno & eodem vtraque pronunciamus. Duo quidem, quantum ad rationem pertinet naturarũ, ex quibus est coniunctio. Neque enim idem natura Deum verbum esse cum propria carne cognoscimus. Vnum autem, quantum attinet ad personã. Idem enim cum propria carne Deum verbum per personam esse scimus. Quamobrem neque naturas vnam in naturam stultè confundimus, naturalem in Christo differentiam auferentes, ne verbi & carnis commutationem inducamus, neque rursus in duas personas propriè consistẽtes insanè diuidimus, in personæ ipsius ratione differentiam collocantes, ne salutem nostram negemus. Quemadmodum ex diametro inter se in impietate discrepantes Apolinarius & Eutyches vna ex parte, & Nestorius ex altera fecerunt. Illi dum naturalem in Christo ignorant differentiam, hic verò dum personæ quoq; differentiam inducit. Quapropter exciderunt à veritate. Sed in personæ etiam vnitate naturalem proprietatem immobilem agnoscentes, pariter & confusionem, & diuisionem repudiamus. Neque enim coniunctionis loco confusionem constituimus, vt qui ea, quæ coniuncta sunt, ignoremus, neque pro differentia diuisionem, vt qui ea, quæ differunt, separatim per se consistere asseramus. Hoc & Magnus ille Theologus Gregorius, mea quidem sententia docet, cùm in magno Apologetico dicit, Vnum ex vtrisque, & per vnum vtraque. Quod in secunda oratione de filio clarius exponens, Et si enim, inquit, vtrunque vnum, non tamen natura, sed coniunctione.

Item aduersus illos, qui vnam in Christo naturam esse dicunt. Damasceni. Caput. LXVII.

SIne inuersione & mutatione mutuo naturæ duæ coniunctæ sunt. Cùm neq; natura diuina recesserit à propria simplicitate, neque humana in naturam Diuinitatis conuersa sit, aut in nihilum redacta. Neque duabus è naturis vna composita sit effecta. Natura nãque composita cum neutra illarum naturarum, ex quibus constat, eandem habere potest essentiam, ex diuersis diuersum efficiens. Vt corpus quatuor ex elementis compositum, neq; eiusdem cum igne dicitur essentiæ, neque ignis nominatur. Nec ignis dicitur, nec aqua, nec terra, nec cum horum aliquo eandem essentiam habet. Quamobrem si Christus, vt Hæretici sentiunt, post coniunctionem declaratus est vna natura composita, ex simplici natura in compositam mutatus est, itaq; nec cum patre, qui naturæ simplicis est, nec cum matre, quæ non est ex Diuinitate atque humanitate composita, eandem habet essentiam, neq; in Diuinitate & humanitate est, neq; Deus vocabitur, neq; homo, sed Christus tantum. Et nomen hoc, Christus, non personæ ipsius nomen erit, sed vnius, vt ipsi dicunt, naturæ. Nos autem neq; vnius naturæ compositæ Christum asserimus, neq; ex diuersis diuersum quiddam, vt ex anima & corpore hominem, aut vt quatuor ex elementis corpus, sed ex diuersis eadem. Nam ex diuinitate atque humanitate Deum perfectum, atque hominem perfectum eundem ex duabus & in duabus naturis confitemur. Nomen autem hoc, Christus, dicimus esse personæ, neque vno modo dici, sed duas naturas significare. Ipse enim vnxit seipsum, vngens quidem corpus vt Deus, vnctus autem, vt homo. Ipse.n.

est hoc atque illud. Porrò Diuinitas humanitatis est vnctio. Si enim vnius naturæ compositæ Christus existens eiusdem esset essentiæ cum patre, compositus nimirum & pater esset, & eiusdem essentiæ cum carne, quod quidem absurdum est, & omni ratione detestandum. Præterea quomodo duas essentias contrarias vna natura suscipiat? Qui enim fieri queat, vt eadem natura secundum idem creata sit & increata? mortalis & immortalis? circunscripta & incircunscripta? Quòd si vnius dicentes Christum naturæ, simplicem ipsam affirmarint, aut nudum ipsum Deum fatebuntur, & fictam carnis assumptionem introducent, aut nudum hominem, vt Nestorius sentit. Verùm illud Hæreticos in errorem inducit, quòd idem esse dicũt naturam & personam. Sed quoniam vnam hominum naturam dicimus, sciendum est, nos non animæ & corporis rationem respicientes ita loqui. Vnius enim anima & corpus inter se coniuncta esse naturæ non possunt. Verùm quia plurimæ sunt hominum personæ, omnes autem eandem naturæ rationem suscipiunt, omnes enim ex anima & corpore compositi sunt, & omnes animæ naturam, & corporis essentiam obtinent, communem plurimarum personarum speciem naturam vnam appellamus, cùm tamen binas personæ singulæ naturas habeant, & in duabus naturis, anima nimirum, & corpore consistant. At in Domino nostro Iesu Christo non licet communem speciem accipere. Neque enim fuit, nec est, nec erit alius Christus, ex Diuinitate, atque humanitate, in Diuinitate atque humanitate Deus perfectus, idem & homo perfectus. Iccirco vna in Domino nostro Iesu Christo natura dici non potest. Quoniam vtique duabus è naturis perfectis diuina & humana non per mixtionem, nec per confusionem, nec per concretionem factam esse dicimus coniunctionem, vt insanus Eutyches & Dioscorus & Seuerus, cum reliqua ipsorum execranda multitudine asserebant, neq; per personam, neq; per habitum, neq; per dignitatem, neq; per eandem voluntatem, neq; per honoris, aut nominis similitudinem, aut per approbationem, vt Deo inuisus Nestorius affirmabat, sed per compositionem, siue hypostasim siue inuersione, & sine confusione, & sine mutatione, & sine diuisione, & sine separatione, & in duabus naturis pfectis vnam personam confitemur filij Dei & carnem induti, eandem personam dicentes Diuinitatis & humanitatis ipsius, & duas fatentes in ipso post coniunctionem seruari, non per se vnáquāque & separatim constituentes, sed vicissim in vna coniunctas persona. Per essentiam enim dicimus coniunctionem, hoc est, veram, & non fictam. Per essentiam verò, non quòd duæ naturæ naturam vnam cõpositam effecerint, sed quòd verè in vnam personam cõpositam coniunctæ sint. Et ipsarum essentiæ differentiam seruari statuimus. Quod.n. creatum est, creatum mansit, & increatum mansit increatum. Mortale mansit mortale, & immortale, quod est immortale. Quod visibile est mansit visibile, & inuisibile quod inuisibile. Hoc miraculis splẽdet, illud contumeliis obiectum est. Sed quæ sunt humana, Verbum fecit sua. Ipsius enim sunt, cùm sanctæ sint carnis ipsius. Et carni tribuit, quę ipsius sunt propria, per vicissitudinem & mutuam partium concessionem, & coniunctionem in persona, & quoniam vnus atque idem erat, qui tũ diuina, tum humana gerebat in altera forma cum alterius communione. Quamobrem & Dominus gloriæ crucifixus dicitur, cùm tamen diuina ipsius natura passa non sit. Et filius hominis, antequã pateretur, in cœlo esse dicitur, vt ipse Dominus ait. Sicut enim vnam ipsius personam, sic & veram naturarum differentiam seruari dicimus. Hæc autem quomodo seruabitur, nisi seruentur ea, quæ differentiam habent inter se? Differentia.n. est rerum differentium differentia. Qua igitur ratione Christi naturæ inter se differunt, ea dicimus ipsum extremis coniungi, id est, ratione essentiæ. Diuinitate quidem patri & spiritui, humanitate autem matri & omnibus hominibus. Qua verò ratione ipsius naturæ coniunguntur, ea dicimus ipsum & à patre & à Spiritu sancto, et à matre, & à reliquis hominibus differre. Naturæ autem ipsius, persona coniunguntur, cùm vnam habeãt personam compositam, qua & à patre differt, & à spiritu, & à matre, & à nobis.

Eiusdem. Caput. LXVIIII.

IAm quemadmodum vnam in Diuinitate naturam confitemur, tres autem verè personas esse dicimus, easq; mutuò indiuisibiles, & inseparabiles, & coniunctas, & inter se sine confusione commeantes scimus, & coniunctas quidem sine confusione, tres enim sunt, licet coniunctæ sint. Distinctas autem sine interuallo, quanuis enim vnaquæq; per se subsistat, siue perfecta sit persona, & suã proprietatem, seu existendi rationem diuersam habeat, essentia tamen & naturalibus proprietatibus coniunctæ sunt, & quia non distant, neque discedunt à paterna hypostasi, & vnus Deus sunt, & dicuntur, eodem modo & in diuina, & arcana, & omnem mentem, & comprehẽsionem superante dispensatione vnius sanctæ Trinitatis Dei verbi & Domini nostri Iesu Christi duas quidem naturas diuinam & humanam inter se congressas & in persona coniũctas, vnam autem personam è duabus perfectam naturis compositam confitemur. Duas verò naturas etiam post coniunctionem in vna persona cõposita, siue in vno Christo seruari dicimus, & ipsas verè esse, & naturales ipsarum proprietates, coniunctas quidem sine confusione, & sine diuisione, differentes autem, & numeratas. Et quemadmodum tres sanctæ Trinitatis personæ & sine confusione cõiunctæ sunt, & sine interuallo distinguuntur, & numerantur, nec numerus diuisionem, aut interuallum, aut alienationem, sectionemúe in ipsis agit, vnum enim Deum patrem, & filium, & Spiritum sanctum agnoscimus, eodem modo Christi naturæ licet coniunctæ sint, sine confusione tamen coniunctæ sunt. Et quanuis inter se commeent, mutuam tamen versionem aut commutationem non admittunt. Naturalem enim suam vtraque proprietatem conseruat immutabilem. Quapropter & numerantur, & numerus diuisionem non inducit. Vnus enim est Christus tum in Diuinitate tum in humanitate perfectus. Numerus.n. nec diuisionis, nec coniunctionis est causa, sed numeratorum significat quantitatem, siue cõiuncta, siue diuisa sint. Coniunctorum quidem, vt si dixeris, parietem hunc quinquaginta lapides continere. Diuisorum autem, vt si in hoc campo iacere dixeris lapides quinquaginta. Rursus coniũctorum vt cùm duæ sunt in fornace naturæ, nempe ignis, & ligni. Diuisorum autem, vt alia est ignis natura, & alia ligni, cum alio modo cõiungat, aut diuidat ipse numerus. Quemadmodum igitur fieri nõ potest, vt tres Diuinitatis personas, licet mutuo coniunctæ sint, vnam personam dicamus, quoniam personarum differentiæ non confundun tur, neq; delentur, ita fieri, nequit, vt duas Christi naturas in persona coniunctas vnam affirmemus esse naturam, ne deleamus, aut confundamus, aut ad nihilum redigamus ipsarum differentiam.

Eiusdem. Caput. LXXII.

SIn aliquis quærat, vtrum Domini naturæ ad quantitatem continuam, an ad discretam reducantur, respondebimus,

debimus, Dñi naturas neque vnum esse corpus, neque superficiem vnam, neque vnam lineam, neque tempus, neque locum, vt ad continuam referantur quantitatem. Hęc enim sunt, quæ quantitate continua numerantur. Sciendum autem est, numerum esse rerum differentium, neque enim, quæ nullo modo differunt, numerari possunt. Et qua ratione differunt, ea numerantur. Exempli gratia Petrus & Paulus, qua ratione coniuncti sunt, ea nõ numerantur. Nam cùm essentiæ ratione coniungantur, duæ nõ possunt dici naturæ. At cùm persona differant, duæ dicuntur personæ. Itaque numerus est rerum differentium, & qua ratione differunt res differentes, & etiam ratione numerantur. Porro Domini naturæ sine confusione coniunguntur in persona. Ratione autem & modo differentiæ sine distractione distinguuntur. Et qua ratione coniunguntur, ea nõ numerantur. Neq; enim per personam duas dicimus esse Christi naturas. Sed qua ratione sine distractione distinguuntur, ea numerantur. Duæ enim sunt Christi naturæ ratione & modo differentiæ. Persona enim copulatæ, & mutuo inter se commeantes, sine confusione coniunguntur, cùm suam vtraque naturalem differentiam seruet. Proinde cùm differentiæ modo, eoq; solo numerentur ad discretam referentur quãtitatem. Vnus igitur Christus est, Deus perfectus, & homo perfectus, quem cum patre & spiritu vna adoratione simul cùm vera ipsius carne adoramus. Neque enim carnem non adorandam dicimus. Adoratur enim in vna verbi persona, quæ facta est ipsius carnis persona. Nec tamen vt creatam adoramus, non enim adoramus vt carnem simplicem, sed vt Diuinitati coniunctam, & quod vnam in personam & in vnam hypostasim Dei verbi duæ ipsius naturæ confluxerint. Timeo carbonem attingere, quoniã ligno coniunctus est ignis. Adoro vtrũque quod est in Christo, propter Diuinitatem carni coniunctam. Non adiungo quartam personam Trinitati. Absit. Sed vnam personam Dei verbi, & carnis ipsius esse cõfiteor. Trintas enim, etiam post carnem assumptam à verbo, Trinitas permansit.

Eiusdem. *Caput.* XCVI.

Filium Dei cùm patre & Sancto spiritu adoramus, incorporeum quidẽ anteq̃ humanitatem assumeret, eundem verò etiam nunc posteaq̃ carnem assumpsit, & factus est homo existens Deus. Quamobrem caro ipsius in propria natura, si subtili cogitatione diuiseris id, quod cernitur, ab eo, quod intelligitur, adoranda non est, vtpote creata. Coniuncta verò cum Deo verbo propter ipsum & in ipso adoratur. Quemadmodum enim Rex & nudus & indutus adoratur, cũ tamen purpura, vt simplex purpura conculcetur, & proiiciatur. At cùm facta est regium vestimentũ, honoratur & colitur, & siquis eam cum ignominia conculcarit, capite sæpe damnatur. Ac sicut lignum nudum attingi potest, cum igne verò coniunctum & carbo effectum non, propter se, sed propter ignis coniunctionem attingi non potest. Nec ligni natura est, quæ tangi nequeat, sed carbo, seu lignum ignitum & inflammatum. Sic & caro natura quidem sua non est adoranda, sed in Deo verbo ipsam induto adoratur, non propter se, sed propter Deum verbum cum ipsa per personam coniunctum. Et nõ dicimus, nos carnem simplicem adorare, sed carnem Dei, seu Deum carnem indutum.

Eiusdem. *Caput.* LXIII.

Nam & si non est natura sine hypostasi, aut essentia sine persona, in hypostasibus enim, atque personis tum essentia tum natura considerantur, non tamen necesse est, vt naturę inter se in persona coniunctę propriã singulæ personam habeant. Possunt enim in vnam concurrentes personam, quanuis propriam sigulæ personam non habeant, esse tamen non sine persona, sed vnam & eãdem vtræque habere. Eadem enim verbi persona, cùm sit ambarum naturarum persona declarata, nec vnam illarũ sinit esse sine persona, nec eas inter se diuersas habere personas concedit, nec modo hanc, modo illam. Sed ipsa semper est ambarum sine diuisione & separatione persona, non dissecta, neque ita diuisa, vt sui quidem ipsius partem vnam huic, partem illi alteram tribuat, sed tota huius, & tota illius est sine vlla prorsus partitione. Neq; enim Dei verbi caro proprie per se substitit, neque alia persona facta est præter Dei verbi personã. Sed in ipsa consistens, per ipsam potius, quam per se proprie constat. Itaque nec sine persona est, nec aliam addit personam Trinitati.

Eiusdem. *Caput.* LXXIIII.

Qvamobrem & accessionem in Trisagio ab insano Petro Fullone factã execramur, vtpote quæ quartam inducit personam, & Dei filiũ, qui Dei virtus est in sua consistens persona separat ab eo, qui crucifixus est, tanquam diuersus sit ab illo, qui fortis est: aut sanctam Trinitatem putat esse patibilem, & vnà cum filio crucifigit patrem & Spiritum sanctum. Recedant istæ detestãdæ falsæq; nugæ. Nos enim illud, Deus sanctus, ita de patre accipimus, vt non illi soli Diuinitatis nomen asignemus, sed & filium, & Spiritum sanctum Deum agnoscamus. Et illud, sanctus fortis, de filio sic accipimus, vt patrem & Spiritum sanctum fortitudine non spoliemus. Et illud, sanctus immortalis de Spiritu sancto sic accipimus, vt ab immortalitate patrem & filium non excludamus. Sed vnicuique personæ cuncta Diuinitatis vocabula simpliciter perpetuoq; tribuimus. Et Diuum Apostolum imitamur ita dicẽtem, Nobis autem vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos ex ipso, & vnus Dominus, Iesus Christus, per quẽ omnia, & nos per ipsum, & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia. Cùm illæ particulę, ex quo, & per quem, & in quo, naturas non secent, non enim mutatæ essent præpositiones, aut ordines nominum, sed vnius minime confusę naturę proprietates designent. Et hoc ex eo colligi potest, quòd ad vnum rursus referuntur, siquis non incõsiderate legat illud apud eundem Apostolum, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso. Ipsi gloria in secula. Amen. Nam quòd non de filio solo, sed de sancta Trinitate Trisagium dicatur, testis est Diuus, & sacer Athanasius, Basiliusq;, & Gregorius, & omnis Diuinorum Patrum cœtus. Quoniam sancta Seraphim ter vocem illam sanctus repetendo tres Diuinitatis essentia præstantioris personas nobis significant. Semel vocem hanc Dominus dicendo vnam supreme Trinitatis essentiam & regnum indicant. Ac Gregorij quidem illius Theologi verba sunt hæc. Sic igitur & Sancta sanctorum, quæ & à Seraphim cooperiuntur, & collaudantur, cùm vox illa sanctus ter repetita ad vnam dominationem diuinitatemq; conueniat. Quod & ab alio quodam ante nos pulcherrime & sublimissime fuit consideratum & explicatum. Tradunt autem & qui historiam Ecclesiasticam conscripserunt, cũ populus Constantinopoli sub Proclo Archiepiscopo deprecandi supplicij causa, quod Deus minabatur, supplicaret, puerum è populo sublimem fuisse raptum, & Angelica quadam doctrina Trisagium illum hymnum didicisse, Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri. Cumq; puer rursum reuertisset, & quod didicerat nũtiaret, vniuersum populũ hymnum decantasse, atq; ita qđ

impendebat, periculum euasisse. Et in sancto magno, & œcumenico cōcilio quarto Chalcedone celebrato sic decantatum esse Trisagium hymnum in actis ipsius concilij memoriæ proditum est. Quamobrem verè ridiculum & ludicrum est cantum illum Trisagium, quem Angeli docuerunt, & tot patres in concilio comprobarunt & confirmarunt, & prius Seraphim vt trium Diuinitatis personarum indicem decantarunt, stulta Petri Fullonis opinione, quasi Seraphim antecellat, conculcari, & emendari. ò pertinaciam, ne dicam, insaniam. Nos autem, licet Dæmones disrumpantur, ita dicimus, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri.

Eiusdem, aduersus eos, qui dicunt, si duas habet homo naturas & actiones, necesse esse, tres in Christo naturas & totidem actiones asserere.

Singuli quidem homines cùm binis è naturis anima nimirum & corpore constent, easq; in se immutabiles seruent, binæ merito dicuntur naturæ. Vtraque enim etiam post coniunctionem naturalem seruat proprietatē. Neq; enim corpus immortale, sed interitum sentiens. Neque mortalis anima, sed immortalis. Quòd si vnius aliquādo naturæ homo dicitur, naturæ vocabulum pro specie accipitur. Negamus enim naturæ differentia hominem ab homine discrepare, sed eandem omnes homines habere constitutionem, cùm ex anima & corpore compositi sint, & binas singuli naturas absoluant, & sub vnam omnes definitionem cadant. Ac ne illud quidem falsum est, cùm rerum omnium procreatarum, quòd generatæ sint, naturā vnam appellat sacer Athanasius, in ea oratione, quam aduersum illos scripsit, qui Spiritui sancto maledicūt, loquēs ad hunc modum, Rebus omnibus procreatis præstare Spiritum sanctum, & ab eorum, quæ facta sunt, natura diuersum esse, Diuinitatisq; proprium, ex hoc rursum possumus intelligere. Cùm igitur oīs homo ex aīa & corpore compositus sit, iccirco vna dicitur hominum natura. At in Domini persona naturam vnam dicere non possumus, cùm vtraque natura etiam post coniunctionem, naturalem proprietatem conseruet. Porro Christorum species inueniri non potest, neque enim fuit alius Christus, qui ex Diuinitate atque humanitate Deus idem sit & homo. Et rursum. Non est idem secundum hominis speciem, vnum & vnū, quantum ad animæ & corporis essentiam pertinet. Nam vnum secundum hominis speciem significat eam, quæ est in oībus hominibus, similitudinem. Vnum verò quantum ad animæ & corporis essentiā pertinet, eo ipso, quod est, lædit, cùm ea plane ad nihilum redigat. Aut enim vnum in alterius essentiam cōmutabitur, aut ex diuersis diuersum fiet, & vtraque mutabuntur, aut si propriis in terminis mā serint, duæ erunt naturæ. Non enim essentiæ ratione idem est corpus cum eo, quod est incorporeum. Quare non est necesse, vt qui non propter eandem essentiæ corporis & animæ qualitatem, sed propter similitudinem indiuiduorum, quæ sub vnam speciem reducuntur, vnam in homine naturam dicunt, vnam item in Christo naturam asserant, vbi vna natura plures non complectitur personas. Præterea omnis compositio ex proxime componentibus conficitur, Neq; enim dicimus, donum ex terra, & aqua, & reliquis elementis componi, sed ex lapidibus & lignis. Alioqui necesse sit & hominem ex quinque saltem naturis cōpositum affirmare, nēpe ex quatuor elementis & anima. Sic & in Domino nostro Iesu Christo non partes partium, sed quæ proxime componunt, nempe Diuinitatem & humanitatem consideramus. Ad hæc si duas in homine naturas dicimus, tres in Christo naturas dicere cogemur. Et vos, qui duabus è naturis hominem constare dicitis, ex tribus naturis Christum constituitis. Idem de actionibus intelligitur, necesse enim est, vt actio naturæ mutuo respondeat. Hominem autem duas dici debere naturas testis est Gregorius Theologus, ita loquens, sed cū duplices simus, hoc est, ex anima corporeq; constemus, ex natura nimirū visibili, & inuisibili, duplex est item expurgatio, nempe per aquam & spiritum.

Eiusdem ad eos, qui quærunt, vtrum sancta Deigenitrix duas naturas genuerit, & vtrum duæ naturæ in cruce pependerint.

Factum, & non factum, quod creatum, increatumq; significat, ad naturā refertur. Genitum autem & ingenitum non ad naturam, sed ad personam. Natura igitur diuina increata est. Omnia verò post naturam diuinam facta creataq; sunt. Itaque in natura diuina atque increata ingenitum quidem in patre consideratur, neque enim genitus est, genitum autem in filio, ex patre enim ab æternitate genitus est. Procedens verò consideratur in Spiritu sancto. Cuiusque speciei animalium prima generata non sunt, ab opifice enim facta sunt Deo, non autem ex similibus prognata. Fieri enim ad res pertinet procreatas. Gigni autem ad Deum filium, qui ex solo patre eiusdem essentiæ genitus est. Ipsæ verò res procreatæ ex coniunctione maris & fœminæ generantur personam habentes eiusdem essentiæ. Ex quo intelligimus, gigni non ad naturam, sed ad personam pertinere. Nam si ad naturam pertineret, in eadem natura genitum & ingenitum non cōsideraretur. Sancta igit̄ Dei genitrix personā genuit duabus in naturis declaratam, quæ ex patre quidem, quantum ad Diuinitatem pertinet, sine tempore genita est. In extremis autem temporibus ex ipsa virgine carnē assumpsit, & carne nata est. Idemq; dicitur de crucifixione, & resurrectione, & assumptione, Hæc enim non ad naturam referunt̄, sed ad personam. Christus igitur duabus in naturis existēs passus est natura patibili, & crucifixus est, & in cruce pepēdit carne, non autem Diuinitate. Itaque genitus est Deus verbum hominem induens carne. Et crucifixus est carne, & mortuus est carne, Diuinitate ipsius impatibili permanente.

Eiusdem. *Caput.* LXXV.

Quamobrem Dei verbi naturam carnem assumpsisse, aut carni cōiunctam esse dicimus. Verbi autem naturam carne passam nondum audiuimus. Sed Christum carne passum didicimus. Restat igitur, vt dicamus, carnem assumpsisse, nihil aliud esse, nisi carni esse coniunctum. Carnem verò factum verbum, ipsam verbi personam sine mutatione factā esse carnis personā. Et Deus homo factus, & homo Deus dicit̄. Diuinitas verò homo facta, aut hominem induta nullo modo dicitur, At Diuinitatem humanitate coniunctam in vna ipsius personarum didicimus Deum itē formam, aut essentiam accipere alienum, aut nostrum est. Ac singulis quidem personis conuenit nomen hoc Deus. Diuinitatem verò personam dicere non possumus. Diuinitatem enim patrem solum, aut solū filium, aut Spiritum sanctum dici non accepimus. Diuinitas enim naturam significat. Deus verò etiam communitatem naturæ declarat, & singulis personis denominatiue tribuitur, quemadmodum & homo. Deus enim est qui di-

uinam habet naturam, & homo, qui humanam. Illud præterea sciẽdum est, patrem, & Spiritum sanctum nulla ratione carnis assumptæ à verbo fuisse participes, nisi diuino vaticinio, & approbatione, & voluntate.

Eiusdem. Caput. XC.

IPsum Dei verbum omnia carne sustinuit, diuina & sola ipsius natura impatibili permanente. Nam anima quidem, vtpote patibilis, cùm corpus laceraretur, ipsa quoque simul cum lacerato corpore angebatur & patiebatur. Diuinitas autem, vtpote impatibilis, vna cum illo nõ patiebatur. Illud item sciendum est, nos dicere, Deum carne passum, Diuinitatem verò carne passam, aut Deum per carnem passum nullo modo. Nam si, cùm arborem securis secet, dum illustratur à sole, non secatur ipse sol, neq; patitur, quanto magis impatibilis verbi Diuinitas per personam carni cõiuncta, carne patiente, mansit impatibilis? Nõ est autem necesse, vt exempla sic omnino similia sint, vt nihil desit. Sed in exemplis & similitudo & diuersitas cõsideratur. Quod enim in omnibus simile est, nõ exemplũ, sed idem est.

Item aduersus eos, qui vnam in Christo naturam asserunt. Diuersorum aliorum patrum.

IN quæstionibus suis Eutychianistæ disputant ad hunc modum, si duæ sunt in Christo naturæ, duæ erunt & hypostases. Neque enim natura vlla sine persona. Atque ita duo prorsus erunt filij. Respondemus, hypostasim aut personam, (vt in sancta Trinitate, & Angelis, & hominibus) significare, aut existentiam, vt in rebus, quę quoquomodo sunt, ad earum quæ non sunt, differentiam. Quamobrem hypostasim, quæ personã significet, vnam esse dicimus. Duas verò, quæ significent existentiam, etiam concedere, nullum esse periculum affirmamus, quo neutram in ipso naturam esse sine existentia demonstremus. Existẽtiæ enim hypostasim omnibus in rebus reperiemus, personæ verò hypostasim non in omnibus. Quamobrem hypostasis Christi personam significans, vtriusque naturæ ipsius est hypostasis nam cùm simplex esset, est facta composita. Ac diuina quidem eius natura propriam habet hypostasim, humana verò neq; sine hipostasi est, neq; propriam habet hypostasim, sed in hypostasi diuina nimirum subsistit.

Falso Dualitatem accusant, tanquam prima diuisio sit, quæ statim post vnitatem occurrat, cùm potius duarum sit vnitatum coniunctio, & suam comprehẽdendi vim statim constituat. Numerus.n. non est vnitatum diuisio sed potius cumulus, vt qui in ea facultate præstant, definiuerunt. Quòd si dualitatis in ea, ex quibus constat, resolutionem. diuidere coniunctionem dixerint, siue cogitatione, siue re ipsa id fiat, verè fortasse loquentur. Dualitas verò in se ipsa manens non est sectio, neque vnitatum diuisio, sed potius ipsarum coniunctio & copulatio. Quãquam natura numeri per se neque diuidit, neque coniungit, sed vtrũque suscipit pro ratione illius, qui eo vtitur. Neque enim bicubitale lignum secat numerus duorum cubitorum. Sed quãuis dimensum sit, cõtinuam tamen suam retinet quãtitatem. Nec decem modij tritici diuisi sunt, propterea, quòd dimensi sint. Sed & Dominus cùm duodecim esse diceret horas diei, non eius diuisit continuam quantitatẽ. Et cùm Apostolus diceret, multa membra, corpus autem vnum, non iccirco membra dissecuit. Nec qui dixit, Omnia ossa mea dicent, Domine, Domine, quis similis tibi, diuisit mẽbra sua. Quòd si illud, Duodecim, & illud, multa, & illud, omnia, vt reliqua prætereamus, cùm significent numerum, nullam tamen diuisionem efficiunt, quis duorum numero soli singulare munus hoc tribuat, vt diuidẽdi vim habeat, cùm præsertim eum nos nõ in diuisione Christi naturarum adhibeamus, sed vt solam ipsarum differentiam claram significemus, & ostendamus, eas sine mutatione & confusione post veram & indiuisibilem coniunctionem permanere. Nam & in corpore licet tres dimensiones dicamus, non tamen ipsum corpus in tres sectiones diuidimus. Quemadmodum igitur personarum Trinitas non ipsarum diuisionem eas distrahentem in Diuinitate parit, distinguuntur enim, sed sine distractione & coniunguntur sine confusione, inter se enim commeant sine cõmixtione, seruatis singularũ proprietatibus, sic & in Christo naturarum dualitas non efficit ipsarum distractionem.

Duæ naturæ sunt vnus Christus, & vnus Christus est duæ naturæ. Idem igitur est, dicere, Christus agit in duabus naturis secũdum alteram naturarum, & altera natura agit in Christo.

Et duabus è naturis Christum, vt ex Diuinitate & humanitate, tanquam ex partibus totum dicimus. Et in duabus naturis, vt in Diuinitate & humanitate. Et duas naturas, vt Deum & hominem. Et hoc est illud, Ea ex quibus. Et in quibus. Et quæ est.

Post duarum naturarum in Christo coniunctionem, non oportet dicere, diuisionem, sed differentiam Differẽtia enim est ratio, qua inter se differunt subiecta. Diuisio verò est totius sectio, qua illa vicißim separantur.

Cùm anima à proprio corpore separata esset, Diuinitas in vtrisque erat indiuisibilis, quæ & corpus à corruptione perpetuo liberum conseruabat, & animam inferis terribilem & mortis vim euertentem ostendebat. Neque enim ab eo, quod compositum est, id, quod non est compositũ, scinditur, sed contra potius coniungit compositum & quæ separata sunt, copulat, & in vitam reuocat.

Item aduersus eos, qui vnam in Christo naturam asserunt. Leontii Bizantii, ex triginta capitibus contra Seuerum.

Cap. I.

SI ea, quæ omnino sunt eadem, vnius naturæ sunt, & hæc ipsa dicuntur vna natura, quomodo quæ nõ sunt eadem omnino secundum naturam, vnius erunt naturæ, aut vna dicentur natura? Atqui nunquam idem erit omnino Christi Diuinitas & eius humanitas. Quapropter hæc vnius non erunt naturæ, neque natura vna dicentur post coniunctionem.

Cap. II.

QVorum vna est natura, eorum ratio communis est, & quorum communis est ratio, ea sunt eiusdẽ essentiæ. At Christi Diuinitas nunquam erit eiusdem essentiæ cum ipsius humanitate, nunquam igitur vna earum ratio. Quorum autem nunquam vna ratio, horum vtique naturæ semper differentes.

Cap. III.

SI ex Diuinitate atque humanitate dicentes, ex duabus etiam naturis dicunt, & idem ipsis vtrunque videtur significare, quomodo qui in Diuinitate atque humanitate dicunt post coniunctionem, non ex iis, quæ ab ipsis concessa sunt, duabus in naturis cogentur dicere? Idem enim & hic est illud, quod ex vtrisque significatur.

Cap. IIII.

SI duabus è naturis Christum dicentes ex Diuinitate atq; humanitate dicunt, & ex Diuinitate atque humanitate dicentes duabus è naturis ipsum dicunt. At Diuinitatem atq; humanitatē dicunt etiam post coniunctionem, duas igitur & ipsi post coniunctionem Christi naturas concedunt. Quòd si duas in Christo post coniunctionem naturas negant Diuinitatem & humanitatem Christi negant post coniunctionem.

Cap. V.

SI ea, quæ concurrunt in coniunctione, concedunt nō esse confusa, duo autem ipsi quoque illa dicunt esse, quæ concurrunt, cur ea duo, quæ in coniunctione cōfusa non sunt, etiam post coniunctionem non agnoscunt? Quòd si agnoscunt, cur non cōfitentur? Sin confitentur, cur ea recusant enumerare, quorum minime confusam proprietatem etiam post coniunctionē esse sciunt? Quod enim cōfitentur, inquit. D. Basilius, id etiam enumerent.

Cap. VIII.

SI numerus omni ratione diuisionem affert, numerus diuisionis est causa, nō autem diuisio numeri. Et alterū è duobus erit necessarium, vt vel nihil eorum, quæ coniuncta sunt, numeretur, vel nihil eorum, quæ numerata sunt coniungatur. Sed nónne ridiculum est, eam tribuere numero potestatem? Cùm omnis numerus non rerum naturam, aut qualitatem, sed quantitatem constituat?

Cap. X.

SI Christi dispensatio contrario modo se habet, atque Diuinitas, in Diuinitate autem tres semper personas & naturam vnam confitemur, quomodo in Christi dispensatione naturas duas, & personam vnam non dabimus? contrario enim modo se res habent, cùm toto inter se ordine commutantur.

Caput. XII.

SI alius & alius sunt pronomina personarū, vt Theologus ait, aliud autem & aliud sunt naturarum pronomina, prius autem semper est in Diuinitate, posterius itidem semper est in dispensatione, semper igitur naturæ, siquidem & earum pronomina semper sunt.

Cap. XIII.

SI non est idem natura simplex, & natura cōposita, simplex autem verbi natura vnam solam naturam declarat, composita Christi natura, ex istorum sententia, vnam naturam non indicat. Quòd si simplex & cōposita, vt ipsi volunt, Christi naturam vnam significant, differentiam ostendāt compositæ, vt ipsi sentiunt, Christi naturæ, & simplicis naturæ ipsius verbi.

Cap. XIIII.

QVæ proprie inter se contraria sunt, totam negationem toti opponūt affirmationi. Vt si affirmatio dicat, Paulus Apostolus est, negatio dicet, Paulus Apostolus non est. Hoc modo duabus naturis vna est natura contraria. Si enim vna natura est Christus, non duæ. Et si duæ, nō vna. Qui autem vnam dicentes aliquid aliud adiungunt, non amplius contrario modo ab ipsis dicitur sed diuerso, & per circunscriptionem. Et constat ipsis ex nomine & definitione duarum naturarum confessio. Ex nomine quidem, natura verbi, ex defintione verò, carne animata anima ratione menteq; prædita. Hæc enim est humanæ naturæ definitio. Cur igitur qui naturæ definitionē dicunt, appellationem ipsius reiiciunt, dicant isti, qui ne consentanea quidem inter se à repugnantibus possunt discernere.

Cap. XIX.

SImplex natura non est eiusdem essentiæ cum composita. Simplex autem est patris natura, Christi verò cōposita, nō igitur eiusdem essentię est Christi natura cū natura patris. Atqui Christū & eiusdem cū patre essentiæ, & eundem eiusdem essentię nobiscum affirmare se fingūt. Dicant igitur, an fieri posit, vt vna, quemadmodum ipsi aiunt, composita Christi natura omni ex parte sit eiusdem essentiæ cum patre, & omni rursum ex parte eiusdem nobiscum essentiæ, vt non ad eandem nos etiam adducant essentiam, quam habet pater. Quòd si dixerint, non omni ex parte vnam Christi naturam esse & cum patre & nobiscum eiusdem essentiæ, reliquum est, vt vnius naturæ dimidium cum patre, & dimidium sit eiusdem nobiscum essentiæ. Hoc autem quid aliud est, nisi diuidere vnam vt ipsi dicunt Christi naturam in eandem & diuersam essentiam, & in totidem partes quot vnam Christi naturam compositam absoluunt? Est autem impietas Arij, & Apolinarij, quæ Diuinitatis & humanitatis Christi negat perfectionē.

Cap. XXIIII.

SI Christus, vt ipsi quoque concedunt, etiam post coniunctionem Deus & homo dicitur, & hæc ipsa naturę sunt, quomodo in Christo duæ naturę non sunt, siquidem idem natura non est Deus, & homo, nec qua natura Deus est, eadem est homo?

Cap. XXIIII.

SI vera ratione & sanctorum patrum sententia eodem modo à persona differt essentia, quo commune à proprio, vna verbi natura non cum carne sed cum patre vna natura dicitur. Cum ipso enim habet eandem naturæ rationem. Sin vna eius & est & dicitur natura cum patre, nunquam dicetur vna cum carne natura. Quòd si nō vna prorsus cum carne natura dicitur, ne caro quidem cum ipso dicetur vna natura. At si nec caro cum verbo, nec verbum cū carne vna natura dicitur, duas esse constat in Christo naturas.

Cap. XXVI.

SI omnia, quæ sunt eiusdem essentiæ, naturæ ratione coniunguntur, & icci rco dicuntur vna natura, quæ verò diuersæ sunt essentiæ, coniunctione, non autem natura copulantur, coniunctio autem & natura idem non sunt, ne idem quidem est, quod ex ipsis conficitur. Quòd si eā, quæ natura coniungit, dicuntur vna natura, quæ cōiunctione copulata sunt, persona, non autem natura atq; essentia vnum esse dicentur.

Cap. XXVII.

COmmuni omnes cōsensu fatentur, nomen hoc, Homo, naturam significare, Paulus autem, aut Petrus, personam. At nomen hoc, Christus, vt Beatus Cyrillus docet, nec vim habet definitionis, nec alicuius declarat

essentiam, vt hominis, aut bouis, aut equi, aut cuiusque eorum, quæ sub eandem speciem cadunt. Itaque non idē est, hominem simpliciter dicere, & Christum. Quomodo igitur hominis exemplum, quo natura significatur, ad Christi personam referri potest? Cùm nomen hoc Christus ex præceptoris doctrina non naturam indicet, sed personam? Quòd si dixeritis, & ipsum, & alios Patres ad coniunctionis rationem explicandam hominis exēplum adhibere, respondemus, eos non simpliciter hominem accipere, sed aliquem hominem, aliquis autem & singularis homo est persona. At duorum etiam hircorum ipsum describit exemplo. Quamobrem vt eo loco personas hircorum exemplum non respicit, sed viuentis, & immolati differentiam. Sic etiam hoc loco sumitur alicuius hominis similitudo, non vt tollantur naturæ, sed vt personæ vnitas ostendatur. Quòd autem aliquis seu singularis homo ex Patrum sententia duabus è naturis constet, & sit duæ naturæ, quatenus est anima & corpus, ex eorum scriptis multis in locis intelligi potest.

Item aduersus eos, qui vnam in Christo naturam asserunt, Anastasii Monachi Sinaitæ, ex libro, qui Viæ dux inscribitur.

SEuerus Episcopus Antiochiæ, inde expulsus Antiochiam venit, & librum composuit omni execratione plenum, qua Chalcedonensi concilio aduersatur, dogmaq; constituit, quo Christum post coniunctionem vnā esse naturam factum asserit. Hunc ille librum Philalethem inscripsit, quem in Syria, & in Aegypto, Seueriani, & Iacobitæ, & qui ab Eutyche & Dioscoro, & Theodosio, & Timotheo, instituti sunt, & reliqui vnam in Christo naturam asserentes Euangeliis anteponunt. Non est autem cum istis prius disputandum, quàm quid natura, quid essentia, quid hypostasis, & quid persona sit, definierint. Nam quia Christus est vna persona, ipsi pro vna persona vnam naturam dicunt, idemq; personam & naturam esse constituunt. Quæratur igitur ab ipsis, cum moritur aliquis homo, vtrum natura moriatur, an persona. Naturam quidem mori non respondebunt. Non igitur idem est natura & persona. Præterea cùm multæ sint atq; adeo innumerabiles hominum personæ, multas'ne item atque innumerabiles naturas hominum dicent? Atqui vna est hominum natura. Non ergo idem est persona & natura.

Eiusdem.

QVI vnam in Christo naturam esse contendunt, Athanasium ad Iouianum Imperatorem scripsisse dicunt, Verbum factum esse carnem, vt et caro fieret verbum. Respondemus, primùm non constare, an hæc verba sint Athanasij, cùm multis in locis dicat, nullo prorsus modo fieri posse, vt caro in verbi naturam conuertatur. Deinde ex aliis eius scriptis piam ipsius sententiam agnoscentes & hæc Athanasij esse verba concedemus. Verbum enim accepit pro Deo, quandoquidem & Deus est Verbum. Non aliter, ac si dixisset, Deum factum esse carnem, vt caro fieret Deus, non natura, sed coniunctione in persona, & deificatione, vt ita dicam. Aiunt & Theologum Gregorium de carne Domini deificata dixisse, facta est id, quod eam vnxit, &, audacter vt loquar, simul Deus. Non dixit, facta est Diuinitas, sed Deus, idq; non natura, sed deificatione. Idem enim rursum, & hoc, inquit, deificatione, Deus. Itemq; in alia oratione, licet, inquit, vtrunque sit vnum, non tamen natura, sed coniunctione. Nam & ferrum igni coniunctum sepe ignis dicitur, non tamen natura, sed inflammatione, non enim ferrum esse destitit. Aiunt & Gregorium Nyssæ Pontificem dixisse, Quemadmodum si aceti gutta coniiciatur in mare, non amplius aceti proprietates retinebit, sed immutabitur, & in aquarum maris proprietatibus cō. miscebitur, sic & sanctißimum illud corpus Diuinitati cō mixtum non est amplius in carnis proprietatibus. Discāt à nobis, sanctum hunc non confusionem & commixtionē duarum naturarū docuisse, sed illud Domini corpus post resurrectionem non amplius corrūpi, nec fluere, nec defatigari, nec indigere, nec mori, sed ab eo, quod ex materia cōstat, quod patibile, & crassum est, atque mortale, in id, quod à materia remotum, quod impatibile, & subtile est, atque immortale fuisse conuersum. Nō tamen in id, quod circunscriptione figuraq; careat, aut quod sub tactū, aspectumq; non cadat, aut creatum non sit, & quæcunque Diuinitatis sunt propria. Alioqui quomodo à discipulis post resurrectionem perspectum fuisset? Aut quomodo dixisset ipse, Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa nō habet, sicut me videtis habere? Quomodo Thomæ clauorum vestigia demonstrasset? & alia eiusmodi fecisset, quo se veram carnem & humanitatem, non autem fictā carnis humanitatisq; speciem assumpsisse significaret? Porro guttæ acceti & maris exemplum adhibuit D. hic Gregorius, quo abiectam humanæ naturæ conditionem, & infinitam Diuinitatis magnitudinem indicaret, diuinamq; esse redditam propter personæ coniunctionem, & quantum capere poterat, id ex personæ, verbi coniunctione percepisse, vt vnicam duarum naturarum personam intelligeremus. Quantum autem capere non poterat, eius expertem permansisse, vt duarum naturarum differentia seruaretur. Nam si duas Christi naturas non cognouisset, quomodo aduersus Eunomium scribens dixisset, alteram Christi naturam cruciatus & verbera pertulisse, alteram ab æterno fuisse gloriosam?

Eiusdem.

SI Christus sola Diuinitas est, quod humana natura à Diuina fuerit absorpta, cur in cruce pendens non habuit speciem, nec decorem? Cur in sepulchro iacens non habuit animā? Cur ad inferos descendes non habuit corpus? Ac sepulchrum quidem ipsius solum corpus suscepit? inferi autem solam animam? Cùm nec corpus materiam abiecerit, nec qualitatem, quæ cerni tangiq; posset, nec anima proprietates animæ deposuerit, licet cum vtrisque Diuinitas esset?

Eiusdem.

SI Christi natura sola, vt dicitis, Diuinitas est, quomodo Christus, qui Diuinitatis suæ natura vbique est, dixit ad discipulos suos, Lazarus mortuus est, & gaudeo, quòd non eram ibi? Quomodo & Angelus de corpore ipsius, surrexit, inquit, non est hic?

Eiusdem.

PRopterea duas non dicimus, inquiunt, in Christo naturas, quoniam quæ confitemur in Christo, ea nobis omnia necessarium est, in tota Trinitate sancta confiteri. Quid? non confitemini in Christo carnis susceptionem & ortum? & quicquid de diuina ipsius humanitatis susceptione dicuntur? Reliquum igitur est, vt hæc in tota sancta Trinitate confiteamini.

Eiusdem.

SI quæramus ex ipsis, qua natura Christus verba homini congruentia dixerit, ne naturam nominent id, quod est humanum in Christo, eo confugiunt, vt dicant humanitate, assumptione, eo, quod cernebatur, corpore, carne, & siquid est aliud eiusmodi. Tum si rursum quæramus, cur ita cauetis dicere naturam de eo, quod assumptum est? respondent, ne duas in Christo naturas confitentes, duas personas dicere deprehendamur, nulla enim est, inquiunt, natura sine persona. At illi qui duas in Christo naturas dicunt, Nestoriani sunt, cùm Christum vnum in duas personas diuidant. Iam igitur illis sanctorum Patrum promamus sententias, quæ duas in Christo naturas apertè confitentur.

Sanctorum Patrum de duabus in Christo naturis testimonia.

MAgni Gregorij rerum mirabilium effectoris in oratione de singulari fide. Et est Deus verus, qui cùm esset carnis expers, in carne apparuit, non tamen duas habet personas, sed naturas duas.

Primi Oecumenici concilij. Ex expositione aduersus Paulum Samosatensem. Hæc explicata sunt, & declarata, non vt vna, quæ indiuisibilis est, persona diuidatur sed vt definitæ naturæ carnis & Verbi sine confusione demonstrentur.

Athanasij Archiepiscopi Alexandrini ex oratione de fide. Ex ipsius essentiis vna est sine principio & sempiterna, quæ mente comprehendi non potest, altera in tempore facta est.

Iustini Philosophi & Martyris. Ex libro de fide. Dicite nobis, qui cùm vos Christianæ religionis studiosos fingatis, hæc duabus in Christo naturas sublatis quæritis, & simulatis.

Basilij Magni. Ex Epistola ad Sozopolitas. Siquis igitur audet dicere, duas in Christo naturas commixtas, & corpus omnino cum ossibus in Dei conuersum esse dignitatem, & quæ sequuntur.

Magni Gregorij Theologi, ex Epistola ad Cledoniũ. Duæ enim naturæ Deus & homo.

Eiusdem ex secunda oratione de filio. Indicium aũt illud est, cùm animo & cogitatione naturæ seiunguntur, etiam nomina separantur.

Amphilochij Iconij Episcopi ex Epistola ad Seleuciũ. Ita Deum & hominem Christum confiteor filium Dei, vnum filium ex duabus naturis, patibili, & impatibili. Et paulo post, Vnum igitur filium, & duas eius naturas confiteor, Et paucis verbis interiectis, Quæ assumpta est natura patitur, natura verò, quæ illam assumpsit, impatibilis manet.

Ambrosij Episcopi Mediolanensis ex oratione aduersus Apolinarium. Apparuerunt alij, qui Domini carnem & Diuinitatem vnius dixerunt esse naturæ. Quis infernus tam impium maledictum euomuit?

Eiusdem ad Gratianum Imperatorem. Diuinitatis & carnis differentiam seruemus. Vnus enim est, qui in vtraque loquitur, filius Dei. Quoniam in ipso est vtraque natura.

Gregorij Nyssæ Pontificis in oratione aduersus Apolinarium. Si igitur in duabus contrariis proprietatibus natura carnis, & Diuinitatis consideratur, quomodo vna natura duæ sunt?

Ioannis Chrysostomi ex Epistola ad Acacium. Vnum filium, vnam personam vtraque absoluerunt, quæ ratione indiuisibili sine confusione cognoscitur, non in vna sola natura, sed in duabus perfectis.

Ex eadem Epistola. Vnum filium Vnigenitum, non in geminos diuisum filios, sed duarum tamen naturarum inseparabilium minimè confusas in se proprietates conseruantem.

Eiusdem ex orõne in Latronem. Duæ naturæ & actiones in Christo sunt, sed vna persona.

Cyrilli Alexandriæ Archiepiscopi. Ex secunda ad Succensum Epistola. Post coniunctionem naturas non separamus. Et paulo post, Duas naturas esse coniunctas dicimus. Et rursum progrediens interpretatur, quomodo, inquiens, alibi dixit, vnam Dei verbi naturam carnem assumpsisse? Si enim dicentes vnam verbi naturam taceremus, nec subiiceremus illud, carnem assumpsisse, sed dispensationem quodãmodo excluderemus, merito fortasse quærerent, vbínam esset in humanitate perfectio, aut quomodo humana essentia subsisteret. At quoniam & humanitatis perfectio, & essentiæ nostræ declaratio ex verbis illis, carnem assumpsisse, demonstrata est, cessent, sibiq; ipsis arundineam virgam obiiciant.

Ex eadem Epistola. Rectissimè & prudentissimè perfectio tua de salutari cruciatu & morte rationem exponit, dum ipsum Vnigenitum filium Dei, quatenus intelligitur & est Deus, in natura propria passum esse illa, quæ corporis sunt, negat, sed ea potius terrestri natura pertulisse confirmat.

Ex oratione, quam ad Alexandrinos habuit. Commixtio adducit interitum naturarum. arcana verò coniunctio, quam rectè sentientes confitentur, vtrasque sine confusione naturas tuetur.

Ex eadem oratione. Duæ naturæ diuersas habentes essentias in vno Christo filio Dei seruantur, & non confunduntur, nec perduntur, aut distrahuntur.

Eiusdem ex commentariis in Epistolam ad Hebræos. Et non dicimus quandam veluti confusionem in naturis accidisse, vt verbi natura in hominis naturam cõmutata sit, & hominis natura in naturam verbi.

Ex eadem Epistola. Dicentes se esse sapiẽtes stulti facti sunt, naturas distrahentes.

Hæc sunt de duabus Christi naturis sanctorum Patrũ testimonia, vt alia, quæ multa sunt, omittamus. At à Deo reiectus Seuerus vbi fidem suã explicat, loquitur ad hunc modum, sed duas in Christo naturas dicere, omni ratione cauendum est, licet à compluribus sanctis Patribus sine reprehensione dictum sit. & paulo post, Et ne dixeris, quosdam è sanctis Patribus duarum naturarum dictione fuisse vsos. Id enim sine reprehensione & culpa fecerunt, vt ante diximus. At sancti Cyrilli tempore cùm inanium Nestorij verborum pestis Ecclesias depasceretur, hęc dictio fuit improbata. Euge homo execrande, quando multos sanctorum Patrum duarum naturarum dictione vsos vel inuitus cõfessus es, perspicuam, vt apparet, veritus veritatẽ, ostende iam quo tempore, & à quibus sanctis Patribus hæc dictio fuerit improbata, & quomodo duas ante Nestorium naturas Christus habuerit, post Nestorium autem duæ vna factæ sint, homo ineptissime & incõstantissime.

Leontii Bizantii, quæ maledicta Seuerus, & qui eum secuti vnam in Christo naturam asserunt, in Chalcedonense concilium coniiciant.

CHalcedonense concilium suscipiendum negant, quòd qui illud celebrarunt, mutabiles fuerunt, & inconstantes. Etenim cùm Bizantij Eutychem improbassent, eum Ephesi susceperunt, cùm Dioscoro Phlauianum reiicientes. Et iidem rursum Chalcedone Phlauianum susceperunt, Dioscorum autem improbarunt. Respondemus multos sæpe iustis de causis, vt ipsi putant, mutare sententiam. Ac licet decem, aut viginti, aut plures etiam ex sexcentis triginta consilium mutauerint, vt vos asseritis, non tamen iccirco sexcentorum triginta virorũ concilium est reiiciendum, & propter paucos, tot hominum suffragia repudianda. Quandoquidem & Ephesi vnà cum Dioscoro consederunt, nec tamen propter illos concilium Ephesi celebratum, cui Dioscorus præerat, reiicitis. Dicunt præterea, si Dioscorus, vt testatur Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus, non propter fidem depositus est, cur eum non recipitis? Respondemus, eum propter fidem verè non fuisse depositum. Iccirco enim in cõcilio non affuit, ne contra ipsum quæstio haberetur. Quòd si rediit, & quæstio habita est, & ipse vt hæreticus condemnatur, etenim erat sed quoniam tertio vocatus non affuit, & eam condẽnationis ipsius causam pronuntiarunt, ideo non propter fidem fuisse condemnatum dixit Anatolius. Ad hæc dicunt, hæreticos ab eo, concilio fuisse susceptos, nempe Theodoritum, & ibam. Respondemus, hos non prius fuisse susceptos, q̃ Nestorium detestandum & execrabilem pronuntiassent. Sed rursus obiiciunt, cur à Theodorito non postularint, vt sua aduersus Cyrillum scripta condemnaret? Respondemus, eos non debuisse hoc crimini vertere concilio, sed sancto Cyrillo, qui cùm esset reconciliatus cum orientalibus, & cum ipso Theodorito, non postulauit, vt quę contra se scripserat, condemnaret. Quãobrem quod sanctus Cyrillus non fecit, id à concilio non esse factum, ipsi concilio crimini vertendum non fuit. Quãquam quod ipse non fecit, à concilio factum est, cùm ab eo postulauit, vt Nestorium detestaretur. Quòd si eos fuisse hæreticos concesserimus, ne propter illos quidem concilium erit repudiandum. Nam & Nicænum conciliũ septem hæreticos suscepit, qui & antea fuerant, & postea permanserunt Ariani. Nec tamen ob id vocatur conciliũ centum & vndecim, sed centum & decem & octo Episcoporum appellatur. Siquidem & Iuuenalis Hierosolymorum Episcopus, & alij idonei Episcopi, q in concilio Ephesino cum Dioscoro inuenti sunt, etiam Chalcedonensi interfuerunt, nec tamen ob id concilium illud reiiciunt, sed vehementer probant & complectuntur.

Sed qui Chalcedonense concilium calumniantur, audiant, quot hæreses, decretis suis condemnauit.

Chalcedonensis concilii.

VNum & eundem confiteri filium Dominum nostrum Iesum Christum, vno omnes consensu docemus. Quibus verbis Paulo Samosatensi, & Nestorio Christum vt hominem purum colentibus eumq; geminos in filios diuidentibus, aliumq; natura filium verbũ, & alium rursus gratia filium Christum Iesum, qui propter filij naturalis coniunctionem & copulationem adoptatus sit filius, asserentibus, nec vnum & eundem filium confitentibus, qui cùm, antequam descenderet, & homo fieret, carnis expers esset, idem posteaquam descendit, & homo factus est, carnem habuit, os obstruitur.

Perfectum eundem in Diuinitate, & eundem in humanitate perfectum. Dicens in Diuinitate perfectum, excludit execrabile maledictum Arianorum, qui Christum Deum esse, sed imperfectum, & Deo patre minorem tradunt. Dicens aũt eundem in humanitate perfectum, non solum Arianorum, sed etiã Apolinaristarum stultitiam co arguit. Nam Arius quidem verbum assumpsisse carnem prorsus animæ expertem dicit, Apolinarius verò animatã quidem, sed mente carentem induisse contendit. Ambo igitur damnantur, vt qui stultè Domini humanitatem imperfectam tradiderint.

Eundem verè Deum, & verè hominem. Hæc propter Manetem dicta sunt, qui Deum purum, & non hominem esse Christum confitetur. Et propter Paulum Samasatensem, & Artemam qui negant ipsius Diuinitatem, & purũ aiunt esse hominem, ex anima ratione prædita, & corpore constantem. Apolinarium item impugnant, qui animam mente præditam habuisse negat Dominum nostrũ Iesum Christum, sed carnem animæ tantum participem habuisse concedit. Et contra Manetem & Valentinum, qui carnis negant assumptionem.

Consubstantialem patri secundum Diuinitatem, propter Eunomium & Arium, qui Vnigenitum patris Verbũ creatum & seruum esse pronuntiant.

Eundem nobis consubstantialem secundum humanitatem. propter Marcionem, & Manetem, & Valentinum, & Eutychem, qui ipsum specie & opinione tantum nuda visum esse hominem dicunt, non autem veritate, & humana natura ipsum factum esse hominem confitentur.

Ante secula quidem ex patre genitum secundum Diuinitatem, propter Simonem, & Eunomium, & Arium, qui ortum ipsius ex patre negant ante secula.

In extremis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem natum ex Maria Virgine & Dei genitrice secundum humanitatem. Propter Photinum, & Theodorum, & Diodorũ, & Nestorium, qui dicunt ipsum hominem, sed virtute & progressu factum esse Deum, non autem esse Deum ex Deo, & propter suam erga homines charitatem factum esse hominem.

Qui duabus in naturis sine confusione, sine mutatione, sine diuisione cognoscitur, nullo modo naturarum differentia sublata propter carnem assumptam, sed vtriusque naturæ seruata proprietate, & in vnam personam atq; vnã hypostasim concurrente. Propter Asterium, & Apolinarium, & Eutychem, qui naturas differentes, nempe verbi & carnis ipsius à sua proprietate recessisse, & vnam factas esse naturam dicunt. Ex quorum opinione sequitur, vt in Christo nec seruetur, quod patibile est, propter impatibilem eius Diuinitatem, nec quod est impatibile, propter patibilem ipsius humanitatem.

TITVLVS DECIMVSSEXTVS

Aduersus Aphthardocitas, qui duces habuerunt Iulianum Alicarnaseum & Gaianum Alexandrinum.

QVI Iuliano Gaianoq; auctoribus Aphthardocitæ appellati sunt, cùm aliis in opinionibus cum Seueri disci pulis conueniant, hoc tantum ab illis dissentiunt, quòd cùm Seueriani differentiam in Christo cõstituant post coniunctionem, Iulianistæ, & Gaianistæ, non solum duarum in Christo naturarum differentiam negant, verũetiam Domini corpus iam inde ab ipsa formatione incorruptibile fuisse opinantur, ex quo sunt cognomen consecuti. Ac Dominum quidem molestias & cruciatus pertulisse dicunt, vt famẽ, & sitim. & lassitudinem, & reliqua, nõ tamen eodem, quo nos, modo, ea pertulisse. Nos enim, inquiũt, naturali necessitate perferimus, Christus autem sponte cuncta sustinuit. Non enim naturæ legibus erat obnoxius. Respondemus, ne nos quidem dicere Christum inuitum molestias & cruciatus pertulisse, sed sponte & voluntate naturæ legibus inseruisse, quemadmodum & nos. Nam Beatus quidem Athanasius exponens illud. Nunc aũt anima mea turbata est. Nunc, inquit, id est quando voluit. Non enim quòd nõ esset, tanquam esset, dixit, quasi opinione & specie, non autem re ipsa & verè fierent, quæ dicebantur. Natura enim & veritate omnia facta sunt. Theologus item Gregorius, Quoniam, inquit, naturæ tempus tribuit, quando voluit, vt quæ propria sunt, appeteret. Sed admirandus Cyrillus, ipsum carne dicit appetisse, per naturæ leges pertransisse. Et alibi permittit, inquit, corpori & humanitati, vt patiatur, quæ naturæ conueniunt, quo verè se carnem gestasse, & hominem factum esse demonstret, vt scripturæ testantur. Quamobrem si ex diuinorum Patrum sententia eodẽ modo, quo nos, passum dicimus, licet sponte, & quando voluit, quomodo possumus corpus, quod passum est, dicere fuisse incorruptibile, & non potius corruptibile, quemadmodũ & nostra sunt? At illi rursum, sicut inquiunt, post resurrectionem incorruptibile dicitis corpus Christi, & tamen eiusdem essentiæ, qua nos sumus, sic & nos ante resurrectionem ipsum dicimus incorruptibile, & tamen eiusdẽ nobiscum essentiæ. Respondemus, quamuis post resurrectionem ipsum incorruptibile fateamur, non tamen incorruptibile natura dicimus, sed gratia. Quòd si dixerint, est etiam ante resurrectionem gratia incorruptibile. Respondebimus, id non concedi propter illa, quæ dicuntur de Christo. Nã ante resurrectionem dicitur esurisse, & sitisse, & alia pertulisse, quæ cùm pertulerit, quomodo dici queat incorruptibile? Post resurrectionẽ autem nihil tale pertulit. Ex quo facile constat, ipsum ante resurrectionem fuisse corruptibile, post resurrectionem autem incorruptibile. Nam & si post resurrectionem etiam dicitur comedisse, id fecit non propterea quòd esuriret, sed eo consilio, vt discipulis suis ostenderet, se ex mortuis surrexisse, quemadmodum & clauorũ vestigia ipsis dicitur demostrasse. Nos verò nihil eorum, quæ ante resurrectionem passi erimus, habentes resurgemus. At primitiæ nostræ resurrectionis à mortuis Christus, & tamen ipse habuit. Eo nimirum consilio, quod diximus, id factum est. Nec scriptura dicit, eum esuriisse, sed comedisse. Sciendum est autem, eos quædam Patrum afferre testimonia, quæ Christi corpus dicũt incorruptibile, vt Beati etiam Cyrilli, qui dixit, Christi carnem non suscepisse corruptionem. Cùm igitur ea protulerint testimonia, significationes corruptionis sunt distinguendæ, & quæ Christi corpori conueniunt accommodandæ.

Damasceni contra eosdem. Cap. XCII.

COrruptionis nomen duplicem habet significationem. Significat enim humanas has affectiones, famem, sitim, laborem, clauorum ictus, mortem, seu animæ à corpore seiunctionem, & alia eiusdem generis. Qua quidem significatione corpus Domini dicimus corruptibile. Hæc enim omnia sponte suscepit. Significat etiã corruptio perfectam corporis in elementa, ex quibus cõpositum est, dissolutionẽ & interitum. Hanc Domini corpus non est expertum, vt ait Propheta Dauid, Quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctũ tuum videre corruptionem. Priore significatione dicere Christi corpus ante resurrectionem incorruptibile, vt stulti homines Iulianus Gaianusq; sentiunt, impium est. Nam si est incorruptibile, non est eiusdẽ essentiæ, qua nos sumus. Et opinione, non veritate facta sunt, quæ narrat Euangelium, nempe famem, sitim, clauos lateris vulnus, & mortem. Quæ si opinione facta sunt, fictio & simulatio est humanæ salutis mysterium, & opinione, non veritate factus est homo, & opinione non veritate seruati sumus. Sed abeant, qui hæc dicunt, & salute spoliẽtur. Altera verò corruptionis significatione Domini corpus incorruptibile, & ab interitu liberum confitemur, quemadmodum Diuini nobis Patres tradiderunt. Quanquam post resurrectionẽ prior etiam significatione Domini corpus incorruptibile dicimus. Dominus enim per corpus proprium nostro etiã corpori resurrectionem & post hæc incorruptionem largitus est. Ipse resurrectionis, & incorruptionis, & impatibilitatis primitiæ nobis factus est. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, vt Diuus ait Apostolus.

Alterius contra eosdem.

COrruptio ab animæ, morte, siue à peccato proficiscens est animæ pernicies. Corruptio verò à corporis morte, siue à putredine proueniẽs, est pernicies corporis. Quę quidem interitus magis etiam propriè dicitur. Corruptio significat etiam corporeas, seu naturales, & criminis expertes affectiones, vt famem, sitim, laborem, metum, clauorum vulnera, & mortem, & alia multa, quæ antecedunt. Quantum ad primam & secundam pertinet corruptionẽ, Domini corpus dicimus incorruptibile. Neque enim peccatum admisit, neq; corruptum est post animæ seiunctionem. Nam non dabis, inquit, sanctum tuum videre corruptionem. Quantum autem ad tertiã pertinet, & corpus Domini fuit corruptibile. Omnibus enim naturalibus affectionis erat obnoxium. Sed post resurrectionẽ ab hoc etiam genere corruptionis liberum extitit.

TITVLVS DECIMVSSEPTIMVS

Aduersus Theopaschitas, qui filii & Dei Diuinitatem patibilem tradiderunt.

QVANVIS autem hæc Hæresis postea viguerit, antea tamen fuerunt etiam quidam, qui improba illius semina sparserint. Sancti Cyrilli ex ratione ad Alexandrinos habita.

Peperit nobis virgo Emanuelem eiusdem essentiæ cum patre,

patre, quantum pertinet ad Diuinitatem, eiusdem nobiscũ essentiæ, quantũ ad humanitatem. Licet enim proprij corporis affectiones sibi proprias fecerit Deus verbum, & in se transtulerit, ipse in terminis impatibilitatis permansit. Quod si ipsum audieris dicentem, Dedi dorsum meum ad flagella, & genas meas ad alapas, & faciem meam nõ auerti à fœditate sputorum, nihil eum in propria natura passum esse putaueris, sed potius corporis sui verbera sibi attribuisse. Cuius enim proprium est corpus, ei merito quæ corporis sunt omnia præter peccatum ascribi possunt. Quoniam igitur verbum assumpta humanitate diuinitus mansit impatibile, quanuis quæ carnis sunt sibi propria faciens necessario pati dicatur secundum carnem, longe tamen abfuit, vt pateretur, quatenus est Deus. Non cogitant igitur, illi tãquam Deo conseruatum esse, vt non pateretur, tributum tamen ipsi esse, vt pateretur pro nobis carne, quatenus Deus natura existens factus est caro, seu perfectus homo. Quis enim patrem cœlestem alloquitur illis verbis, sacrificium & oblationẽ noluisti, corpus autem perfecisti mihi, Holocaustomata & pro peccato nõ postulasti, Tunc dixi ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam? Qui enim est corporis expers vt Deus, sibi corpus perfectum dicit, vt illud pro nobis offerens, proprio liuore nos omnes curaret, vt ait Propheta.

Eiusdem ex Epistola ad Acacium scripta de emissario.

ID præ significatum est etiã in lege. In Leuitico enim scriptum est, Et accipiet duos hircos, & constituet eos corã Domino iuxta ostium tabernaculi testimonij. Et imponet Aaron super duos hircos sortes, vnam sortem Domino, & vnam emissario. Et adducet Aaron hircum super quem superuenit sors Domini, & faciet pro peccato. Et hircum super quem superuenit sors emissarij, statuet viuentem coram Domino, vt propitietur super eum, vt dimittat eum in emsionem, & dimittet eum in desertum. Et immolabit hircum, qui est pro peccato, qui est pro populo coram Domino, & inferet de sanguine eius interius velum, & faciet sanguinem eius, quemadmodum fecit sanguinem vituli, & asperget sanguinem eius super propitiatorium, in faciem propitiatorij. Et paulo post, Et adducet hircum viuum, & imponet Aaron manus suas super caput hirci viuentis. Age igitur legis vmbra sublata veritatem nudam videamus. Duos quidem hircos offerri iussit, & duas sortes super ipsos imponi. Vt alter quidem Dominus appellaret, alter autẽ emissarius. Hircorum ergo nomina, Dominus, & emissarius. Ambo autem significant vnum & solum filium, & Dominum Iesum Christum, & qua id ratione, explicabimus. Hircus pro peccato immolatus Christi figurã gerit, qui pro peccatis nostris immolatus est, vt scripturæ testantur. Quamobrem & peccatum appellatum dicimus. Nam, vt sapientissimus Paulus ait, eum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, Deus nimirum, & pater. Et nõ dicimus, Christum factum esse peccatorem. Absit. Sed iustum existentem, immo verò ipsam iustitiam pater victimam fecit pro mundi peccatis. Et inter iniquos reputatus est, sententiaq; sustinuit iniquis maximè cõuenientẽ. Impẽdebat enim mortis sententia iis, qui sunt in terra, propter Adami transgresionem, & propter peccatum, quod ab illo vsque ad nos dominabatur. Sed Dei patris verbum mansuetudine atque benignitate multum abundans factũ est caro, id est, homo, & nobis simile, qui sub peccato sumus, & sortem nostram subiit. Nã, vt optimus Paulus ait, Gratia Dei pro omnibus mortem gustauit: Et suam ipsius animam pro omnium vita pretium constituit. Et vnus pro omnibus mortuus est, vt omnes Deo viuant, sanctificati, & viuificati per sanguinem ipsius. Et gratis iustificati per gratiam eius. Sic enim ait Beatus Euangelista Ioannes, sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Nomen igitur hirci immolati Dominus. Et forte illi obtigit, vt immolaretur, eratq; sanctum, & sacrum sacrificium, Christi figuram gerens, qui non pro se, sed pro nobis, vt dixi, mortuus est, & Ecclesiã sanguine proprio sanctificauit. Immolabit enim, inquit, hircum qui est pro peccato, qui est pro populo, coram Domino, & inferet de sanguine eius interius velum, & asperget sanguinem eius in propitiatorium. Ingressus enim est Christus in sancta sanctorum non per sanguinem hircorum, & taurorum, sed per proprium sanguinem æterna redemptione inuenta, & sanctificans, vt dixi verius tabernaculum, id est, Ecclesiam, & omnes, qui in ea sunt. Sic enim scribit. D. Paulus, Quapropter & Iesus, vt proprio sanguine populum sanctificaret, extra portam passus est. Vide rursus Emanuelem mortuum carne, quo mortem & peccatum euerteret. Erat enim apud inferos liber, idest, non peccatis obnoxius, nec nostræ condemnationi. Idq; in altero hirco perspicimus, qui viuus emittitur. Constat enim ipsum, cùm pateretur vt homo, non esse passum vt Deum, cumq; esset mortuus carne, fuisse tamen morte præstantiorem. Neque vt Iudæi suspicabantur, nobiscum in monumento mansisse, aut intra portas inferni, aliorum more captiuum fuisse. Nam, vt eius ait discipulus, non est relicta anima eius inferno, neque caro eius vidit corruptionem, spolians.n. infernum reuixit. Illud animaduerte, cùm prior hircus immolatus sit alterum vbique viuum nominari. Erat enim in vtroq; scriptum, vnus est solus filius, & Dominus Iesus Christus. Vt qui carne sit passus propria, & procul tamen abfuerit, vt pateretur, vt qui mortuus sit, & mortem superarit. Viuebat enim verbum Dei, licet sancta ipsius caro mortem gustarit. Et mansit impatibile, licet id, quod sanctum ipsius corpus, patiebat. sibi propriũ faceret, & ad se ipsum referret. Adducet enim inquit, hircum viuentem, & imponet Aaron manus suas super caput hirci viuentis, & confitebitur omnes iniquitates filiorum Israël, & imponet ipsas super caput hirci viuentis.

Anastasii Monachi Sinaitæ, ex libro qui Viæ dux inscriptus est, Testimonia, quæ proferunt Theodosiani, & quicunque cum illis consentientes filii Diuinitatem conantur esse patibilem demonstrare. Ex quo vocati sunt Theopaschitæ. Et hi quoque sunt pars Monophysitarum, qui vnam tantum in Christo naturam esse contendunt.

Apostoli.

SI enim cognouisset, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.

Sncti Gregorii Antiochiæ Episcopi.

SInite me Domini mei cruciatum & mortem imitari.

Sancti Gregorii Theologi.

PAucæ guttæ sanguinis Dei mundum sanctificarunt vniuersum.

Iulii Romæ Pontificis.

IVDAEI corpus crucifigentes verbum occiderunt.

Sancti Cyrilli aduersus Nestorium.

DEI cruciatus, Dei crux, Dei mors, Dei resurrectio.

Melitonis Sardorum Episcopi.

DEus passus est à dextera Israëlitidis. Obiiciũt & alia multa his similia, ad quæ quidem omnia cõfutãda vnica nobis satis erit responsio. Vide, inquit, Gregorius ille Theologus, ne sanguinem Dei, & cruciatus audiens, vllo modo rationẽ inflectas, neúe vt Dei patronus impie supereris. Nã quia filij & Dei persona facta est etiã assumptę carnis persona, ipse dicit omnia facere, & pati. Atque illa quidem, quæ diuina sunt natura diuina perficere, ea verò, quę sunt humana, & agere & pati natura humana. Et aliter, quoniam vna est duarum Christi naturarum persona. Ipsæ sibi vicissim suas sæpe communicant appellationes propter personæ coniunctionem, & summam ex illa necessitudinem. Quamobrem si quæstio sic exponat, nullum incõmodum consequetur. At si, vt Theopaschitæ opinantur, filius sua ipsius natura diuina passus, & mortuus est, filio mortuo Trinitas ad Dualitatem redacta est. Et Dualitas fuit quousque resurrexit à mortuis. Quis absurdam & agrestem istorum stultitiam non misereatur, qui animã quidem assumptam immortalem, eum verò, qui illã assumpsit mortalem, Angelos immortales, Angelorũ autẽ procreatorem & Dominum mortalem asserant?

His adiicienda sunt ea, quæ Magnus Athanasius in eos dicit, qui Verbum ratione impatibili dicunt esse passum.

ANtequam audiam illud, passus est, cogitationem effugit. Cùm enim adiiciant, ratione impatibili, non sinit consistere passus est. Oratio statum habet instabilem. Si passus est, quomodo ratione impatibili? Si ratione impatibili, quomodo passus est? Magno loquemur clamore, vt insipienter intelligatur. Quis vidit aliquem nõ labentem labi, non surgentem surgere, non laborantem laborare, insipientem sapere, non adiuuantem iuuare, non soluentem soluere, vt illud etiam admittamus impatibili ratione passus est? Quæ stultitiæ magnitudo est? Qui mentis stupor. De mysterio maxime venerando disserentem, verba, quæ magnum moueant risum, pronuntiare? Rationem afferre, quę te rationis expertem indicet? Ita respondere, vt insipientius agas, quam si nihil omnino respondeas? Interpretationem afferre, quæ maiorem pariat dubitationem? Cur nemo sanctorum ad tantam contemplationis sublimitatem ascendit? Cur dicere non potuit verbum illud celebratissimum, impatibili ratione passus es? Paulus, qui tertium in cœlum sublatus, in Paradiso audiuit arcana verba, non dixit, impatibili ratione passus est. Sed didicit, inquit, ex quibus passus est. Et tentantus per omnia, ad similitudinẽ, sine peccato. Dicens per omnia, ad similitudinem, sine peccato tẽtatus, istiusmodi verborum nugas procul remouit. Qui enim per omnia tentatus est ad similitudinem, aut non impatibili ratione passus est, vt seruaret illud, per omnia, ad similitudinem, aut alios etiam impatibili ratione passos ostendit, vt similitudinem cum illis conseruaret. Quapropter aut confiteri oportet seruatorem verè passum esse, aut alios item rõne passos impatibili, quorum ad similitudinem tentatus dicitur. Iam quæ patientiæ demonstratio, si impatibili ratione passus est? Quomodo vocatur patientia Christi, si dolorum sensum non habuit? Quomodo ineffabilis atque incomparabilis eius erga nos ostenditur beneuolentia, si sine dolore cruciatus mortemq; pertulit? Quis non eligat pati non solum pro amicis, verum etiam pro inimicis, si ratione pati licet impatibili? Cur dixit dominus, spiritus quidem promptus est, caro autẽ infirma, si sine dolore cruciatus, & mortem erat subiturus? Cur ad patrem clamauit, Pater, inquiens, si fieri potest, transeat à me calix iste? Cur vota precesq; cũ clamore magno & lacrymis fudit ad eum, qui seruare ipsum poterat à morte? Omnia igitur vera credẽda sunt, & vera mors existimanda. Aut si sine dolore passus dicitur, necesse est, vt figuram, & opinionem, & fictionẽ omnia fuisse existimemus. Quòd si verè passus non est, ne quidem resurrexit. Si mortem non verè gustauit, ne verè quidem mortis aculeos extinxit. Adhuc sumus in peccatis nostris. Adhuc mors omnibus dominatur. Adhuc hæreditatis experte sumus. Nam si mors fictitia, & testamentũ falsum, & hæreditas non vera. Hęc nobis declarat lex. Testamentum, inquit, in mortuis confirmatur. Quare si non est mortuus verè, qui testamẽtum nobis nouum instituit, irrita sunt, quæ testamento continẽtur. Qui scripti sunt hæredes, reiiciuntur. Verùm abeant istæ nugæ, vir bone. Nam & testator verè mortuus est, & testamentum est confirmatum, Et hæreditas credentibus datur, & calumniantibus paratum est supplicium.

Aduersus illos, qui dicunt, passus est, vt ipse voluit.

CVm patibilem non possent naturam ostendere, voluntatem non sunt veriti calumninari. Atque ita cùm de natura ab illis quæritur, respondent de volũtate. Si natura passa est, locum voluntas habeat. Licet enim millies voluntas concedatur, naturæ lex inuerti non potest. Nónne insani hominis est, dicere, passus est, vt ipse voluit? Quis enim sanus ignoret, esse necessarium, vt naturam voluntas sequatur? Non autem vt illa vnam in partem inclinet, hæc autem aliam in partem contendat. Sed potius vt natura propriis in terminis maneat, voluntas autem velit, quod naturæ cõuenit & cõgruens est? Quòd si quis aliud illam habere, aliud hanc velle dixerit, pugnam & bellum introducet, cùm & voluntas ea cupiat, quæ non oportet, & natura suscipiat, quæ non debet. Quod patiendi naturã habet, seu velit, seu nolit, patiendi conditioni obnoxium est. Quòd autem à patiendi conditione natura remotum est, licet aliquis concedat velle, quod tamen fieri nequit, quis tamen ipsum adducet, vt suscipiat id, à quo natura alienum est? Omne animantium genus essentiæ propriæ legẽ seruat inuiolabilem, Et quemadmodum ab initio natum est, ita perpetuo viuit. Et nullo pacto voluntas ordinẽ mutat. Licet millies homo velit habere alas, voluntas tamen illius erit inanis. Natura enim superior est. Itẽ si quod animalium rationẽ carentium velit animam habere ratione præditam, voluntas eius irrideatur, non re expleatur. Præterea cùm omnis natura libera sit, præstantiorq; omni cõtraria voluntate, Dei natura, quæ sola est immutabilis & immortalis, voluntatem contrariam habebit? & succumbet voluntatis necessitati? ò rem admirandam. Ea natura, quæ naturas omnes propriis in terminis conseruat, ipsa ex impatibilitatis terminis ita facile decidit? Et qui res omnes procreauit, ne tantum quidem habet, quantum illis est elargitus? Neque dictum est, passus est Deus. Neque scri-

ptum est, vt voluit. Audiuimus eum fecisse, quæcunque voluit. Passum autem esse, vt voluit, nusquam didicimus. Cur quod incertum est, ad rem incertam probandam afferūt? Hæc dementiæ sunt argumenta, non veritatis testimonia. Passus est Christus Dominus non Diuinitate verbi, sed carne mortali.

Eiusdem aduersus eos, qui dicunt: passus est Deus Verbum carne.

HAec rursum vehemēter à ratione abhorrentia, atq; absurda. Abhorret enim à ratione, dicere, vnum alio pati. Absurdum, est autem dicere verbum esse passum. Quod tamen nudum non sunt ausi pronuntiare. Itaque addiderunt, carne. Sententiam ineptam tanquam turpem faciem fallaci persona contegentes. Si verbum est passum, se ipso passum est. Sin aliud passum est, nihil ad verbum. Dicere autem verbum esse passum carne, nec scriptum est, nec proprium, nec firmum, nec consentaneum. Nec quod patibile est, alio patitur. Nec quod impatibile, per aliud patitur. Nec verbū est carne patibile. Nec caro impatibilis verbo. Sed & caro natura propria patitur, & naturæ verbi proprium est, vt non patiatur. Nam si verbū carne patitur, quid de ipsa carne dicemus. Eam pati verbo, an non pati? Si non patitur, ei donatum est, vt non patiatur. Sin patitur duo patiunt̃. Si quidem, vt ipsi aiunt, verbum carne patitur, & caro patitur verbo. At quomodo, inquient, fortasse, dictum est, Ex quibus Christus secundū carnem? Dic Christum esse passum, & oratio erit consentanea. Nam qui Deum verbum dicit, simplicem naturam significat. Qui verò Christum nominat, duarum indicat naturarum coniunctionem. Atque ita congrue potest dicere, Passus est Christus: Quoniam hoc nomen duo significat, nempe verbum impatibile, & carnem patibilem, quæ mortem gustauit. Qn̄ nec Paulus dixit, Ex quibus nudus Deus: vt declararet id, quod memorauimus, secundum carnem quidem ex Israëlitis, secundum Diuinitatem verò ex patre sempiterno. Non dixit, Ex quibus Deus secū dum carnem. Idem dic etiam, & assentiemur, Christum esse passum secūdum carnem. At si dixeris passus est Deus carne, apertè doceas me, vtrum idem sit, Deus, & caro an aliud, atque aliud. Nam si idem, passus est Deus se ipso. Idē enim esse Deum & carnem asseris. Sin aliud atque aliud, quomodo hoc illo patitur, cùm omnis natura se ipsa non alia essentia patiatur? Homo nō patitur equo, nec anima moritur carne, sed caro quidem soluitur, anima verò separatur. Homo autem mortuus esse dicitur, qui duo significat, animam nimirum & carnem. Et intelligitur mortuus ea parte, quæ mortem suscipit, id est, carne, non autem anima, quæ est immortalis. Cur igitur nemo dicit, Huius, aut illius anima mortua est carne, sed hic, aut ille mortuus est, qui ex anima & corpore constabat? Quoniam etiam post mortem animam indicat immortalem. Nusquam vocem hanc admittit scriptura, at Christum esse passum vbique prædicat apertissimè. Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Si patibilis Christus, Christus passus est pro peccatis nostris secundū scripturas. Crux Christi. Corpus Cristi. Sanguis Christi. Qūo tātam testium nubem pretereūt, nec animaduertūt, sacrum illum sanctorum Patrū cœtum in consilio Nicæno statim post Dei & Patris confessionem subiecisse, Et in vnum Dominum Iesum Christum, deincepsq; pronuntiasse, quæ ad nudam pertinent Diuinitatem, quæq; ad humanitatis assumptæ dispensationem, tanquam nomen hoc solum propriè & conuenienter diuersa complectatur, vt beatus ipse Paulus testatur, nemo inquiens, fundamentū aliud potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Ne relinquamus fundamentum, quod omnia verè suscipit vtraque natura, tum gloriam, tum cruciatum, & mortem. Si Deum solum dixeris, vbi cruciatuum cōstitues necessitatem? Si hominem solum dixeris, vbi incomprehensas gloriæ diuitias collocabis? At Christum dicere conuenit, qui Diuinitate quidem gloria perfruatur, humanitate verò coniuncta cruciatus mortemq; sustineat, & inseparabili cōiunctione omne miraculum perficiat, omne donum fidelibus largiatur. Hoc modo & Diuinitas ostenditur impatibilis, & veri cruciatus atque mors, & commune hominum lucrum, & perspicua veritatis ratio.

TITVLVS DECIMVSOCTAVVS

Aduersus Monotheletas Sergium, Pyrrhum, Paulum Constantinopolis Patriarchas, aliosq; eiusdem generis. Atque istius item hæresis Deo inuisus Seuerus præbuit occasionem. Sancti Maximi. Ex oratione, qua declarat, Patres non dixisse de Christo voluntatum sensu discrepantium quantitatē.

VOLVNTAS naturalis est vis, appetens id, quod naturæ conuenit. Et quæ continet omnes proprietates, quæ per essentiam adsunt naturæ, per quam semper naturæ volenti insitum est, vt velit. Non est autem idē habere volendi vim, & velle. Quemadmodum nec idem est, habere loquendi vim, & loqui. Semper enim adest loquendi vis naturalis, sed non semper loquitur. Nam illud essentiæ est, & est cum ratione naturæ coniunctum. Hoc autem est voluntatis, & est linguę loquentis impressum. Quamobrem naturæ quidem est, habere semper insitam loquendi facultatem, personæ autem hoc, aut illo modo loqui. Quemadmodum & insitam habere volendi vim, & hoc, aut illud velle. Quòd si non idē est, naturalem habere volendi potestatem, & velle, Illud enim, vt diximus, est essentiæ, hoc autem est ipsius volentis consilij, habuit vtique naturalem volendi vim Verbum carnem indutum, vt homo, diuinæ ipsius voluntati consentientem & impressam. Voluntas enim eius, vt Magnus ait Gregorius, non est Deo contraria, cùm tota sit diuina reddita. Talis autem effecta est propter coniunctionem illius, qui ipsam diuinam effecit. Quod autem diuinum fit, & quod diuinum facit, duo planè sunt, & non vnum atq; idem natura. Siquidem id, quod diuinum facit, & quod diuinum efficitur, sunt ex eorum numero, quæ ad aliquid referuntur. Quæ autem sunt eiusmodi, sese mutuo inducūt, & ex vno alterum cogitatur. Et paulo post. Habebat igitur voluntatem naturalem seruator, vt homo, quæ tamen diuinæ ipsius volūtati sic erat impressa, vt ei non repugnaret. Nihil enim naturale aduersatur Deo, cùm ab illo ne sententia quidem discrepet, vbi & personæ distinctio consideratur, siquidem sit secundum naturam. Alioqui opifex ipse accusandus esset, si fecisset aliquid, quod natura secū pugnaret. Qūo autem verbum carne assumpta verè factū

esset homo, si eo, quod naturam vt rõne preditam in primis insignit, careret? Quod.n.cupiendi appetendiq; motu caret, id vitali etiam omni caret facultate. Quod autem vitalem à natura facultatem non habet, id ne animam quidem habet vllam. Nuda igitur carnis assmpta specie, non autem natura carnis mente rationeq; præditæ per personam suscepta, verbum humanæ salutis cõsilium expleuit, si, vt sentit Seuerus, voluntatem naturalem, quatenus est homo, non habet. Nam si, vt homo, naturali verè caruit voluntate, verè perfectus homo non est factum. Quòd si verè perfectus homo factum non est, ne homo quidem. Quæ enim imperfectæ naturæ essentia sit, cuius ne ratio quidem existat? Illud Seuero & discipulis eius propositum fuit, vt per defectum quendam naturalem arcana coniunctione susceptam naturam excluderent, fictamq; Manetis speciem, & Apolinarij confusionem, & Eutychis mutationem duarum in vnam essentiam confirmarent. Memini enim, cùm essem in Cretensium insula, falsos quosdam Episcopos Seueri opinionem defendentes ita mecum disputasse, vt dicerent, nos ideo duas in Christo actiones iuxta Leonis sectionem negare, quoniam voluntates inde consequuntur, ex quibus gemina persona colligitur. Si igitur, vt Seuerus opinatur, ex actionibus voluntates, & ex voluntatibus personæ tanquam res suis ex causis prouenientes colliguntur, & ex persona nimirum voluntas, atque ex voluntate, quemadmodum ipse argumentatur, actio illi congruens colligetur. Eorum enim, quæ inter se vicissim referuntur, mutua est conuersio. Quamobrem si natura mutuus esset inter personas, voluntatesq; respectus, atque cõuersio, Beata illa Diuinitatis vnitas, vt Seuerus docet, tres item voluntates haberet. Sin autem sententia constaret, secum ipsa dissentiret, voluntatibus non conueniens, vt Trinitas personarum. Aut omnino, siquidem vna summæ Trinitatis voluntas est, Diuinitas vnam tantum habet personam, & triplici nomine appellatur.

Ex eadem oratione.

TV qui vnam Christi voluntatem asseris, vir optime, quomodo, & qualem eam dicis esse? Si vt Christi naturalem, eum à patre, & à matre natura seiungis, quippe qui neutri ipsorum per essentiam coniunctus sit. Neuter enim ipsorum natura Christus. Id autem. Si dixeris, nónne periculũ erit, ne plures Deos cõstituas? Quòd si sententia solius erit indicium personæ, voluntatis enim sententia persona describitur & definitur, demonstrabis, eum à patre & spiritu voluntate dissidere & discrepare. Sin solius Diuinitatis ipsius, patibilis erit Diuinitas, & præter naturam potum & cibum appetet. At si humanitatis eius solius, non erit efficax natura, cùm sit humana. Et monstra plane videbuntur esse miracula. Quòd si naturæ vtriusque communem dixeris, quomodo voluntas eorum natura cõmunis erit, quorum est natura diuersa? Sin vt totius compositum, vt nouam & fictam fabulam omittamus, quæ enim potest esse compositio voluntatis? rursus ipsum à patre alienum constituis, cùm voluntate composita solã personam compositam exprimas. Qua quidem ratione omnis plantatio, quam non plantauit pater eradicatur. Noua enim fingi nõ potest agricultura. Sed naturalem in Christo humanitatis volũtatem Seuerus sustulit, vt videt, cùm oĩs naturæ pręsertim rõne prędite maximè proprium & primum esse ignoraret appetendi motum. Quod patres animaduertentes voluntates in Christo natura, non autẽ sententia differentes cõfessi sunt. Nunquam enim in Christo voluntates sñia differentes dixerunt, ne ipsum diuersa sentire, & velle, & rationum seditione secum pugnare, atque ita duplicem habere personam prædicarent. Intelligebant enim hac sola voluntatum, sentẽtia dissidentium, differentia tum peccato in hãc vitam aditum esse patefactũ, tum inimicitias nobis exortas esse cum Deo. Nulla enim alia in re malum consistit, nisi in eo discrimine, quod est inter voluntatem Dei, & voluntatem nostrã. Quo quidẽ contraria prorsus quantitas constituitur, & illius index numerus, qui nobis ostendit voluntatis à Deo discrepantis diuersitatẽ, Idem igitur Nestorio & Seuero ad impietatẽ propositum est, licet ratio diuersa sit. Ille enim dum confusionem vitat, sic effugit vnitatem personę, vt pro differẽtia naturali personæ diuisionem constituat. Hic verò dum diuisionem declinat ita naturæ negat differentiam in personæ coniunctionem vt naturalem efficiat confusionem. Cùm nec confusio in Christo, nec diuisio sed essentia differentium coniunctio, & in persona coniunctorum differentia sit confitenda. Vt & naturarum ratio, & coniunctionis modus pie pronuncietur. Quorum illi vtrunque perfregerunt, dum vnus qualitatum in sententia tantum coniunctionem, alter naturalium tantummodo post coniunctionem differentiam asserit, Atque ita ambo à veritate exciderunt, dum vnus mysterii diuisionem, alter confusionem audacter diiudicat.

Eiusdem pariter ex Epistola ad Nicandrum.

NEque diuinam increatamq; naturam sine essentia, & voluntate, aut actione consideramus, Neque naturam nostram humanam creatamq; sine essentia & voluntate, aut actione cognoscimus. Quòd si harum neutram essentiæ, & voluntatis, & actionis expertem intelligimus, ex his autem naturis, diuinam & humanã dico, & in his, & harum persona, verè est vnus & solus Christus & filius, quomodo si natura propriè Deus, & natura proprie idem est homo, non & diuinam proprie voluntatem atq; actionem, & humanam proprie natura voluntatem atque actionẽ habebat, neutra ipsarum natura carens, per quas & rebus nomina verè demonstrat congruere, & res nominibus, atque ita tum diuina, tũ humana naturaliter habere cognoscitur, & velle & agere, atq; ex hoc & ea, ex quibus, & in quibus, & quæ est, esse creditur? Nam si naturali voluntate, atque essentia, actioneq; careat, quomodo Deus erit, aut homo? Aut quomodo hoc, aut illud esse demonstrabitur, nisi vtriusque naturæ procul ab omni peccato perfectam seruet proprietatem? Quod enim extra naturã est, ab essentia remotum est, nec existit omnino, cùm ne natura quidem moueatur. Quod enim motum nullum habet naturalem, quemadmodum ait Magnus ille diuinis in rebus explicãdis Dionysius, id nec est, nec aliquid est, nec vlla ipsius est omnino positio. Itaque cùm Christi Dei naturas diuinam & humanam confiteamur, quo stabilem earum essentiæ fidem, & nostram de his veram confessionẽ confirmemus, & naturales earum debemus pari numero voluntates asserere, & naturales totidẽ actiones confiteri, & nihil horum propter coniunctionem in persona imminuere, aut omnino negare. Scimus enim coniunctionem hanc naturalibus nihil officere. Cùm ne naturæ quidem desinant esse duæ, licet ea personæ coniunctione in vnum cogantur. Has ergo naturales proprietates mutua coniunctione sic copulat, vt vna sine altera non sit, & sine alterius societate neutram vllo modo cõsiderari permittat, vt celebris Romanorum Papa Leo tradit, nec tamen earum essentiæ naturæq; differentiam obscurat omnino, sed perfectè conseruat. Conseruando enim custodiendoq; conser

conseruatur & custoditur. Eatenus enim est rerum coniūctio, quo ad naturalis earum differētia seruatur. Nam hac cessante cessat & illa planè, per cōfusionem vtique deleta. Itaque cùm hæc coniunctio nihil rebus officiat, nec earū differentię sed nomine tantum ea per se apte copulet, omni profectò ratione in ipsa sunt sine iactura, perfecteq; cōseruantur, q̄ natura diuersa sunt. Nec vllam mutationem, aut cōfusionem in ipsis essentiis, aut volūtatibus, aut actionibus, aut vlla alia re naturali patiuntur. Quomodo igitur propriam isti, temeritatem, (an aliter illam appellem nescio,) ita tegunt atque defendunt, vt verbum hominem factum natura, quantum ad humanitatem pertinet, sine voluntate & sine actione dicant esse tanquam essentia quam ex nobis assumpsit, propriè sine anima, & sine ratione in ipso sit? Quod enim sine actione est, id planè sine motu & sine anima est. Et quod nullam ratione præditam habet voluntatem, id profectò ratione menteq; caret. Quod si verbum carnem indutum his natura, quantum ad nos pertinet, caruit, quomodo erit credibile, ipsum hominem esse factum, ac non potius naturam diuinam mutasse, seq; spōte carnis perturbationibus subiecisse? Iis enim, quæ naturalia sunt, sublatis, hæc in eum omnia Arius & Apolinarius contulerunt. Alter enim eorum animę alter rationis, idest, actionis & voluntatis expertem ipsum tradentes, creatum & factum esse impiè pronuntiarunt. Ambo enim Vnigenitum non carnis, sed Diuinitatis ratione patibilem esse dixerunt, licet Apolinarius magis adhuc impiè perfectam in carnem mutationem, & lapsum, & conuersionem eius Diuinitatis pronunciarit. Quamobrem oportet, vt nos, qui pietatem colimus, eiusmodi confessionem excludentes, sanctorum Patrum doctrinam complectamur, duasq; naturales voluntates, & duas naturales actiones in vno eodemq; Christo confiteamur. Nam si vnam in ipso voluntatem, atque actionem vnam dixerimus, illum aut natura non esse hominem & Deum, sed solum Deum, aut natura solum hominem, non autem Deum, aut nec hominē, nec Deum fatebimur. Nam si naturalis vna voluntas est, ea vel diuina erit omnino, vel humana. Si diuina, verbum per ipsam naturaliter volet, quæ diuina sunt vt se natura Deum tantummodo declaret, non autem hominem, eaq; velle, quæ pater ipsius vult. Neque enim potest per id, quod natura diuinum est, illud, quod natura humanum est, demōstrari. Quemadmodum nec per id, quod natura humanū est, cognosci potest id, quod est natura diuinū. Sin humana, idem incommodum cōsequatur. Quòd si personæ voluntas est, ipsam personam solam designabit. Et nullo pacto per ipsam cum patre & nobiscum coniungetur. Nam per extremorum personam distinguitur & separatur. Idē & de actionibus dicere possumus, nec tamen ob id vnicas Diuinorum Patrum de ipsis actionibus voces negamus, absit, quas vel sanctus & diuinis in rebus explicādis excellentissimus Dionysius, vel sapiens Cyrillus pronuntiauit, quibus diuina simul atque humana actio sic declaratur, vt coniunctam, atque vnam esse appareat. Voces enim ab illis excogitatæ propter coniunctionem & mutuam naturalium actionum inter ipsas omnino copulationem, sunt piæ & comprobandæ. Quemadmodum & illæ, quæ geminas declarant actiones propter differentiam in essentia naturaq; consistentem. Vox enim illa, Theandrica, à Doctore Dionysio composita est, quæ diuinam humanamq; significat, vt vnica pronunciatione duplicem naturæ duplicis actionem indicaret. Sapiens rursum Cyrillus vnam cōiunctamq; dixit actionem, vt cognatam naturalium actionum copulationem doceret. Nam cùm vellet hic vir laudatissimus, & carnem factam esse Deum, & naturalem ipsius actionem, propter coniunctionem, quam habet cum verbo, quod est natura Deus, diuinam factam ostendere, & quæ vires humanas superant, efficere, cùm tamen id esse non desineret, quod erat natura, Itemq; verbum ipsum carnis assumptione, qua propter nos sponte factum est homo, ea quæ sunt hominis agere, cùm tamen esset natura Deus, declarauit ipsum non omnipotenti solum mandato sanitatem & vitam elargiri vt purum ac nudū Deum, sed sanctam quoque ipsius carnem tanquam sociam adhibitā ad ea perficienda, vt per ipsam, & per tactum, & vocem ipsius sanitatem & vitam elargiretur, quo & ipsam posse vitam sanitatemq; tribuere, propterea quòd vnum cum verbo facta esset per coniunctionem, verbiq; rebus omnibus vitam natura largientis & non alterius carnem esse cōstaret. Iccirco vnam verbi sanctæq; ipsius carnis & coniūctam vtriusque actionem dicit, vnam propter vnionem, coniunctam propter partes, vt quæ ipsius sit, tum in mandato omnipotenti, tum etiam attactu sanctæ carnis. Vtroque enim modo Deus verbum eam præstitit, vt per carnē etiam vitam tribuendo, ipsam quoque plane viuificam esse factam demonstraret. Quemadmodum & ignis per ferrum comburens coniunctione sua cum ferro facit, vt ferrum quoque vim habet comburendi, vt iam non ignis tātum natura sua, sed ferrum etiam coniunctione comburat. Diuinam igitur verbi in miraculis peragendis, actionem, non verbi solum ipsius natura esse patet, sed etiam sanctæ illius carnis propter cōiunctionem in persona, qua sociam in diuinis adhibuit, vt Doctor ait, quēadmodum & anima corpus adhibet propriis operibus explendis. Quamobrē vna, vt Cyrillus ait, cōiunctaq; vtriusq; actio, quæ demonstrata est, non aliter, quam illa Dionysij Theandrica naturalium actionum indicans copulationem, diuersam; & geminam earum rationē propriè demonstrat. Sic enim vnum, & solum cognoscitur verbum carnem indutum, cùm ad ambas partes, ex quibus, & in quibus est, refertur, & actio ipsa per mandatum omnipotens & sanctę carnis attactum declaratur. Neque verò verbum illud, coniuncta, carpendum est tāquam nouum, cùm à sanctis patribus de iis, quæ eiusdem, atque diuersæ sunt essentiæ dicatur. Testis sit Gregorius ille Theologus & magnus, qui in Cæsarij fratris Laudatione de anima loquitur ad hunc modum, Paulo post autem & cognatam carnē assumens, qua inde illa philosophatus est. Hic non naturæ, sed coniūctionis habita ratione carnem animę cognatam magister appellauit. Idem rursus in oratione, quam habuit in Lumina, de Vnigenito disserens, & cognati, inquit, spiritus testimonio comprobatus. Quo quidē loco cognatum dixit, non coniunctionis habita ratione, sed naturæ. At sapiens ipse Cyrillus sine vllo discrimine cognatum accipit in iis etiam, quæ essentia personaq; differunt. Et Ioannem Euāgelistam exponens ita loquitur. Quæ ad diuinum Baptismum pertinet ministratio cognatam habet rationem cū vtroq; eorū, quæ demonstrata sunt. spiritu. n. sanctum reddit hominis spiritum, aqua aūt corpus. Quæ verò & qualis cognatio sit Spiritus sancti & aquæ, quātum ad essentiam personamúe pertinet, si cum corpore nostro comparetur?

Eiusdem ex Epistola ad Nicandrū Cypri Epm, & ad præfectos eorū, qui solitariam in Sicilia vitā degunt.

EVndem natura Deum hominemq; non aliunde cognoscimus, nisi ex insitis proprietatib⁹, quibus Deus & homo declaratur, ex diuina nimirum, vt dixi volūtate actioneq;, & ex humana voluntate atq; actione, qui-

bus & quod erat, & quod factus est, indicauit, tum res admirandas & vim humanam superantes edendo, tum propter nos, vt homo, sponte patiendo. Neq;.n.aliud ab iis, ex quibus, & in quibus erat, diuersum esse cognoscitur, tanq̃ adulterinum, & medium, aut tertium quiddã, quales sunt mali, vt cõmentitia futilium hæreticorum doctrina à pia sanctorum patrum prædicatione discedens cõfingit, sed illa ipsa verè & propriè existit, ex quibus & in quibus verè & propriè est. Ex Diuinitate enim atque humanitate, & in Diuinitate atque humanitate secundum naturam existens Christus est natura Deus atque homo, & aliud nihil. At qũo inquiunt, sapiens ipse Cyrillus medium quendam in Christo verborum ordinem vr̃ approbare, sic ad Acacium scribens, Verba quędã maximè Deo conueniũt, quędam aũt medium quendam ordinem retinent. Sed q̃d hoc satis affert auxilij ad propriam ipsorum opinioñe defendendam? Neq;.n.ex mutatione extremorum aut abiectione.i. Diuinitatis Christi & humanitatis, aut diuinæ ipsius & humanæ volũtatis atq; actionis medium quiddam diuersum, aut interiectum, aut naturæ alteri ab illis, in quibus est, alienæ commune, aut rursum actionem aliquam compositam in his tradit nobis pręceptor, sed ipsum propriè illa esse, ex quibus est, neque diuisim hæc nominatur, sed simul & in ipso vtrũque horum, vtpote qui vnus & solus sit Christus. Et hæc ipsemet testatur, dum orientales Episcopos defendit, sic ad Acacium scribens, Fratres autem Antiocheni nullo modo diuidunt, quæ cõiuncta sunt, sed verba solum, quæ ad Dominum pertinent ita putant esse distinguenda, vt partim Diuinitati conueniant, partim humanitati, Deus enim est idem atque homo, partim quodammodo communia sint, & Diuinitati simul humanitatiq; congruant. Quædam enim Diuinitatis sunt propria, quædam humanitatis, quædam medium ordinem obtinent, quibus Dei filius idem simul esse Deus & homo declaratur. Ostendit igitur nobis præceptor medium esse verborum ordinem, quæ non diuersum esse Christum significent ab iis, ex quibus, & in quibus, & quæ est, vt quidam opinati sunt, sed eundem natura Deum simul atque hominem esse declarent. Et ad hæc confirmanda diuinæ scripturę vtitur testimonio. Sic.n. Dñs Philippum alloquit, Tanto tẽpore vobiscum sum, & nondum cognouisti me, Philippe? Non credis, me esse in patre, & patrem in me? Qui vidit me, patrem vidit. Et ego & pater vnum sumus. Quę quidem vox Deo maximè conuenit. At qñ populum arguit Iudæorum, si filij, inquiens, essetis Abraham, opera Abraham faceretis, nunc aũt quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum. Hoc Abraham non fecit. Quæ quidem verba homini dicimus cõgruere. Vnius aũt filij verba Deo simul atque homini congruẽtia & media esse illa dicimus, cùm Beatus Paulus ait, Iesus Christus heri, & hodie, idem & in secula. Itemq;: Vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos ex ipso. Et vnus Dominus Iesus Christus, per quẽ omnia, & nos per ipsum. Et alibi, Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus bñdictus in secula. Amen. Ecce enim Christum Iesum nominans, heri atque hodie dicit esse, & in secula, & per ipsum facta esse omnia, & quã tum ad carnem pertinet ex Iudæis, & super omnes appellat Deum, eumq; benedictum in secula. Amen. Ne igitur in his diuiseris verba, quæ de Domino dicta sunt. Habent enim in eodem, quod & Deo, & homini conueniat, imò verò quod vni filio, nempe Deo verbo carnem induto. His spiritus oraculis etiam ipsa verba media nobis ostendit Magister nihil aliud in Christo significare, nisi Diuinitatem in ipso atque humanitatem. Quamobrem & hæc sine diuisione ipsi tribuenda esse demonstrat, vt qui sit idẽ natura Deus atque homo, & nihil aliud omnino, quemadmodum dixi.

Eiusdem ex oratione, qua duas in Christo voluntates esse probat.

SI Diuinitas & Humanitas natura diuersæ non sunt, sequitur, vt idem natura sint, & ex hoc colligitur necessario, vnam esse naturam, eamq; incõmutabilem. Cuius enim naturalis voluntatum diuersitas non est, eius ne naturæ quidem omnino, aut essentiæ diuersitas est. Sin Diuinitas & Humanitas diuersæ sunt, differunt planè. Quòd si differunt, earum in quãtitate numerum necesse est confiteri. Hoc.n.negato tollitur natura rerum differentium. Qũo enim, aut quam ob causam, nisi numerentur, voluntates esse queant? Quãuis.n.per coniunctionem cũ Deo diuina fiat, quemadmodum & caro anima menteq; prædita, non tñ essentiæ suæ rationem amittit. Vt ferrũ ipsum non excidit à natura sua, licet totum cum igne commisceatur & coniungatur. Sed ea, quæ sunt ignis (quãdoquidem ignis euasit propter coniunctionem) ita patitur, vt & graue natura sit, & incidat, quia naturæ propriæ iacturam nõ fecit, nec ab actione decidit sua, quãuis cum igne existat per vnam & eandem hypostasim. Et sine vlla disiunctione facit tum ea, quæ naturæ propriæ cõueniunt, vt incisionem, tum ea, quæ pertinent ad coniunctionem, qualis est combustio, quæ ipsius effecta est. Quẽadmodum & incisionem nactus est ignis, propter mutuam ipsorum cõmunicationem. Neq; tñ prohibemur ferri naturã, propterea ꝙ cum igne coniunctum sit, vocare, aut numerare, neque naturalem actionem, licet cum combustione cernatur, nec vllam habet cum illa disiunctionem, sed simul cũ ipsa & in ipsa perspicitur, & consideratur. Quæ igitur ratio sit quamobrem voluntas, quæ naturæ naturaliter adest, numerari non debeat, præsertim cùm id, quod secundum nos imperfectum est, perfectißimo Deo verbo carnem induto tribuamus, quod voluntate patris, & opera Spiritus sancti propter salutem nostram indiuisibili cõiunctione particeps factum est eorum, quæ naturæ sunt, quemadmodum & ipsius omnino naturæ, excepto peccato solo, quod tamen non est naturæ, sed essentiæ à naturæ ratione & lege recedentis & prolabentis? Et mihi iure potißimum huius rei causa Monachus ille videtur à naturali voluntate sententiæ propositum distinxisse. Ea enim ex bona ipsius definitione vis est appetens id, quod est secundum naturam. Res enim omnes, & illæ præcipuè, quæ ratione sunt præditæ naturaliter appetunt id, quod est secundum naturam, & hanc habent à Deo facultatem, quo se conseruent. Nam si id, quod secundum naturam est, non appetunt, quomodo appetent id, quod nullo modo est, quodq; nullam omnino habet essentiam, aut motum. Solum enim infirmum & imbecillum id, quod non est, & essentia caret, & eius nulla omnino vis est, aut motus inter res. Hoc autem constituit libera appetitio, habens in alterutram partem propensiones, nec naturam constituit, sed personam propriè, atque hypostasim. Quod quidem animaduertens diuisor, & hominis adorator Nestorius sententiarum vnionem impiè tradidit, vt earum vtraque personam vtranque constitueret, & nudum hominem seruaret, qui, vt ipse ait, sententia quadam & libera motione cum Deo verbo coniungeretur, ex quo & eandem, & multiplicem, vt magis propriè dicam, constituit voluntatem, quatenus per singulos motus paulatim

ex

ex imperfectis ad perfecta progreditur & proficit. Quamobrem vt & naturæ perfectionem in Deo carnem induto prædictus Monachus confirmaret, & contrarium reiiceret, naturæ quidem in ipso voluntatem posuit, sententiæ non admisit, ne aut diuisioni locum concederet, ex quo seditio in ipso consurgeret, aut opinioni, qua ea in ipso non esse putaretur. Quòd si quis fieri posse neget, vt duæ voluntates dicantur, nisi contrariæ sint, is si contrarias ita dicit, vt natura differentes intelligat, assentio. Sin oppositas, & aduersantes asserit, falsa est ipsius oratio. Nō enim quicquid differt, id etiam oppositum est, et aduersatur, Quod enim oppositum est & aduersatur, id ita est, propter sententiæ diuersitatem. Quod autem differt, id naturæ ratione motæ opus constituit. Et hoc naturam cōstituit, illud seditionem. Essentiæ igitur differentia ad rerū, quæ sunt in natura, constitutionem pertinet, non tamen eas dissoluit. Natura.n. naturæ non aduersatur, neque ratio est vlla dissensionis. Alioquin si duæ volūtates omnino contrariæ atque oppositæ, cur in iis, quæ cùm ratione prędita sint, natura personaq; disiuncta sunt, non id omnino semperq; significant? Consentimus enim aliquando iis, cùm aliquid sentiunt, & Deo, & Angelis, & inter nos. Quòd si in his hoc cernitur, & nulla omnino dissensio, cùm tamen & essentia & numero voluntates suam habentes sententiā conseruentur, propter beneuolam in habitu affectionem, cur in vno eodemque Deo verbo carnem induto, & quod perfectè propter nos hominem assumpsit, in voluntatibus, quæ naturaliter ipsi per essentiam adsunt, contraria erit oppositio? aut cur eas dicunt esse contrarias, an propter ipsum numerum, aut quia sunt? Id si ita est, carnis etiam naturam auferant, rationi aduersantem propter essentiam. Multo enim ad oppositionem vehementius est subiectum, eo, quod est in subiecto. Sin propter solum numerum, numero naturas etiam spolient, & nullam earum enumerent. Eademque de causa vitēt eum etiam in tribus personis vnius & principio carentis diuinitatis, ne ipsa quoque secum dissentiat. Sed absurdum omnino est, ei, quod nihil planè sit, non essentia, non qualitas, non denique quicquam eorum, quæ sunt, tantam vim tribuere. Absurdius autem & ipsam naturalis voluntatis essentiam accusare, atque inde interitum eius parare, præsertim cùm inter alias naturales proprietates & motiones antecellat insita hæc vis. Per hanc enim solam & esse, & viuere, & moueri, & loqui, & sentire, & cibum, somnum, quietemq; capere, & non dolere, nec mori, & omnes denique habitus, quibus natura constituitur, & priuationes eorum, quibus ipsa læditur, perfectè habere cupimus. Et in hoc mihi videtur rectè Monachus fecisse, qui illud addiderit. Quæ complectitur omnes proprietates, quæ naturæ per essentiam adsunt. Omnes.n. semper complectitē voluntas nobis insita, complectiq; cupit, & earum nulla carere. Immo verò nos per voluntatem ipsam, & secundum ipsam id cupimus. Arbitror autē ex oratione de eo, quod quantum est, non autem duntaxat videtur, habita, omnino colligi, Deum hominem factum, habere etiam voluntatem humanam, quatenus est homo, & eorum, quę numerata sunt, singula per ipsam voluisse naturaliter, quo carnem à se susceptam, animatam esse, mēteq; ac ratione præditam confirmaret. Siquidem homo perfectus factus est, eiq; nihl eorum, quæ nobis adsunt, defuit, præter peccatum, & habuit omnia, quæ nos habemus, sine vlla exceptione, quibus essentia nostra naturaliter constituitur. Quemadmodum & quæ ad naturam principij expertem ac diuinam, quibus se ipsum hominē simul ac Deum esse propriè declarauit, seq; post coniunctionem & nobiscum & cum patre necessitudinem conseruare. Neque.n. satis est, demonstrare, eū solo mortis tempore salutiferæ, cùm re ipsa naturam nostram exprimens mortem vt homo deprecaretur, se duas habere voluntates ostendisse. Qūo.n. & quam ob causam in hoc solo tēpore, & non antea quoque? Nam si tunc habuit, & ab initio habuit, ex quo factus est homo, non autem postea consecutus est. Quòd si ab initio non habuit, ne mortis quidem tempore habuit, sed deprecationem tantummodo præ se tulit, & simulauit, & reliqua item, per quæ seruati sumus, vt lacrimas, & preces, & mœrorem, & crucem, & mortem ipsam, ac sepulturā. Vno enim eorum, quæ in ipso naturaliter sunt, ablato, ne cætera quidem consistent. Qūo enim, aut cur vnum sit, reliqua autem non? Quid porrò contrarium est, si deprecatur, & naturalem carnis infirmitatem per correptionē ostendit, ita tamen, vt non planè repugnet, sed dicat, si fieri potest, & non quod ego volo, sed quod tu, quo fortem aduersus mortem animi motum declaret? Re ipsa enim in se naturæ nostræ conditionem expresit per breuem angorem, vt eo quoque nos liberaret, & propriæ carnis naturam testaretur, dispensationemq; ab omni simulationis suspicione remotam efficeret. statim autem maximum aduersus mortem robur, & summam humanitatis cū sua patrisq; sui voluntate coniunctionem & consensum declarauit, non tamen mea, inquiens, sed tua voluntas, fiat, vt & distractionem simul & confusionem remoueret. Sin quia non videtur alias nisi mortis tēpore significationem voluntatis dedisse, hæc dicunt, id & de insita dicent intelligentia, & mentis ipsum expertem asserent. Neq;.n. constat, eum dixisse, intellexi. Idemq; dici potest de odoratu, deq; reliquis sensibus, & aliis rebus homini naturalibus, de quibus non legimus, eum fecisse mentionem, atque etiam de ipsa anima, de qua non legimus eum mentionem fecisse, nisi paulo ante, q̄ pateretur. Aut igitur eam seiunctā asserent, quoniam haud ita sæpe, nec ab initio de illa mentionem fecit, Aut vna cum Magno Athanasio, carnem statim Dei verbi animæ ratione prædita participem fuisse confitentes, humanam item seruatoris voluntatem non tempore mortis tantum extitisse concedent, licet ab initio de illa mentio facta non sit, cùm ipsi vt homini naturaliter affuerit. Admiror præterea, cur vnam in Christo tantum actionem tradant, habita, vt ipsi dicunt, indiuidui, ad qđ refertur, ratione. Atque vt illud omittam, quòd nihil eorum, quæ naturalia sunt, ad indiuiduum primo refertur, sed ad eius naturam & essentiam, quæro, vtrum id agant, vt naturales ab illo actiones auferant, an alio concilio? Si enim vt illas tollant, qūo vnquam, aut qualis erit, illis sublatis actio? Sicut enim si naturæ non sint, nec quod ex illis consurgit, existit persona composita, ita nisi naturales sint actiones, nec alia quidem vlla existat. Neque verò id dico, quòd alia ex naturalibus actio consistat, nulla enim eorum, quæ in subiecto sunt, est compositio, cùm ne per se quidem existant vllo modo. Sed vt iis temere concessis, videant, qui fieri posit, vt existat id, quod nullo pacto est, cùm eas, quę natura propriè sunt, esse negent. Quis.n. personæ dixit actionem? aut vnde id, & à quibus acceperūt? vt ipsi quoque illud dicerent. Sin hoc forte demonstrant, & personam compositam confitentur, ad quam referat, & quæ suscipiat ea, quæ contraria sunt & opposita, vtpote mortalis & immortalis, visibilis & inuisibilis, circūscripta & incircūscripta, principio carens & habens principium, consentaneum erit, vt actio quoque sit eiusmodi, nempe per habitum & priuationem. Et alia quidem illi contin-

gent, vt quæ ſint, alia autem non contingent, vt quæ non ſint. Quomodo autem & quod talem habet actionem ſecundum idem, non autem ſecundum aliud atque aliud, quando ne illa quidem ſit alia atque alia, non eiuſmodi patietur, Neceſſe enim eſt, vt & agens actioni congruat, & actio agenti. At quomodo Deus ſit is, qui habitu, non autem natura eſt Deus? Quomodo rurſus homo, qui priuatione, non autem eſſentia propriè ſit homo? Quæ porro natura ſit illa, quæ nihil agat, aut quæ naturali careat actione? ſicut enim nullo modo eſt expers eſſentiæ, ita nec naturalis poteſtatis. Hac enim ſi careat, & eſſentia careat omnino. Quod enim nullam habet poteſtatem, quodq́; nihil efficit, id ſolum non eſt. Quicquid enim eſt, propriam habet differentiam, motionem illam inſitam, quæ cum genere ſumpta ſubiecti parit definitionem, per quam & eſſe, & quid ſit, propriè cognoſcitur, cùm & ſimilitudinem habeat cum iis, quæ eiuſdem ſunt generis, & differentiam cũ iis, quæ diuerſi. Quæ cùm ita ſint, qui fieri poteſt, vt aut naturali careat poteſtate verbum hominem indutum, quantum ad carnem pertinet, ſi homo perfectus eſt, aut ſi caret, vt homo ſit? Homo enim naturali non vacat actione, quemadmodum nec alia natura propriæ eſt expers actionis. Nam vbi propria actio deeſt, & natura deficit, aut omnes inter ſe idem ſunt & pro omnibus vna, quæ conſiſtentis defectione commiſcentur per totum, & confundũtur. Si enim verbum quatenus eſt homo, non inefficax, atque iners dicunt, inſitam illi nimirum atque humanam actionem concedunt. Qui enim fieri aliter poteſt? Agere enim nequeat ſine actione naturali, quemadmodum nec eſſe poſſit ſine eſſentia atque natura. Verùm ne vnam quidem tantum actionem habere inſitam, qui agit, neceſſe eſt, ſi duplex natura ſit. Vt illud omittam, quòd nec indiuiduum propriè eſt Chriſti perſona compoſita. Neque enim habitum habet ad diuiſionẽ, quæ ex genere ſummo per media mutuaq́; inter ſe genera ad infimam ſpeciẽ deueniat, & in ſe proprium progreſſum circunſcribat. Itaque ſapientiſsimus Cyrillus Chriſti nomen neq; definitionis vim habere dicit, cùm ſpecies non ſit, quæ de multis numero differentibus dicatur, neque alicuius eſſentiam indicare, cùm indiuiduum non ſit, quod ad ſpeciem aut genus referatur, aut ab his, quantum ad eſſentiam pertinet circũſcribatur, ſed perſonam compoſitam, quæ naturalem extremorum diuiſionem in ſe per coniunctionem idem efficiat, atque in vnum concludat, propriarum partium copulatione.

Eiuſdem in illa verba: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte.

SI illud Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix, pauoris vim habens, ſic hominis exiſtimas, vt ſeruatoris eſſe non putes, quòd eius voluntas Deo non aduerſetur, quoniam ex Deo ſit tota, ſed hominis meri, quales nos ſumus. qui Deo in multis reſiſtit, & aduerſatur, vt Diuus ait Gregorius, reliqua illa precationis pars, non quod ego volo, ſed tua voluntas valeat, formidinis, an virtutis? ſummæ coniunctionis, an diſſenſionis vim habere videtur tibi? Nemo profecto, qui ſanus ſit, ea verba timori & repugnãtiæ tribuet, ſed coniunctioni potius perfectę & conſenſioni. Quòd ſi coniunctionis eſt perfectæ atque cõſenſionis, ex quónam ſuſcipit? ex homine, quales nos ſumus, an ex homine, qui ſecundum ſeruatorem intelligitur? At ſi ex homine ſimplici, quales nos ſumus, falſus eſt ſermo præceptoris, quem diximus. Cùm diuinam omnino voluntatẽ non ſequatur ſed ei plerunque repugnet. Nam ſi ſequitur, non repugnat, ſin repugnat, non ſequitur. Alterum enim ab altero vt à contrario tollitur & aufertur. Quòd ſi homini, nõ quales nos ſumus, mero & ſimplici ſed vt ſeruatori tribuis verba illa, Non quod ego volo, ſed tua voluntas valeat, ſummam humanæ voluntatis cum diuina ipſius volũtate paterna, conſenſionem confiteris, & duas volũtates, duasq́; actiones naturales duplicem habentis naturam cõſtituis, cùm tñ earum neutra alteri aduerſetur, licet naturalem in omnibus dñiam habuerit eorũ, ex quibus, & in quibus & quæ erat ipſe ſecundum naturam. At ſi rationibus his victus eo profugeris, vt dicas, neque hominis puri, quales nos ſumus, neque hominis vt ſeruatoris eſſe ea verba, Nõ quod ego volo, ſed per negationem ad vnigeniti principio carentem Diuinitatem referri, quòd præter patrem ipſe propriè aliquid velle non poſsit ergo & quòd noluit, ideſt, calicis deprecatio, ad ipſam principio carentem Diuinitatem neceſſario referetur. Nam ſi negationem eam habere vim dicis, vt tollat, ne aliquid propriè velit, non autem, vt auferat id, quod vult, neque enim in vtroque poni negatio poteſt, vt & tollat, ne aliquid velit vnigenitus propriè præter patrẽ, & auferat id, quod vult, quòd ſi in vtroque poni non poteſt, perſpicuum eſt, ſi eam in eo conſtituis, ne aliquid propriè velit, quo voluntatem facias communis voluntatis, te non ablaturum id, quod vult, nempe calicis deprecationem, ſed relaturum illam ad principio carẽtem Diuinitatem, ad quam per negationem & ipſum velle retuliſti. Quod ſi ita eſt, quanuis vel cogitatio id refugiat, & hic planè erit negatio, Nempe, non quod ego volo, quæ prorſus adimat repugnantiam, & ſeruatoris cum diuina ipſius & paterna voluntate conſenſionem conſtituat. Cùm totum verbum naturam ſuam efficiat, atque ita totam illam diuinam reddat. Itaque cùm propter nos factum eſſet homo ratione homini congruente dicebat ad Deum & patrem, Non quod ego volo, ſed tua volũtas valeat, tanquam quatenus homo voluntatem haberet.

Eiuſdem ex diſputatione habita cum Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano.

CHriſtus, qui natura Deus eſt & homo, voluit ne tanquam Deus atque homo, an tanquam Chriſtus ſolum? Si præcipue tanquam Deus & homo voluit Chriſtus, dupliciter nimirum nõ autem ſingulariter, cùm vnus ipſe ſit, voluit Nam ſi nihil aliud eſt Chriſtus, præter naturas ipſius, ex quibus & in quibus eſt, ſuis vtique viciſſim naturis, vt earum vtraque erat, ipſe vnus exiſtens volebat, & agebat. ſiquidem neutra ipſarum ſine voluntate, actioneq́; eſt. Quod ſi ſuis ipſe Chriſtus naturis viciſsim voluit, atque egit, duæ ſunt autem ipſius naturę, duæ nimirum & naturales eius ſunt voluntates, earumq́; pari item numero naturales ſunt actiones. Quemadmodum enim vnius eiuſdemq́; Chriſti naturarum numerus piè intelligitur ac dicitur, nec Chriſtum diuidit, ſed integram ſeruat in vnitate differentiam naturarum ſic & voluntatum actionumq́; numerus, quæ per eſſentiam naturis adſunt. Vtraque enim, vt dictum eſt, natura volens & agens ſalutem noſtram non diuiſionem inducit (abſit) ſed vtriuſque tãtum oſtendit in coniunctione cuſtodiã & incolumitatem.

Ex eadem diſputatione. Carnem non, vt Pyrrhus dicebat, nutu verbi coniuncti moueri.

TV, qui ita loqueris, Chriſtum diuidis. Nutu enim ipſius mouebatur & Moſes & Dauid, & quicunq; depoſita hominis & carnis proprietate diuinæ actionis

nis participes extiterunt. Nos autem vt omnibus in rebus, sic in hac sanctos Patres secuti, dicimus ipsum rerum omnium Deum sine mutatione factum esse hominem, voluisseq; non modo tanquam Deum, vt ipsius congruebat Diuinitati, verùm etiam tanquam hominem, vt ipsius congruebat humanitati. Si enim quæ ex nihilo facta sunt, non nihili, sed alicuius vim habent, huius autem impetus ex natura propria fertur ad constitutionem cõseruationemq;, & verbum vtique omni præstantius essentia, hominis naturam induens habuit ipsius humanæ naturę propriã vim, cuius propensionem & euitationem voluntate, actioneq; declarauit. Propensionem quidem, dum in iis, quæ sine reprehensione conueniunt humanæ naturæ, ita se gessit, vt ab incredulis Deus esse non putaretur. Euitationem autẽ dum mortis tempore sponte pauorem ad eam subeundã suscepit. Quid igitur absurdi gessit Ecclesia Dei, si vna cum humana ipsius creataq; natura rationes etiam illi vt creatæ insitas, & congruentes, atque perfectas, sine quibus natura consistere non potest, admisit & confessa est?

Ex eadem.

SI ea, quæ in conciliis, & solum dicta sunt, oportet confiteri, nec vnam verbi naturam carnem indutam totius mysterium pietatis amplecti oportet dicere, in cõciliis non pronuntiatam, nisi sic etiam naturis, & earũ proprietatibus voluntates quoque simul cõfitendas sentiatis. Si enim quæ naturaliter Christi naturis adsunt, proprietates ipsarum esse dicitis, naturaliter autem vtrique earum voluntas adest sua, cum aliis vtiq; proprietatibus naturalibus voluntates etiam naturis adesse cogemini confiteri. Alioquin si concilia ob vnius voluntatis vocem & Apolinarium & Arium execrabiles pronũtiarunt, cùm illa vterque ad propriam hæresim confirmandam abuteretur, & alter eorum eo pacto vellet carnem eiusdem esse cum verbo essentiæ demonstrare, alter autem filium essentia diuersum à patre conaretur ostendere, quomodo vos piè sentire potestis, nisi contrarias hæreticis voces confiteamini? Quintum porro concilium, vt reliqua præter eam, omnia sanctorum Athanasij, & Basilij & Gregorij, & quorundã aliorum probatorum Doctorum scripta ad verbum præfinitè comprobarunt, quibus in scriptis duæ reperiuntur voluntates.

Ex eadem.

IN sanctis Euangeliis de Domino scriptum est, Postridie voluit Iesus ire in Galilæam. Ire nimirum voluit, quatenus ibi non erat. Non erat autem humanitate, Diuinitate enim vbique est. Vt homo igitur, non autem vt Deus ire voluit. Et voluntatem habebat, etiam quatenus homo. Et alibi rursum, volo, inquit, vt vbi sum ego, & ipsi sint. Si quatenus Deus vult, Christus locum omnem superat, neque.n. in loco est, quatenus Deus. Extra locum autem natura creata esse non potest. Itaque quatenus homo vult, vt vbi est, & ipsi sint, & quatenus homo, voluntatem habebat. Et alibi rursum, Et cùm venisset ad locum, dixit, sitio. Et dederunt ipsi vinum cùm felle mixtum, & cùm gustasset, noluit bibere. Qua parte dicitis, eum sitisse? Si Diuinitate, patibilis erit eius Diuinitas, potum præter naturam appetens. Sin humanitate, qua sitiuit natura, ea nimirum noluit bibere. Et quatenus homo voluntatem habebat. Et alibi ait, Et ambulabat Iesus in Galilæa, nolebat enim in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudęi interficere. Si naturæ carnis est ambulatio non autem Diuinitatis, quæ cum ipsa coniuncta erat in persona certe quatenus homo ipse in Galilæa ambulans nolebat in Iudæa ambulare. Et habebat ipse voluntatem etiam quatenus homo. Et alio rursum in loco legimus, Atque inde discedentes iter fecerunt per Galilæam, & noluit, vt quisquam sciret. Profectionem, vt dictum est, ad humanitatis naturam pertinere omnes confitentur, non autem ad Domini Diuinitatem. Quare si quatenus homo, non autem quatenus Deus iter natura faciebat, & quatenus homo nimirum cum discipulis discedens noluit, vt quisquam sciret, Et voluntatẽ habebat vt homo. Et alibi, Atque inde consurgẽs secessit in fines Tyri & Sidonis & ingressus domum, noluit quenquam scire, & latere, non potuit. Si quatenus Deus Christus erat virtus per se consistens, quatenus homo autem, infirmus erat nam si crucifixus est, inquit D. Apostolus, ex infirmitate viuit autem ex virtute Dei, certe vt homo non autem vt Deus domum ingressus noluit quẽquam scire, & latere non potuit, & voluntatem habebat ipse etiam vt homo. Et alibi, Et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes, vbi uis, vt paremus tibi comedere Pascha? Si Paschatis esus ex iis est, quæ lege continentur, Dñs autem vt homo, non autem vt Deus sub lege factus est, vtiq; quatenus homo voluit Pascha comedere & habuit, etiam vt homo, voluntatem.

Ex eadem.

MAgnus ille Moses in hominis procreatione Deum inducit ita loquẽtem, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quare si diuinæ naturæ imago est homo, natura autem diuina liberæ est voluntatis, & imago, si exemplaris similitudinem seruat, voluntatis est liberæ. Quòd si ita est, & qui natura exẽplar est, factus est etiam natura imago ipse nimirum vtraque natura voluntatem habuit. Antea enim ex Patrum sententia demonstrauimus, voluntatem esse naturalem, & liberã volendi facultatem. Sciendum est tamen, liberam voluntatem aliter in Deo, aliter in Angelis, aliter in hominibus accipi. in Deo enim suprema excellentissimaq; ratione, in Angelis verò, vt cum habitu concurrit electio, nec vllam temporis moram interponit, in hominibus autem, vt temporis spatio habitum pręcedit electio. Nam si volens Adã audiuit, & volens spectauit, & volens comedit, prima vtique patiens in nobis voluntas fuit, hanc autem, vt isti sentiunt, verbum hominem induens non suscepit non factũ est id, quod ego sum, excepto peccato. Quòd si non est factum id, quod ego sum, excepto peccato, ego seruatus non sum. Quod enim assumptum non est, incuratum permansit. Præterea si libera humanæ naturæ voluntas est opus ipsius, hanc autem verbum, vt ipsi dicunt, cùm hominem indueret, simul cum natura per arcanam coniunctionem non suscepit, aut proprium opus tanquam malum despiciens à se illam reiecit, aut illius curationem nobis inuidit, nos quidem perfecta salute spolians, se ipsum autem affectioni declarans obnoxium, qui perfectè seruare aut nollet, aut non posset. Hactenus eum quatenus est homo, voluntatem habere demonstrauimus. Eundem autem, quatenus est Deus, habere voluntatem ita colligemus. Ipse Dominus & Deus noster sola veritas in Euangeliis ita de se loquitur. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt quoties volui cõgregare filios tuos, quemadmodum gallina cõgregat pullos suos sub alas, & noluisti? Nunc relinquitur domus vestra deserta. Perspicuum est autem, hoc illum dixisse, non vt hominem, sed vt Deum, cùm varias sapientis prouidentiæ suæ circa hominem rationes significaret, quibus cum

vellet naturam ab externis erroribus ad se traducere, ipsa noluit. Ea rursum, sicut, inquit, pater suscitat mortuos,& viuificat,sic & filius,quos vult, viuificat. Si aduerbium illud, sicut, comparationem significat, cõparationes autē, fiunt inter eos,qui sunt eiusdem essentiæ, id ad Christum, quatenus homo est, referri non potest. Quamobrem nos docuit seruator,quemadmodum pater,qui Deus est, voluntate mortuos in vitam reuocat,ita se,qui eiusdem est essentiæ cũ patre,eiusdemq; voluntatis, in vitam reuocare, quos vult. Hæc ab Euangelistis,& ab Apostolis, & à Prophetis tradita sunt, quibus nullla maior afferri potest demonstratio,qua constet,Christum habere voluntatem,& quatenus est Deus,& quatenus est homo.

Item ex Epistola ad Nicandrum Episcopum.

QVomodo vnam simpliciter in Christo Deo quidam actionem asserunt? Necesse enim est,vt hæc sit aut partium ipsius, aut eius omnino vt totius Quòd si partium, in vtraque nimirum dissecta diuidetur. Id autem patiens planè dissoluetur, eaq; dissoluet simul, quæ per ipsam coniuncta sunt. Sin totius, contraria suscipiet mortalis & immortalis existens,creata & increata,circunscripta, & incircunscripta. Atque ita per habitum, & priuationem habuisse dicetur Christus actionem propriã, existentem & non existentem, per quam vt naturaliter ex illa agens contraria in eodem, nõ autem aliud atque aliud susceperit. Quo quid magis impium dici potest? Idē etiã de voluntate licet asserere. Præterea quomodo ministram verbũ assumpsit, vt sapiens Cyrillus ait, carnem propriã, quæ naturalem actionem non habuerit. Quod enim actionem non habet, nec motum naturalem, id mortuum est omnino, atque inanimatum. Quo autem pacto rem mortuam ad agendum sociam adhibuit? aut quomodo eam vitæ tribuendæ vim habere demonstrauit, vt ipse rursum Cyrillus docuit,per naturales actiones,vt per tactum,per vocem,per ambulationem, cùm illæ non essent ipsius,aut in ipsa per essentiam? Nam si ipsius per essentiam fuerunt, naturalem vtique caro actionem habuit. Naturalis enim actionis est tum manuum motus,& pedum, tum oris pronunciatio. Quòd si ipsius hæc natura non sunt, eam vitæ tribuendæ potestatem habere seruator nõ demonstrauit.

Eiusdem aduersus illos, qui Christum habere dicunt actionem vnam per dominationem.

PRimùm quidem & vos duas actiones confitemini, vnam quidem superantem, nempe diuinam, alteram autē superatam,id est, humanam. Quod est eorum, quæ cum aliquo conferuntur. Quæ autem sunt eiusmodi, sese mutuo inferunt. Præterea cùm superiorem actionem dicatis, tanquam humana victa auferatur, damnum ipsis affertis. Nam & id,quod superat ex eorũ est numero, quæ patiuntur. Vincitur enim & ipsum ab eo, quod victũ est. Licet enim minus, vincitur tamen. Vt aurum licet argentum atq; æs immixtum superet, vincitur tamen ipsum quoque,licet minus,nempe propter admixtam quantitatem.

Eiusdem aduersus illos, qui dicunt, quemadmodum instrumenti, & eius qui vtitur instrumento vna est actio, sic & Diuinitatis atque humanitatis vnam esse actionem.

SI naturale dicitis instrumentum, eiusdem per vos temporis erit verbum cum carne,aut caro simul cum verbo sempiterna. Quicquid enim instrumento vtitur naturali, eiusdem temporis est cum illo. Quemadmodum est anima cum corpore. Potestis igitur vel naturam diuinam creatam dicere, vel corpus increatum. Quod si instrumentum artis affirmatis, inanimatũ illud introducitis,& separatim consistens, atque seiunctum, & quod non semper mouetur, sed quando artifici visum fuerit, illud in manus sumere, atque vti. Ad hæc dementi Nestorio vos assentiri constabit diuidenti ac distrahēti duas Christi Dei naturas in vnam hypostasim siue personam concurrentes. Aut esse impij Apolinarij discipulos, Christi corpus animæ, ac mentis expers asserentis.

Item aduersus Monotheletas, Damasceni. Caput. LXXVII.

PErfectum Deum confitemur, & perfectum hominē eũdem dicimus,omnia habere, quæ pater habet,nisi quòd non est ingenitus, habere omnia, quæ habuit Adam excepto peccato solo,nempe corpus & animam ratione, menteq; præditam,duas naturis duabus respondentes proprietates naturales duasq; naturales volũtates, diuinam, atque humanam, duas item naturales actiones, diuinam,& humanam. Nam cùm eiusdem sit essentiæ cũ Deo & patre,libera potestate vult & agit,vt Deus,cumq; nobiscum sit eiusdē essentiæ, libera potestate vult & agit, vt homo. Ipsius.n.miracula sunt, ipsius sunt & cruciatus.

Eiusdem. Caput. LXXVIII.

QVoniam duæ sunt Christi naturæ,duas ipsius & naturales voluntates, & naturales actiones dicimus. Et quia duarum eius naturarum est vna persona, vnum & ipsum dicimus, qui & vult & agit naturaliter ex duabus naturis,ex quibus,& in quibus & quæ est Christus Deus noster. Vult autem & agit in vtraque forma cum alterius societate. Quorum enim est vna essentia,eorum est vna item voluntas atque actio. Et quorum est diuersa essentia, eorum est diuersa quoque voluntas & actio. Et è contrario,quorum voluntas,& actio est eadem,eorum & essentia eadem est. Et quorũ diuersa voluntas est & actio, eorum diuersa est etiam essentia. Quamobrem in patre & filio, & Spiritu sancto ex eadem voluntatis actionisq; ratione eādem naturæ rationem colligimus. At in diuina dispensatione ex actionum & voluntatũ differentia, naturarum differentiam agnoscentes, confitemur & voluntatũ & actionum diuersitatem. Quemadmodum enim vnius, eiusdemq; Christi naturarum numerus, si piè intelligatur & pronuntietur, vnum Christum non diuidit, sed naturarum differentiam in vnitate seruat incolumem, sic & numerus voluntatum atque actionum, quæ naturis eius per essentiam adsunt, nam vtraque natura voluit, atque egit salutem nostram, non affert diuisionem (absit) sed earũ ostendit, & solum, etiam in vnitate custodiam & conseruationem. Naturales enim, nõ autem personales dicimus voluntates & actiones. Appello autem volentem, agentemq; potentiam, per quam volentes, agentesque res volunt,atque agunt. Nam si personales ipsas esse concederemus, cogeremur, tres sanctæ Trinitatis personas voluntate, actioneq; diuersas dicere. Vnius enim personæ rationē designat quod personale & gnomicum est. Sciendum.n. est,non esse idem, velle, & aliquo modo velle. Velle enim naturæ est, quemadmodum & videre, omnibus enim adest hominibus. hoc autem, aut illo modo velle non naturę est, sed nostri consilij, atque sententia, quemadmodum &

hoc, aut illo modo videre, bene, aut male. Neque enim omnes homines eodem modo volunt, aut vident. Idem & in actionibus concedemus. Aliquo enim modo velle, aut videre, aut agere, ad volendi, aut videndi, aut agendi rationem vsus pertinet. Adest enim illi soli, qui vtitur, eúq; secernit ab aliis differentia, quæ communiter dicitur.

Ex eodem capite.

SI ad imaginem beatæ, & essentiam superantis diuinitatis factus est homo, Diuina autem natura voluntatis est naturaliter liberæ, & homo nimirum, vt imago ipsius est, voluntatem habet natura liberam. Patres enim liberam vim esse volũtatem definiuerunt. Præterea si omnibus hominibus inest ipsum velle, nec aliis quidẽ inest, aliis non inest, quod autem cõiter in oĩbus perspicitur, naturã designat in subiectis indiuiduis, natura profecto habet homo voluntatem. Ad hæc si natura non suscipit magis, & minus. Omnibus autem pariter inest ipsum velle, & non aliis quidem magis, aliis verò minus, natura vtique homo voluntatem habet. Quare si natura voluntatem habet homo, & Dominus, non solum vt Deus, sed etiam vt homo, habet voluntatem.

Ex eadem capite.

RErum omnium Deus & pater vult'ne vt pater, an vt Deus? At si vt pater, alia ipsius voluntas erit, alia filij. Neque enim pater est filius. Sin vt Deus autem est filius, & Deus est Spiritus sanctus, voluntas vtique naturæ est, ergo naturalis. Præterea, si ex Patrum sententia, quorum voluntas est vna, horum vna est & essentia, si vna voluntas sit Christi Diuinitatis & humanitatis, earum vna erit, & eadem essentia. Ad hæc si ex Patrum sententia naturæ differentia in vna voluntate non perspicitur, necesse est, vt qui vnam in Christo asserunt voluntatem, voluntatum in eo differentiam negent, aut si naturalem asserunt differentiam, vnam negent voluntatem. Profectus quidẽ, vt diuinum narrat Euangeliũ, in partes Tyri & Sydonis, & domum ingressus scire noluit quenquam, & non potuit latere. Si diuina eius voluntas omnia potest, cùm autem latere vellet non potuit, nimirum, vt homo volens, non potuit. Et rursum cùm venisset, inquit, in locum dixit, sitio, & dederunt illi acetum cum felle mixtum, & cùm gustasset, noluit bibere. Si igitur sitiuit, vt Deus & cùm gustasset, noluit bibere, patibilis profecto fuit, etiam vt Deus. Sitis enim, & degustatio sunt affectiones. Quòd si nõ vt Deus, certè vt homo etiam habebat voluntatem, & vt homo sitiebat. Verùm sententia, & electio, si propriè loqui volumus, de Domino dici non potest. Sententia enim post rei ignoratę disquisitionem, & consultationem, seu deliberationem, & iudicium, est ad id, quod iudicatũ est, affectio, quam sequitur electio secernens, & anteponens rem vnã alteri. Dominus autem cùm esset nõ nudus homo, sed etiã Deus, & omnia sciret, consideratione, & inquisitione, & consultatione, & deliberatione nõ indigebat, sed naturaliter ad bonum habebat propensionem, & declinationem à malo. Sic enim ait Esaias, Priusq̃ sciat puer præponere mala, elegit bonum. Quoniam priusq̃ sciat puer bonum, aut malum, dissuadet malitia eligere bonum. Illud enim prius declarat ipsum non quemadmodum nos, quæsiuisse aut consultasse, sed cùm Deus esset, & diuinitus id, quod ex carne est, suppofuisset, hoc est, in persona cum carne coniunctus esset, eo ipso, quòd erat, & sciebat omnia, ex natura bonum habuisse. Naturales enim sunt virtutes & naturaliter, atque ex æquo omnibus insunt, licet non omnes ex æquo agamus ea, quæ naturæ sunt.

Eiusdem ex capite. LXXIX.

QVemadmodum in gladio ignito ignis & ferri naturæ seruantur, & actiones duæ, earumq; perfectiones, nam ferrum quidem vim habet secandi, ignis autem vim vrendi, ac sectio quidem ferri actionis perfectio est, vstio autẽ ignis, earumq; differentia in vsta sectione et in vstione secta seruatur, sic & in Christo, diuinitatis quidem eius diuina, atque omnipotens actio est, humanitatis autem humana. Perfectio verò actionis humanæ quidem, quòd tenuit puellæ manum, & traxit, diuinæ autem, quòd illam in vitam reuocauit. Aliud enim est hoc, & aliud aliud, licet inter se coniuncta sint, ac minimè separata in actione diuina simul atque humana. Si vnam in Christo actionem dixerimus, aut diuina, aut humana, aut neutra erit. Si diuina, eum duntaxat Deum nostræ expertem humanitatis asseremus. Si humana, nudum hominem impiè affirmabimus. Si neque diuina, neque humana, nec Deum nec hominem eiusdem aut cum patre, aut nobiscum essentiæ dicemus. Ex coniunctione enim vnus atque idem in persona factus est, non autem sublata est differentia naturarum. Differentia autem naturarum seruata, & earum actiones conseruabuntur. Natura enim non est expers actionis.

Eiusdem ex capite. LXXXI.

DOmini caro propter verissimam verbi coniunctionem in persona diuinæ actionis diuitias est consecuta, nullo modo excidens ab iis, quæ naturæ suæ sunt propria. Non enim actione sua, sed propter coniunctum verbum, quę diuina sunt, faciebat, cùm verbum per ipsam propriam actionem demonstraret. Vrit enim ignitum ferrum, non tamen ratione naturalis, sed ignis coniũctionem vim illam obtinuit comburendi. Itaq; cùm mortalis esset per se, propter verbi in persona coniunctionem, vitæ tribuendæ habebat potestatem. Similiter & voluntatis diuinitatem dicimus, non quòd naturalis motus esset immutatus, sed quòd esset cum diuina atque omnipotẽti ipsius voluntate coniuncta, effectaq; voluntas Dei hominem induti. Quamobrem cùm vellet, latere non potuit propter ipsam, cùm Deo verbo placeret ostendere verè in se esse humanæ voluntatis infirmitatem. Volens autem, leprosum curauit propter coniunctionem cum diuina voluntate. Sciendum est autem ex eo, quòd natura, voluntasq; diuina reddita est, clarissimè, & apertissimè duas naturas, & duas voluntates declarari. Quemadmodum enim ignitio non mutat igniti naturam in naturam ignis, sed ostendit & id, quod ignitum est, & id quod igniuit, & non vnum, sed duo demonstrat, sic etiam deificatio non vnam efficit naturam compositam, sed duas indicat, & coniunctionem in persona. Quorum, inquit Gregorius ille Theologus, vnum effecit diuinum, alterum diuinum, effectum est. Ex illis verbis, Quorum, & vnum, & alterũ, duo esse demonstrauit.

Eiusdem ex capite. LXXXII.

HAbebat quidem & tanquam Deus, & tanquam homo, voluntatem, sed voluntatem diuinam humana sequebatur, eiq; parebat, nec proprio sensu mouebatur, sed ea volebat, quæ diuina volebat voluntas ipsius.

Nam permittēte diuina volūtate patiebatur, quæ propria illi sunt naturaliter. Ea volente & concedente, mortem deprecabatur, & angebatur. Quando autem voluit diuina voluntas eius, vt humana voluntas mortem eligeret libēs eam suscepit. Neq;.n. vt Deus solum, verūetiam vt homo vltro se ipsum morti obtulit. Quāobrem fiduciā aduersus mortem nobis etiam largitus est. Sic igitur ante cruciatus salutares ait: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, declarans, se tanquam hominem calicem bibiturum. Nō enim vt Deus, sed vt homo vult, vt calix transeat. Hæc naturalis timoris sunt verba. Verùm non mea voluntas fiat, nempe quatenus sum alterius essentiæ, sed tua, idest, mea atque tua, quatenus eiusdem sum tecum essentiæ. Hæc fortitudinis sunt verba. Prius enim anima Domini, vt veri hominis, naturalem infirmitatē experta, sensuq; propter corporis seiunctionem naturali commiseratione commota, deinde ex eius beneplacito diuina rursus voluntate cōfirmata aduersus mortem fiduciam sumit. Cùm enim ipse totus esset Deus cum humanitate sua, & totus homo cum sua Diuinitate, tanquam homo in se ipso, & per se ipsum subiecit humanitatem Deo, & patri, optimam nobis formam exemplumq; tradēs, & obediens factus est patri. Liberè autem noluit diuina, atque humana voluntate. Nam omni naturæ ratione præditę voluntatis libertas insita est. Quid enim illi ratio prosit, nisi ea liberè vtatur? Quare Domini anima liberè mota voluit illa quidem, sed ea tamen liberè, quæ diuina voluntas eius voluit, illam velle. Non enim verbi nutu caro mouebatur. Nam & Moses & omnes sancti nutu diuino mouebantur. Ipse vero cùm vnus esset Deus & homo, tum diuina, tum humana volebat voluntate. Quamobrem non sensu, sed naturali potius vi duæ Domini voluntates differebant. Diuina enim eius voluntas & principij erat expers, & rerum omnium effectrix & consequentem habens potestatem, & impatibilis. Humana autem ipsius voluntas & temporis initium habuit, & affectionibus naturalibus culpa carentibus fuit obnoxia. Et naturaliter quidem non erat omnipotens, vt Dei autem verè etiam secundum naturā erat omnipotēs.

Eiusdem caput. LXXXIII.

BEatus Dionysius Christum noua quadam theandrica actione vsum dicit, quo quidem vocabulo non tollit actiones naturales, sed vnam ex diuina, humanaq; constantem actionem constituit. Sic enim & vnam naturam nouam, quæ ex diuina, atque humana constet, dixerimus. Quorum enim actio vna, horum vna & essentia, vt diuini Patres nostri sentiunt. Sed cùm vellet ostendere nouum, arcanumq; modum, quo naturales Christi actiones patefactæ sunt, propter arcanam rationem, qua Christi naturæ vicissim inter se commeant, congruè consuetudinem etiam eius, quantum ad humanitatem attinet, nouam, & admirabilem appellauit. Neque enim diuisas dicimus actiones, neque naturas separatim agere, sed coniunctim vtranque cum alterius societate agere id, quod est ipsius proprium. Non enim quæ humana sunt, egit humano modo quia nudus homo nō erat. Nec quæ diuina sunt, ratione tantum diuina, quoniam nudus Deus non erat, sed Deus simul, atque homo. Quamobrem sciendum est, nos de Domino nostro Iesu Christo tanquam de duabus naturis aliquando loqui, aliquando autem tanquam de vna persona. Vtrunque tamen eundem sensum habet. Nā duæ naturæ sunt vnus Christus, & vnus Christus est duæ naturæ. Quare idem est, dicere, Christus agit ex vtraque ipsius natura, & vtraq; Christi natura in ipso agit cum alterius societate. Socia igitur est tum diuina natura carni agenti, quoniam diuinæ voluntatis approbatione concedit illi, vt patiatur, & agat, quæ ipsius sunt propria, & quoniam carnis actio planè est salutifera, quod quidem non humanæ actionis est, sed diuinæ, tum caro diuinitati verbi agenti, vel quia per corpus tanquam per instrumentum diuinas perficit actiones, vel quia vnus est, qui agit, diuina simul, atque humana ratione. Scire enim oportet, diuinā eius mentem ita naturales ipsius actiones agere, vt intelligat & cognoscat, se esse Dei mētem, & ab omnibus rebus procreatis adorari, & eorum meminisse quæ egit, & pertulit, dum hic versaretur. Socia est autem verbi diuinitatis agentis, & moderantis, & gubernātis omnia, cùm intelligat, & cognoscat, & moderetur, non tanquam nuda hominis mens, sed vt quæ Deo per personam coniuncta sit, & Dei mens declarata. Hoc igitur significat theandrica actio, cùm Deus homo factus sit, humana etiā ipsius actionem diuinam esse, id est deificatam, & non expertem diuinæ ipsius actionis, itemq; diuinam ipsius actionem humanæ ipsius actionis expertem non esse, sed vtranque simul cum altera spectari. Hæc autem loquendi ratio periphrasis appellatur cùm res duas vna dictione complectimur. Quemadmodum enim vnam dicimus igniti gladij tum incisam vstionem, tum vstam incisionem, cùm tamē alia actio sit incisio & alia vstio, & ab alia atq; alia natura proficiscatur, nempe vstio ab igne, incisio autem à ferro. Sic etiam cùm vnam dicimus theandricam Christi actionem, geminas duarum ipsius naturarum actiones intelligimus, diuinitatis quidem ipsius diuinam, humanitatis autem humanam.

Item aduersus Monotheletas. Ex aliis diuersis Patribus.

QVoniam duæ sunt Christi naturæ, duas etiam ipsius naturales volūtates, & duas naturales actiones dicimus. Vtraque enim ipsius natura & vult & agit. Quod enim ratione prēditum est, id liberam habet volendi agendiq; facultatem. Verùm quoniam vna est naturarum eius persona, vnum etiam ipsum esse dicimus, qui ex vtraq; natura & vult & agit naturaliter. Ac quemadmodum ex eadem fidei ratione vnam & eandem in sancta Trinitate tum voluntatis, tum actionis rationem dicimus, sic & in diuina humanitatis assumptione voluntatis & actionis differentiam ex differentia colligimus naturarum. Quorum enim vna est natura, eorum vna est & voluntas & actio. Et quorum est natura diuersa, eorum & voluntas & actio diuersa est. Voluntates autem & actiones non ad hypostasim, aut personam, sensumúe referimus. Vnam verò in sancta Trinitate voluntatem & actionem dico, ne cogatur dicere tres personas diuersa velle, atque agere. Duplicem autē in diuina humanitatis assumptione, ne diuersas in vno Christo hypostases & personas duas cōfiteamur. Voluntas enim, quæ ad hypostasim, & personā, sensumq; refertur, propria est subiecti indiuidui. Verbum autem & Deus naturam quidem hominis perfectam assumpsit, sed ei ipse persona fuit. At quemadmodum assumpta humanitas sic euasit diuina, vt propriæ naturę non senserit mutationem: Sic eius & voluntas & actio ita euaserunt diuinæ, vt à propriis terminis non recesserint.

Aliud est voluntas, & aliud est deliberatio, & aliud est res, quam aliquid vult, & id, quod vult, & is, qui vult. Voluntas.n. simpliciter est volendi vis. Quæ natura est, & cōmunis. deliberatio autem est talis, & talis voluntas, & ad perso

personam refertur, & singularis est, Res autem quam aliquid vult, est voluntati subiecta. Id verò quod vult, est quod habet volendi facultatem, exempli gratia homo. Is porro, qui vult est aliquis homo singularis, qui aliqua singulari vtitur voluntate.

Voluntas aliquando significat volendi facultatem & dicitur voluntas naturalis & vniuersalis, aliquando autem id, quod volumus, & voluntas sententiæ atque singularis appellatur.

Vna in hominibus voluntas est naturalis, quoniam horum vna item est natura. Multæ autem et diuersæ sententiæ, quoniã multæ sunt etiam variæq; personæ. At in Christo quia diuersæ naturæ sunt diuinitatis & humanitatis ipsius, diuersæ sunt etiam naturales earum voluntates. Verum quia vna est illarum persona, & vnus, qui vult, vna etiam voluntas atque sententia est, cùm illa, quæ præstantior est vincat, & dominetur, humana autem voluntas diuinam sequatur, & ea velit, quæ diuinæ placent voluntati.

Voluntatem in Deo dicimus, sententiam, autem aut electionem non dicimus. Sententia enim est post rei ignoratæ quæstionem, atque iudicium, affectio erga illud, quod iudicatum est, quam sequitur electio, quæ secernit, &, vnum alteri anteponit. Deo autem non est opus, vt consideret, aut inquirat, aut eligat, cùm omnia sciat naturaliter.

Quamobrem nec consulationem in Deo ponimus, licet eum sæpe scriptura humano more consulentem describat. Faciamus enim, inquit, hominem, & siquid aliud eo consilio dictum est, quo significantius tres vnius Diuinitatis personæ declarentur. At in assumpta humanitate natura quidem concedit, vt consultationem, & sententiam dicamus, & electionem, sed tamen hæc item de ipsa haud proprie dicuntur. Nam cùm in persona cum Deo coniuncta sit, rerum ipsa quoque cognitionem omnium est assecuta. Sed naturalem eius voluntatem dicimus. Quòd si Christus aliquando videtur sententia propositum admittere, quantum pertinet ad humanitatem, vt eo loco, volo, mundator & quæ sunt huic similia, non tamen personæ, aut sententiæ in illo voluntatem dicimus, sed dispensationis gratia hæc esse dicta intelligimus, ob eã causam, quam ante commemorauimus.

In animalibus, quæ rationis expertia sunt, appetitum dicimus, non autem voluntatem, aut consilium. Hæc enim statim ab ipso appetitu ad agendum impelluntur sine ratione. Voluntas autem & consilium ratione præditis tantummodo conuenit quippe quæ appetitui potius imperant & dominantur.

Si natura ratione præditus est homo, quod autem natura ratione præditum est, natura liberum habet arbitriũ, quod quidem, vt patres sentiunt, nihil aliud est nisi voluntas, homo natura voluntatem habet.

Si Deus verbum me simul cum iis, quæ mea sunt, suscepit, vt Gregorius ille Theologus ait, & naturalem vtique meam suscepit voluntatem, & meam naturalem actionẽ.

Si omnis homo natura volendi agendiq; vim habet, & Deus verbum vtique, homo natura factus, natura volendi agendiq; vim habuit.

Si Trinitas, quæ eiusdem essentiæ est, vnam habet voluntatem, ea, quæ vnam habent voluntatem, eandem habent essentiam, & diuersas personas. Quamobrem si duæ Christi naturæ, vt dementis isti sentiunt, vnam voluntatẽ habent, eandem habebunt essentiam, & diuersas personas. Atque ita incident in confusionem, nec diuisionem effugient, quã vna natura in personis sibi subiectis habet,

TITVLVS DECIMVSNONVS

Aduersus Imaginum oppugnatores Epitome quædam tum ex actis septimi concilii, tum ex Germani & Nicephori Constantinopolis Patriarcharũ, tum ex Beati Theodori studiotæ scriptis deprompta.

ARCHETYPVM est principium & exẽplar, quod per se constat, & est formę à se desumptæ, deductæq; similitudinis causa.

Imago est exẽplaris similitudo, quæ totam ipsius formam per effigiem expressam in se continet, & essentiæ differentia per materiam tantum discrepat. Exemplaris imitatio, & adumbratio. Artis opus quod ad exemplaris imitationem expressum essentia differt.

Imago dicitur, ꝙ imitetur, & similitudinem exprimat.

Imago naturalis differt ab imagine, quæ arte confecta est. Naturalis enim à causa distat personæ differentia. vt filius à patre, quorum vna natura cùm sit, duæ sunt personę. Contra verò imago arte confecta discrepat ab exemplari non personæ differentia, sed naturæ. Vt imago Christi à Christo. Vna enim est ipsorum persona, sed naturæ duæ. Nam alia est natura materiæ Christi imaginem referentis, alia Christi, quatenus homo est, & quatenus describitur, & exemplar imaginis constituitur. Atque imaginis quidẽ arte confectæ similitudo in specie formáue consistit. Naturalis autem in eadem essentia seu Diuinitate. & in naturali quidem, quoniam vna est filij patrisq; natura, iccirco vna est etiam horum adoratio, non autem duæ propter differentiam personarum. In ea verò, quę ab arte profecta est, quoniam vna est imaginis Christi, & ipsius Christi, persona, ideo vna est ipsorum adoratio, non autem duæ propter differentiam naturarum. Imago enim arte confecta nullam habet propriam personam, sed exemplaris personam gerit, propter quam imago ipsius est. Personam hic accipimus, non quæ simpliciter per se constat, sed essentiam quandam cum proprietatibus, per quas ab aliis differt eiusdem generis. Quamobrem non imago, sed exemplar propriam habet personam.

Imaginis honor in exemplar recidit. & vna est vtriusq; adoratio, quoniam vna est effigies vtriusque.

Quicquid ab arte describitur, eius non natura, sed persona describitur. Et iccirco imago ipsius idem est cũ exẽplari, non natura, sed persona, seu personæ similitudine.

Exemplaris persona imagine expressa, non imaginis materia adoratur, non imaginis essentia, sed forma, quæ in ipsa descripta est.

Cùm quis ad imaginis naturam respicit, non modo Christum, sed ne Christi quidem imaginem vocat id, qđ videt. Est enim lignum fortasse, aut aurum, aut argentum, aut aliqua alia materia. At cùm ad exẽplaris similitudinem imagine expressam respicit, & Christum, & Christi imaginem appellat, Christum quidem æquiuocè, Christi autem ex eo, quod ad aliquid refertur.

Imago relationem habet ad exemplar, & ab eo tanq̃ à causa depẽdet. Itaq; necesse est, vt ex eorum sit, dicaturq; numero, quæ ad aliquid referuntur. Quæ aũt ad aliquid referuntur, ea, quatenus sunt, aliorum dicũtur esse, mutuoq; sese respiciunt. Exẽplar.n. imaginis exemplar est. Et imago est exemplaris imago. Nec quisquam imaginem à nulla re dependentem, rei alicuius imaginem dixerit. Simul enim inducunt sese, vicissimq; considerantur.

Quot nominibus exemplar vocatur, totidem vocatur & imago ipsius. Sed illud quidem vt exemplar, & per se, & propriè, hæc aût vt eius imago, & pp ipsum, & impropriè.

Cùm adoratur imago, adoratur Christus, cuius illa similitudinem gerit, non autem materia, in qua similitudo impressa est, & quemadmodum in speculo persona quodammodo describitur ipsum intuentis, & manet à materia separata, ac siquis propriam in speculo conspicuam velit imaginem osculari, materiæ quidem inhæret, sed imaginẽ osculatur, & ipso recedente, simul etiam auolat imago, qm̃ à speculi materia ipsa persona separatur, eadem ratione qui seruatoris, aut Dei genitricis, aut alicuius sanctorũ imaginem osculatur, licet materiæ inhæreat, imaginẽ non materiam osculatur. Et imagine deleta, propter quam exhibebatur adoratio, materia remanet non amplius adoranda, quippe quæ cõmune cum similitudine nihil habet.

Detur annulus, in quo imago sit regia. Imprimatur in cera, & in pice, & in luto. In his quidem erit signum, idq; nulla ratione differens, licet materiæ diuersæ sint. Cum his enim signum nihil habet commune, sed ab ipsis separatũ, & in annulo manens animo cogitationeq; comprehenditur. Sic & Christi similitudo, quãuis eam materiæ diuersę referant expressam, nihil tamẽ habet commune cum illis, sed in Christi manet persona.

Sacras imagines constituimus, vt eas contemplantes, ipsarum exemplaria nobis videamur intueri, eorumq; nobis tum memoriam renouent, tum desiderium leniant.

Beatæ Trinitati ab Orthodoxis latria tribuitur in spiritu & veritate, sanctis aût imaginibus non latria oĩno, sed adoratio, & deosculatio, & honor. Licet.n. imaginis etiam honor transeat ad exẽplar, latria tñ non debetur venerandis imaginibus, sed soli beatæ Trinitati, ne rebus procreatis & ex materia constantibus latriæ cultum tribuere videamur.

In ipso Christo est adoratio latriæ & naturalis. Vnus.n. est sanctæ Trinitatis per diuinam ipsius naturam. In imagine verò Christi est relatiua & æquiuoca. In ipsa enim adoro Christum, qui quoniam carnẽ induit, imagine exprimitur, quantum ad corporeum eius aspectum attinet, quæ quidem adoratio est relationis atque personæ.

Quemadmodum fides, sic & latria sanctæ tribuitur Trinitati. Quare qui Christi imagini latriæ cultum exhibet, is quaternitatem latria colere deprehenditur, & in sancta Trinitate imaginem collocare, Trinitati enim, vt dictum est, latria debetur.

Si corporis vmbra separari non pôt, cum semper adsit cum corpore, licet nõ videatur, ne imago quidem Christi ab ipso potest seiungi. Sed quẽadmodum vmbra, solis accessu perspicit, sic & imago Christi, materiæ impresione.

Cùm duo circa corpus cõsiderentur, vmbra & imago, vmbra quidem hoĩem obscurius, imago autem clarius refert. Itaq; si id, quod semper est, eo, quod est aliquando: Et id, quod per essentiam est, eo, quod est per priuationem; Et id, quod est clarum, eo, quod est obscurum, præstãtius est: Sanctorum aût vmbræ & sanctæ sunt, & salutiferę, imagines ipsorũ vtiq; sanctiores erũt multo & venerabiliores.

Christus in sua ipsius cernitur imagine, imago autem in ipso consistit.

Imagines non adoramus vt Deos, nec salutis spem in imaginibus positam & collocatam habemus, nec gẽtium more diuinum illis honorem tribuimus, sed eas venerantes animi nostri affectionem & charitatem erga exemplaria demonstramus. Id ex eo colligi potest, ꝙ imagine è ligno, quod eam aliquando gerebat deleta, lignum ipsum vt inutile in ignem coniicimus.

Cùm crucis signum duobus è lignis cõficiamus, qm̃ nos infidelium aliquis reprehendit, ꝙ lignum adoremus, ligna separantes, & crucis signum dissoluentes, ea possumus vt ligna inutilia demonstrare, atq; ita os infidelium ipsorum destruere, cùm crucis signum, nõ aût lignum veneremur.

Cum timore & veritate sanctæ imagines sunt adeundæ & adorandæ. Et credendum est, diuinam gratiam sanctitatis largitricem assiduam in illis esse.

Quemadmodum cùm sancta Trinitas natura sit inseparabilis, filio carnem induto, nemo patrẽ & spiritum carnem dixerit induisse, ita Diuinitate per personam filij humanitati coniuncta, & indiuisibili permanente, quãuis humanitas eius circũscribatur, & exprimatur imagine, non tñ iccirco Diuinitas etiam ipsius circunscribi & imagine exprimi pôt. Illic.n. coniunctio naturalis non confundit personas. Hic aût vnio per personã naturas è propriis terminis non excludit. Diuinitatis.n. terminus est, vt sub aspectum non cadat, nec circũscribatur, humanitatis autem, vt & perspici posit & circunscribi.

Si, quia Christus crucifixus est carne, Diuinitatẽ simul etiam passam esse dicere impium est, impium item est dicere, Diuinitatem circunscribi, qm̃ ipse carne circũscribitur. Illud.n. illi sentiunt hæretici, qui Deum patibilem asserunt, & propterea vocantur Theopaschitæ. Hoc aût sentiunt imaginem oppugnatores, qui Iconomachi noĩant.

Magna atque incredibili erga Christum beneuolentia adducti veneramur & adoramus etiã loca, in quibus ipse ambulauit, & sedit. Non tamen ea loca simpliciter adorãtes, sed per ipsa, eum, qui in ipsis versatus est. Atque ita per loca honorem ipsi tribuimus.

Damasceni. *Caput.* XXV.

VErùm, qm̃ quidam nobis vitio vertunt, quòd Seruatoris, & Dominæ nostræ, & reliquorum sanctorum, & Christi seruorum imagines adoremus & colamus, audiant, Deum à principio fecisse hominem ad imaginem. Cur.n. eos adoramus, nisi quia facti sunt ad imaginem Dei? Honor.n. imaginis, vt inquit Magnus ille & diuinis in rebus explicandis excellentissimus Basilius, transit ad exemplar. Et populus Mosaicus tabernaculum, quod cœlestium, immo verò totius orbis imaginem & formam gerebat, in circuitu adorabat. Deus quidem ad Mosem, vide, inquit, vt omnia facias secundum exemplar, qđ tibi in monte monstratum est. Et Seraphim obumbrantia propitiatorium nónne erant opera manuum hominum? Quid celebratissimum illud Hierosolymorum templum nónne hominum opera, & manu cõstructum est? Diuina scriptura detestatur eos, qui adorant sculptilia, & qui Dæmoniis sacrificant. Sacrificabant enim & Græci & Iudæi. Sed Græci Dæmoniis, Iudæi autem Deo. Et Græcorum quidem sacrificia detestabilia, Iudæorum aût grata Deo. Sacrificauit enim Noë, & odoratus est Deus odorem suauitatis, bonitatis propositum, & amoris erga se suauitatem suscipiens. At Græcorum sculptilia, quia Dæmonibus confecta sunt, ideo reiiciuntur & improbantur. Præterea Dei, qui nec cernitur & corporis expers est, & circunscribi non potest, & figura caret, quis similitudinem queat exprimere? Dæmentiæ igitur summa, atque impietatis est, Dei formam describere. Quamobrem in veteri testamento imaginũ vsus non erat frequens. Sed posteaq; Deus per viscera misericordiæ suæ verè factus est homo propter salutem nostram, neque enim vt apparuit Abraham, sic in hominis forma visus est, neque vt sese Prophetis conspicuum præbuit, sed secundum essentiam

verè

verè factus est homo, & in terra moratus est, & cùm hominibus est versatus, & res admirãdas gessit, passus est, crucifixus est, surrexit, assumptus est, & hæc omnia verè facta sunt, & ab hominibus fuerunt perspecta, & ad memoriam nostram, & doctrinam eorum, qui tunc non affuerunt, omnia literarum monumentis consignata, vt nos ea, quæ non vidimus, audientes & credentes Domini beatitudinẽ consequamur, verum quia nõ omnes literas norunt, neq; legendi studio incumbunt, censuerunt patres, vt hæc tãq̃ trophea quædam in imaginibus proponerentur, quæ compendio nos commonefacerent. Exempli gratia sæpe Domini cruciatus, & mortem in memoria non habentes, imaginem Christi in cruce expressam intuemur, & procumbentes adoramus, nõ materiam, sed eum, qui imagine expressus est. Quemadmodum nec Euangelij materiam, nec crucis materiam adoramus, sed effigiem, sic & de genitrice Dei dicimus. Honor enim illi habitus ad eum, qui ex ipsa carnem assumpsit, refertur. Similiter & res à sanctis fortiter gestas imaginibus explicamus, tum vt nos ad fortitudinem, & virtutem ipsorum æmulandam, atque imitandã incitent, tum ad gloriam Dei. Nam honor vt diximus, quẽ gratis Dei conseruis habemus, amoris erga communem Dominum indicium est. Et imaginis honor trãsit ad exẽplar. Est autem institutum non scriptum, sed per manus traditum. Quẽadmodum & illud, quòd ad orientem conuersi precamur, quodq́; crucem adoramus, & alia plurima his similia. Quanquam & historia quadam proditum est, cùm Edesenorum Ciuitatis Rex Augarus pictorem misisset, qui Domini imaginem pingeret, isq; propter fulgentem vultus splendorem id assequi non posset, Dominum ipsum ori suo Diuino, atque almo pallium admouisse, in eoq; propriam imaginem expressam ad Augarum misisse, qui illius desiderio tenebatur. Quod autem multa ab Apostolis non scripta, sed per manus tradita sint, Paulus Gentium Apostolus scribit, Itaq; fratres, inquiens, state, & tenete traditiones nostras, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Et ad Romanos, laudo, inquit, vos, quod ꝑ omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, traditiones meas tenetis.

Alterius.

DEtestabilium Idolorum exemplaria sunt falsa, Dei enim vocantur, cùm Dæmones sint. Venerabilium autem Imaginum vera sunt exẽplaria. Huius enim Christus, quatenus homo est. Illius aũt Dei genitrix. Aliarum imaginum, qui per illas celebrantur, sancti. Quamobrem & imagines sunt tãquam similitudines. Idola verò cum illis, quorum esse dicuntur, simile, & commune nihil habent omnino. Quale enim rei non existentis simulacrũ sit? Idola igitur materia tantum sunt. Imagines verò materia quidem & ipsæ sunt, sed quę sancta sit, propter impressas sanctorum similitudines.

TITVLVS VIGESIMVS

Aduersus Armenios.

POST quartum concilium chalcedonense Armenij Echanij cuiusdam, qui & Mandacunes appellabatur & profanorum, qui cum ipso erant, sacerdotũ suasu ab Ecclesia catholica deficientes, & improbam Eutychis, atque Dioscori, & aliorũ Monophysitarum, qui vnam tantum in Christo naturam dicunt, opinionem secuti, impiorum dogmatum accessione illam cumulationem & illustriorẽ reddiderunt. Dicunt enim Christum suscepisse corpus non eiusdem essentiæ, cuius nostra sunt corpora, sed incorruptibile, & impatibile, & tenue, & increatum, & cœleste, quod & videre, & comedere, & bibere videatur, & aliis muneribus humanis fungi, cùm tamen nihil horum faciat. Præterea dicunt, carnem ipsius in diuinitatem esse conuersam, & eiusdem factam essentiæ, cuius est ipsa diuinitas. Et quemadmodum mellis, acetiue gutta, si in mare demergatur, non amplius cernitur, nec subsistit, sic etiam corpus illud in diuinitatis pelago commixtum atque demersum non amplius suam ipsius naturam, aut proprietatẽ conseruare, & iccirco non esse duas in Christo naturas, sed vnam, & eandem totam, quæ diuinitatis est. Ex quo sacrificium etiam panis carnis Christi, negãt esse corpus Christi, sed diuinitatis corpus esse dicũt. Quòd si rationibus victi, coactiq; Christum esse Deum, atque hominem fateantur, id simulatione agunt. Quomodo enim hominem esse verè queant cõcedere, cuius essentiam vt diximus, à nostra diuersam esse contendunt? Verum quæ à sanctis patribus nostris aduersus Monophysitas excogitata sunt, ea nos in eo huius operis titulo, quo Monophysitas cõfutauimus, breuiter recensuimus. Quãobrem ex eo titulo petendæ sunt rationes variæ, atque multiplices, quibus hæc hæresis euertatur. Pauca tamen quædam hic etiam commemorabimus, quo penitus profligetur & conuincatur.

Si Dei verbi, & carnis ipsius vna natura est, Dei autem verbi & patris vna est natura, qui fieri potest, vt non vna sit patris, & verbi, & carnis natura?

Si Christus post coniunctionem est vna natura composita, pater autem non est vnius naturæ compositæ, quomodo Christus post coniunctionem eiusdem sit essentiæ cum patre?

Si Christus post coniunctionem Deus, & homo esse cõceditur, non autem qua natura Deus est, ea est homo, quomodo non duæ naturæ sit Christus, quibus Deus est, & homo?

Si vna Christus natura est, & hæc est tota diuinitas, Christi autem natura à patre separari non poterat, perspicuum est, carnem etiam Christi, cum esset vnum cũ Christo natura, mortis tempore non fuisse separatam à patre. Quomodo igitur hic comprehensa fuit, & verberata, & concisa, & humanę naturę signa sanguinem & aquam profudit? & verè mortua est, & in sepulchro mortua, atq; immobilis, & circunscripta iacuit?

Si Christi caro diuinitas facta est, quomodo dixit ipse Christus: Deus meus, Deꝰ meus, cur dereliquisti me? Quomodo rursum dixit ad Mariam, ne me tetigeris, nondum enim ascendi ad patrem meum? aut quomodo dixit ad Apostolos post resurrectionẽ, palpate me, & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, & alia eiusmodi ĩnumerabilia, quibus humanitas ab ipso assumpta perspicue & sine vlla controuersia declaratur, apud eos quidem qui prudentes sunt, non autem plane stulti?

Isti, qui Christi ortum in carne, veræq; humanitatis assumptæ mysterium reiiciunt, commentitiumq́; ac simulatum fuisse dicunt, non eodem, quo nos, die Dei genitricis annuntiationem celebrant. nos enim eam, vt tradiderunt diuini patres Magnus Athanasius, & Ioannes Chrysostomus, & qui eodem tp̃e, quiq; postea fuerunt, VIII. Kal. Aprilis celebramus, illi vero Nonis Ianuarij, in breui sa-

ne tempore simulate atque obscure tum annutiationem, tum Christi ortum, & baptismum celebrare se fingunt, nō quòd verè id faciant, sed vt decipiant simpliciores. Quòd autem non è cœlo, sed ex puris castissimæ virginis Mariæ Dei genitricis carnem Christus assumpserit, aperte docent Euangelistæ Mathæus enim, Christi autem, inquit, generatio sic erat. Cùm esset despōsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Et quæ sequuntur. Deinde cū ea recensuisset, accurate, quæ ad eius pertinent generationem vsque ad Magorum aduentum, intrantes, inquit, domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Lucas autem paulo altius exordiens, Exiit, inquit, edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio facta est primum à præside Syriæ Cyrino, & ibant omnes, vt profiterentur, singuli in Ciuitatem suam. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de Ciuitate Nazareth in Iudæam in Ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret & peperit filium suum primogenitum & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio. Sunt & alia multa testimonia tam ex libris euangelicis, quam ex apostolicis, atq; aliis diuinis scriptis, quibus Domini & seruatoris nostri ortus ex virgine comprobatur. Nam & ipse Dominus noster vbique in Euangelio se filium hominis nominat propter veram matrem suam. Et D. Apostolus, vt alia omittamus, Misit, inquit, Deus, filium suum factum ex muliere Quòd si Christi corpus fuisset cœleste, nō fuisset obnoxium humanis affectionibus, eas intelligo, quæ culpa carent, & reprehensione, qualis est fames, & sitis, & somnus, & lassitudo, & mœror, & lacrimæ, & quę sunt his similia. Si hō, cui verbum in persona coniūctum est, cœlestis erat corruptibilis, & immortalis non fuit, Cœlestes enim atque viuentes omnes incorruptibiles sunt, & immortales. Verùm hac de re fusius in sequenti titulo disputabitur, quem aduersus Paulicianos composuimus, in Capite de Dei genitrice, & in eo capite, quod proxime sequitur. Nam & illi cùm aliis morbis tum hoc etiam laborant.

Cùm mortis tempore legamus, Christum orasse, & sudores tāquam guttas sanguinis ex proprio corpore profudisse, quo naturam carnis suæ comprobaret, Armenij callide sudores ex Euangeliorū libris deleuerunt, vt argumentum assumptæ carnis ex virgine, quod inde sumitur, euitarent, & seruatoris naturam hominum naturæ negarent esse similē. Verùm eos aliter Paulus redarguit, dicens, Qui in diebus carnis suæ precibus & obsecrationibus fusis ad eum, qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore magno & lacrimis, & quæ sequuntur. Preces enim, & obsecrationes, & magni clamores, & lacrimæ argumento certissimo probant, carnem eius nostrę similem extitisse, cùm ipsa quoque affectionibus esset obnoxia sine peccato.

De additione, quam Trisagio cantico Petrus fullo adhibuit in titulo aduersus Theopaschitas, qui diuinitatem passam asserunt, dictum est. Armenij autem hanc ipsi quoque additionem in eo cantico pronuntiant. Qua quidem in re sunt admodum ridiculi, qui cùm Christi corpus dicant incorruptibile, & impatibile, & immortale, diuinitatem eius patibilem, mortalemq; tradant, Aphthartodocitarum enim simul & Theopaschitarum morbo insaniunt. De quibus quæ visa sunt opportuna, suis in titulis disputauimus. In illis igitur quærendum est.

Origenem in primis impium partim reiiciunt, partim vt magnum doctorem in sacrificiis suis recipiunt. Et cùm ab orthodoxis reprehēduntur, & Origenem ipsum, & Eutychem, & Dioscorum execrantur, sed impias tamen eorū opiniones tuentur, doctrinæq; credunt.

Dominus noster Iesus Christus animalium sacrificiis finem imposuit, cùm mysticam discipulis cœnam dedit, & dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Idest, non iudaicum, sed quod tunc mysticè traditum fuit. Armenij tamen cultu iudaico boues, & agnos, & oues sacrificant, & victimarum sanguine limina inungunt, salutis spem in his magis collocantes. Quamobrem nec in Paschatis celebritate corpus & sanguinem dominicum sumunt, sed agnum, quem immolāt more iudaico, & assum igni comedunt, atque ita sanctificari se sperant, & peccatorum veniam accipere. Quòd autem eiusmodi sacrificiis sit finis impositus, reperies in eo titulo, qui aduersus Hebræos scriptus est.

Crucem, quauis è materia constet, non prius venerantur, aut adorant, q̄ eam tanq̄ hominem abluerint, & in eius medio clauum fixerint, & sacrificij sanguine ipsam inunxerint, cùm tamen in fronte crucem manu designēt, & in Baptismo, & in sacrificio, & aliis multis in rebus. Verùm, ô stulti, & mente capti, sic enim eos alloquar, si crux manu designata res omnes sanctificat, quibus adhibetur, vt aquam Baptismi, & oleum, & vnguentum, & vultus hominum credentium, & panem mysticum, & sacrum sanguinem, & reliqua, quæ non enumero sigillatim, ne longior sim, cur apud vos figura crucis ex quauis materia confecta, tanq̄ res aliqua communis ac profana ablutione & clauo, & sanguine sanctificatur? aut quomodo crux, quæ & Baptismum, & sacrificium sanctificat, ab eisdem ipsa sanctificetur? Quemadmodum enim antequam Christus in crucem ageretur, ipsa mortis erat instrumentum execrabile, & eius figura fugienda ac detestanda, ita posteaquam Christus ei fuit affixus, sanguine & aqua Domini sanctificata figuram suam cunctis fidelibus exhibet sanctificationem. Atque ita crux, quæ prius homines tollebat, postea Dæmones eiecit, atque expulit. Si igitur prima illa crux, quæ fuit exemplar, facta est sancta, vt dictum est, qm̄ in ea confixus Dominus pependit, vt Dauid ostendit, adorate, inquiens, scabellum pedum eius, qm̄ sanctum est, eam enim hoc loco scabellum appellauit, quia pedes ipsius adorandi in eam suffixi sunt, sancta nimirum est & omnis figura illius, siue manu, siue materia designetur, siue ex materia aliqua conficiatur. Hæc enim sunt imagines exemplaris. Et quemadmodum imago Christi sancta est, non propter materiam, quę illam suscepit, sed propter exemplar formamq; Christi, sic & crucis figura imago est exemplaris propter effigiem, & similitudinem. Et iccirco venerabilis est & pretiosa. Honor enim habitus imagini, vt Magnus ait Basilius, ad exemplar transit. Itaq; D. etiam Gregorius Magnæ præsul Armeniæ ante omnes iussit, cruces ligneas quibusdam in locis à se collocatas adorari, ad easq; tanq̄ ad sacra profugia concurri, idq; cùm nōdum esset pontifex declaratus, easq; nec ablutione, nec clauo, nec sanguine expiasset. Cæterùm ideo clauum in cruce figunt in Christi nomine, vt ostendant vnū sanctæ Trinitatis esse crucifixum, id est, diuinam eius naturam. Itaque cùm diuina Christi natura, patris etiam, & Sancti spiritus natura sit, patrem etiam, & Spiritum sanctum, licet id apertè non fateantur, vna cum ipso crucifigunt. Verùm de cruce latius disseremus in sequēti titulo, in eo capite, quod inscriptum est de cruce.

Tres

Tres ligneas constituunt cruces, easq; inter se coniunctas Trinitatem sanctam appellant. Nec exhorrescunt, beatæ Trinitatis imaginem conficere, quæ sola increata est, & infinita, & indefinita, & prorsus incognita. Rerum enim, quæ finitæ sunt, imagines cõficiuntur. Cuius autem rei exemplar sub aspectum cognitionemq; prorsus non cadit, eius rei quomodo quis imaginem conficiat? Quo igitur nomine hos appellabimus, lignorum, an idolorum cultores. Vtrunque enim nomen illis congruit. Atque hac item ratione crucifixam fuisse Trinitatem confitentur, cũ tres ita cruces coaptẽt, & eo facto id prędicent. Quid hoc errore stultius, aut magis impium sit?

Quid? quòd cùm tres, vt dictum est, cruces, tanquam idola constituant, & venerandum incomprehensæ Trinitatis nomen illis imponant, non erubescunt tamen appellare nos idollolatras, quòd Christi, qui humanitatẽ assumpsit, & videri, comprehendiq;, ac circunscribi voluit, quã tum pertinet ad humanitatem, Deiq; genitricis, & sanctorum, quorum corpora non solum conspicua, & finita, verum etiam mortalia extiterunt, imagines conficiamus? verum de sanctis imaginibus in eo titulo, quem aduersus earum oppugnatores conscripsimus, latius disputatur. Inde igitur petatur Idolorum & imaginum differentia.

Armeniorum vt adulterina, atque impia fides est, sic etiam Baptismus, & omnis initiatio, & mysterium. Mala enim arbor bonos fructus non fert, vt Dominus pronuntiauit.

Si ab Armeniis quæratur, quodnam sit Ieiuniũ Artziburtzi, respondent, Sergij cuiusdam Armenij, qui illud testimonio suo in ipsorum regione approbarit. Nos autem dicimus, Quomodo cõstat, Sergium illum fuisse orthodoxum, præsertim cùm prauis opinionibus & institutis abundetis, nec vllius Prophetæ, aut Apostoli, aut Martyris, aut aliorum sanctorum memoriam celebretis, ne sanctissimi quidẽ illius Gregorij, qui Magnæ fuit Armeniæ pontifex? At illi aliter se defendentes Niniuæ ieiunium esse dicunt. Nos autem ad eos, Ecquis vobis, gentium ieiunium iussit obseruare, cuius nec sanctorum Apostolorum vllus, nec vllum sanctorum Patrum concilium mentionem fecit? Quod multis ante annis fuit, quam Christus humanã carnem assumeret? Quòd si Iudæorum ieiunia à Mose Dei mandato constituta vobis ieiunare nõ licet, multo minus ieiunia gentium, quæ lege carẽt. Hinc igitur facile exclusi eo confugiunt, vt dicant, illud esse ieiunium Adam, quod egit, cùm è paradiso fuit eiectus. Nos autem ad hæc, cùm Moses in mundi procreationis descriptione nullam omnino de isto ieiunio mentionem fecerit, quomodo potestis dicere, esse ieiunium Adam? tum illi alio se conferunt, & Armeniæ Magnæ ieiunium esse asserunt, quod ieiunabãt Armenij, cùm à Magno Gregorio essent baptizandi. Verùm hic quoque mendacium eorum coarguitur. Cùm.n. à Dæmonibus ante baptismum agitarentur, decreuerunt ieiunare sexaginta dies. Deinde cùm esset eos batizaturus, triginta dierum ieiuniũ illis præscripsit, vt in ipsis quoque Armeniorum libris memorię proditum est. Neutrum autẽ istorum ieiuniorum Artziburtzi vocatum est. Hinc item depulsi dicunt esse ieiunium Constantini, quod ille seruauit cùm esset baptismum suscepturus. Et hoc plane falsum est. Quid enim vnius Imperatoris Ieiunium pertinet ad vniuersam Ecclesiam? Præterea si ita res est, cur huius ieiunij nec vllum concilium, nec sanctorum Patrum quispiam mentionem fecit? Cùm igitur ita se gerant, & modo huc, modo illuc sese conuertant, nec consistere valeant, facere non possumus, quin suspicemur, Ieiunium istud execrandum esse & Christianis auribus indignum. Ego autem sic de illo accepi. Fuisse Sergium quẽdam, Armenicæ hæresis doctorem, qui cùm haberet canem, cui nomen hoc Artziburtzi imposuisset, eum à Dæmone rectum itineris sui ducem & tanquam consiliarium habebat, quoties ad oppidum, aut pagum, aut vrbem aliquam erat profecturus, in quibus doctrinę suæ pestiferę discipuli habitabant, & cùm illum canem aspicerent, post diẽ vnũ aliquot passuum millibus obuiam magistro procedebãt. Verùm cùm aliquando ad illud munus canis mitteretur, à lupis deuoratus est, postridie autem cùm ad eos Sergius proficisceretur, ad quos canem miserat, & nemo de more veniret obuiã, indignatus est, cùmq; ad illos peruenisset, intellexissetq;, canem præcursorem suum ad eos non accessisse, misit, qui illum quærerent, sed cùm ex ossibus inuentis agnouisset, eum à lupis fuisse dilaniatum, indixit omnibus Armeniis ieiunium pro canis obitu, iussitq; vt præfinito dierum spatio singulis annis in luctu & squalore versarentur. Et ieiunium illud Artziburtzin appellauerunt.

TITVLVS VIGESIMVSPRIMVS

Aduersus Paulicianos, ex scriptis Photii Patriarchæ Constantinopolitani.

SAMOSATA est oppidum Syriæ, in qua quondam viguit error Manichæorum. In hoc oppido mulier quædam fuit nominæ Callinice. Hæc cùm totum Manichæorum lutũ hausisset, duos peperit filios Paulum & Ioannem, qui matrem imitati merum istius apostasiæ venenum biberunt. Hos reliqui veritatis desertores conspicati impietate eximios, atque præstantes, ac strenuos, constituerunt eos præcones & duces. Isti cùm alia absurda, & execrãda, ac perniciosa dogmata, tum Paulicianorum hæresim, quæ Manichæorum insaniæ pars est, & quibusdam etiam accesionibus cumulatior excogitarunt. Ex duobus aũt istis nominibus Paulo & Ioanne Paulicianorum vocabulum barbare sane compositum est, vt cùm Pauli Ioannes appellari debeant, Pauliciani nominẽtur. Sed temporis progressu alium sibi apostasiæ socium & magistrum adhibuerunt, qui cùm vocaretur Constantinus, voluit Siluanus appellari. Et hunc quidẽ apostasiæ satellites Callinicæ filiis longe anteponũt. Quippe qui vt astutissimus ad ea, quæ sentiebat, propaganda, nõ est ausus opiniones hæreticas monumẽtis tradere sed vsu, & assidua doctrina discipulos suos erudiẽs impietatis instituta ab oppugnatione tuta seruare conatus est. Atq; Euãgelium quidem & Apostolum, quæ fidelis etiam Christianorum populus complectitur & colit, scripta proposuit, nihil admodum, quantum ad verba pertinet, mutans, nec, quemadmodum, egit Valẽtinus, & alij, sermonis figuram peruertens, sed ipsum pietatis sensum detorquens, atque perfringens, & ad apostasiæ suę opinionem conuertens & trahens. Ac verba quidem, vt diximus, diuini Euangelij & Apostoli, concessit, vt haberent, & nihil impudenter subtraxit, aut adiunxit. Verùm eos illi sensus attribuit, & accõmodauit, quibus nulla sacra verba conueniunt. Pugnant enim inter se, mutuoq; se euertunt, vt nihil inde consequi consentaneum possit. Hæc ille hoc modo constituit, nullumq; dogma illis præter Euãgelium & Paulum legere p-

misit. Verùm & iste post aliquod tempus interiit, & anima quidem magis, quã corpore. Post Siluanum Simeon illis, qui se Titum vocari maluit, impiæ doctrinæ magister fuit. Deinde Armenius quidam nomine Genesius, qui suum in Timotheum nomen commutauit. Tũ Ioseph, qui in Epaphroditum mutatus est. Post Zacharias, quem non minima hæresis pars mercenarium existimat, & indignum, qui docendi munus apud ipsos obtinuerit. Manes præterea homo sordidus accessit. Postremum malum Sergius attulit, qui sibi Tychici nomen asciuit. Ac defectionis quidem ipsorum magistri, ex quo hæresis ista à Paulo & Ioanne cognomen est consecuta, ad hoc vsq; tempus, tot extiterũt. Illud autem sciendum est, eos, qui hæresis istius studiosi sunt, siquis petat, vt auctores eius nugatoriæ sectæ repudient atq; improbent, facile Manetem, & Paulum, & Ioannem & quosdam alios detestari, Cõstantinum autem, quẽ & Siluanum vocant, & Simeonem, seu Titum, & Genesiũ siue Timotheum, & Iosephum, seu Epaphroditum, & sordidum Baanem, & Sergium Tychicum nullo mõ adduci posse, vt detestentur, quinetiam illos vt Christi Apostolos existimare, & tanquam piæ doctrinæ magistros amplecti atque suscipere. Nec vniuersi tamen eos, quos commemorauimus, pariter complectuntur, sed cuncti tãquam Deos venerantur illos vsque ad Baanem & Sergium. Post autem in duas partes contrarias diuisi, alii Baanem, alij Sergium in Diuorum numerum referunt, quã quidem in contentione eo vsque progrediuntur, vt ad arma cædesq; veniant. Sex autem Ecclesias recensent suas, quarum vnam Macedoniam vocant, alteram Achaiam, tertiam Philippensiũ, quartam Laodicensium, quintam Ephesiorum, Colossensium extremam. Verùm hæc sunt vrbium nomina, de quibus tum vetus historia, tum D. Paulus meminit. Isti verò, qui nihil sine dolo, & quęstu conantur agere, ne illa quidẽ, quæ oculis coarguuntur, verentur affirmare. Macedoniã appellant Coloniæ oppidulum, cui nomen est Cimosta, in quo defectionis doctrinam Siluanus tradidit. Pagus est Samosatensium Manalis, vbi Genesius qui & Timotheus docendi ludum aperuit, Pagum hunc isti Achaiam vocant. Qui verò Iosephi, seu Epaphroditi, & Zachariæ mercenarij apud ipsos pastoris discipuli fuerũt, hi sibi Philippensiũ Ecclesiam arrogant. At illi qui in Argai oppidulo habitãt, Laodicensium Ecclesiam sibi vindicant. Qui autem in Mompsuestia in Ephesiorum Ecclesiam rediguntur. Istarum trium Ecclesiarum congregationem doctrinamq; Sergio item seu Tychico tribuunt. Atque isti quidem eorum magistri, & Ecclesiæ dicuntur esse. multiplex autem ipsorum hæresis non ex vno errore, sed ex multis variisq; constat. Nam duo fatentur principia, quemadmodum & Manichæi. Atque alterum quidem dicunt esse Deum, cœlestem patrem, quem & huius rerum vniuersitatis potestate præstantiorem asserunt. Alteri mundi tribuunt opificium. Illi tantum futuri imperium ascribunt, huic mundi opifici præsentis seculi potestatem concedunt. Et eos, qui verè Christiani sunt, Romanos appellant, homines impij, sibi autem Christianorum arrogant nomen, Cùm ab eo distent q̃ longissimè. Dicunt illi quidem patrem, & filium, & Spiritum sanctum, quæ quidem voces sunt piæ, sed illis extremam addunt impietatem. Non enim eodem sensu, quo Catholica & Apostolica Ecclesia, eas pronuntiant, sed admodum diuerso ac detestando. Cùm enim anathema esse dicant, quicunque non credit in patrem & filium & Spiritum sanctum, patrem non pronuntiant omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium & inuisibilium, sed cùm patrem dixerint, statim subiiciunt, cœlestem, cui nullo modo cœli & eorum, quæ cœli ambitu continentur, dominatum tribuunt, & potestatem. Quidam tamen cœli etiam imperium tribuunt, eorum verò quæ cœlo comprehenduntur, non item. Ac primùm, quidem est hoc impietatis ipsorum caput. In sanctissimum autem Dominam nostram Dei genitricem ea maledicta coniiciunt homines nefarij, quæ nec scribere, nec audire fas est. Credimus, inquiunt, in sanctam Dei genitricem, in quã ingressus est, & ex qua Dñs egressus est, & his verbis cœlestem intelligunt Hierusalem, in quã præcursor pro nobis Christus introiuerit, quemadmodum D. etiam ait Apostolus. Aliqui coacti confiteri ex virgine Christum prodiisse, corpus è cœlo suscepisse dicunt, per ipsamq; tanquam per canalem transiisse. Et immaculatam & castissimam virginem, alios etiam ex Ioseph liberos post partum illum salutarem peperisse contendunt. Similiter & communionem pretiosi corporis & sanguinis Christi Dei nostri ĩnumerabilibus contumeliis afficientes se dicunt suscipere, cùm corpus & sanguinem dicant esse verba illa Domini, quæ cùm discipulis traderet, dicunt protulisse, nempe, accipite, comedite, & bibite, neque enim panem, aut vinum adhibuisse. Crucẽ item, quam adorare se dicunt, afficiunt ignominia. Crucẽ enim homines fraudulenti & impostores fingũt esse Christum. Ipse enim, inquiunt, manus in crucis figuram extendit. Veram autem crucem lignum appellant, & sceleratorum instrumẽtum supplicij execrationibus obnoxium, & iccirco non esse adorandam, nec suspiciendam. Sacros quinetiam Prophetas & omnem antiquam scripturam, & reliquos sanctos reiiciunt, & latrones ac fures appellãt. In primis autem Apostolorum principem Petrum execrãtur, quòd fidem in magistrum Christum abnegauit. Quãuis Doctor ipsorum Manes aperte clamet ac dicat, non sum ego, à misericordia alienus, quemadmodum Christus qui dixit, Quisquis me negauerit coram hominibus, negabo ipsum & ego. Sed ego dico, quisquis me negauerit, eũ cum gaudio suscipiam, & negationem ipsius atque mendacium tanquam custodiam & obseruationem meæ professionis existimabo. Quamobrem cùm ita se gerant, milliesq; suam ipsorum fidem abnegent, Petrum tamen, qui multis eodem tempore terrorem afferentibus, humanum nescio quid perpessus, in negationem prolapsus est, reiiciunt, & repudiant, atque auersantur, non eam ob causam quam simulant, sed ob eam, quam silent & cælant. Quia nimirum de ipsorum defectione ante locutus est, satagite, inquiens, immaculati, & irreprehensibiles ei inueniri in pace, & Domini nostri longaniminitatem salutẽ arbitramini, sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis & de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Hæc enim principis Apostolorum oracula aduersus istorum audaciam & impietatem prædicta sunt, qui tam Domini verba, quam Apostolorum, & alias scripturas, vt acta Apostolorum, & quas vocamus catholicas epistolas, exceptis illis, quæ sunt Petri, quas ne verbo quidem, vt diximus, accipiunt, ad proprium ipsorum interitum deprauant. Quanq̃ & acta Apostolorum & reliquas Catholicas non omnes recipiunt, quidam tamen ea recipiunt, sed omnes vno cõsensu reiiciunt Prophetas, & vetus testamẽtum, & vniuersos sanctos, qui in ipso fuerunt illustres, & principem Apostolorum. Cõsessus suos catholicam appellant Ecclesiam, præsertim cùm ad precandum et ad ea quæ ad religionem pertinent, inquirenda congregantur. precationes.n. suas

confessus vocant. Quinetiam cùm baptismum aspernentur, illud tamen se fingunt suscipere, nam Euangelij verba baptismum existimant, quoniam Dominus ego sum, inquit, aqua viua. Attamen cùm in grauiorem aliquem morbum inciderint, etiam pretiosam ac salutarem crucem ex ligno confectam sibi ipsis imponunt, deinde si conualuerint, eam perfringunt, aut conculcant, & abiiciunt, Liberos etiam suos ab Ecclesiæ presbyteris salutari baptismo volunt aliquando lustrari, existimant enim crucem & baptismum corpori prodesse homines omni adiumento indigni. Horum tamen vim ad animæ purgationem peruenire non putant, nec vllam aliam afferre vtilitatem. Nonnulli etiam ipsorum, quo simpliciores decipiant, pretiosi corporis & sanguinis Domini communionem suscipiunt. Ad hæc nec catholicæ Ecclesiæ presbyteros, nec reliquos sacerdotes recipiunt. Quoniam Christi consessum sacerdotes & presbyteri populi constituunt. Eos autem, qui apud ipsos sacerdotum ordinem obtinent, non sacerdotes, sed socios, & notarios vocant. Atque hi nec habitu, nec victu, nec vlla alia ratione viuēdi modum grauiorem ostendunt, quo à populo distinguantur. Euangelium nostrum non dubitant adorare, vbi pretiosæ crucis figura nō est impressa, non aūt in ea parte libri, in qua crucis imago sit, Dicunt autem se librum adorare tanquam Domini sermones continentem. Atque ita quidem impij deprehendunt in iis, quæ ad dogmatum rationem pertinent, vt & à veritate, & inter se omnino dissentiant. Vita autem ipsorū plena est intemperantiæ, plena flagitiorum, & scelerum, quæ nec dici possunt, nec cogitari. Vtriusque enim naturę commixtione sine vllo rubore ad nefariam omnem impuritatem abutuntur, adeò vt ipsorum quidam etiam cum matribus consuetudinem habere dicantur. Ebrietati & luxuriæ totam vitam habent obnoxiam, & aliam omnem morum differentiam complectuntur. Quod autem de infelici illo Tychico vulgatum est, nunc commemorabo. Hic se Tychicum illum esse fingebat, qui in Apostoli Epistolis sæpe memoratur & de quo multis in locis cum laude mentio fit. Sibiq; à Paulo nuntium fuisse missum simulabat, vt quæcunque diceret, & denuntiaret, ea non sapientiæ suæ, sed docentis, & mandantis Pauli præcepta esse viderentur. Cùm tamen quingentis annis post Paulum & Tychicum natus esset. Illud sciendum est, me, qui capita, hæc, quæ in hoc titulo continentur, collegi, partim integra posuisse, partim vt longitudinem euitarem, compendio comprehendisse, & ex Patriarchæ, quem ante commemoraui, scriptis ea prætermisisse, quæ vel profundiora, vel imperfectiora paucis essent profutura, aut placitura. Sententias tamen easdem, licet aliis verbis, aliisque dicendi rationibus retinui. Argumenta verò tam ex Euangeliis, tum ex Pauli Apostoli verbis deprompta sunt, Istius enim hæresis defensores hæc sola venerantur & probant, Verùm duo non esse principia licet in titulo contra Manichæos demonstratum sit, tamen in præsenti etiam demonstrabitur, sed primum de malo dicēdum est, quòd principium malum, & eorum omnium, quæ in mundo sunt, auctorem impia ista mali progenies confinxit.

Dicunt ex tenebris & igne malū istud natum esse principium. Quærendum ex ipsis est, cur tenebræ solæ ad ipsum generandum non fuerint satis. aut cur ignis solus non satis fuerit. Quis ea ad malum principium gignendum congregarit. Cur non ipsa sint potius principium. Cur ita factum sit, vt quod ex ipsis prouenerit, sibi principium vindicarit. Si ignis sub sensum cadit, cuius est opus? Si mali, quomodo ex ipso & ex tenebris malum esse profectum dicunt? Sin Boni, quomodo negant sensibile quicquam à Bono profectum esse? Neque enim dicere possunt ab intelligibili prouenisse Malum, cùm intelligibilia cuncta Bono attribuerint. Necessarium igitur est, vt dum cauent, ne Malo ignis ortum tribuant, ne deprehendantur, eundem modo effectorem, modo factum dicere, vel inuiti fateantur ignē quoque à Bono prouenisse, cùm enim ignis sensibilis existat, quanuis in tenebris versentur, eum tamen nec principio carere, nec æternum esse dicent.

Duo non esse principia, sed vnum esse cœli, & terræ, & eorum, quæ in medio sunt, effectorem.

QVidam ipsorum Deum bonum cœli tantum auctorem esse concedunt, terræ autem & eorum, quæ in medio sunt, effectorem alium afferunt. Alij, nam multiplex est istorum error, & cœlum ipsum, & quæ in medio sunt omnia, inimici affirmant esse opera. Quòd si, vt ipsi homines stupidi ac demētes affirmant, cœlum etiam est opus Mali, quomodo Bonus Deus in cœlis conquiescit, qui à Malo confecti sunt? Quomodo seruator noster, cùm precandi rationem doceret, & admirabilem ac venerandam illam precationem traderet, dixit, Pater noster, qui es in cœlis? Et fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra? Et rursum, si dimiseritis hominibus peccata eorū, dimittet vobis & pater vester cœlestis. Et alibi, Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Sed ea longum esset enumerare, in quibus cœlesté, & qui est in cœlis, seruator patrem appellat. Miror tamen cur aduersariorum impudentia non obruatur, seruatore clarius dicente, Cōfiteor tibi, pater, Domine cœli & terrę. Non solum enim cœli Dominum, sed etiam terræ perspicue dicit. Quid hoc testimonio clarius? quid ad obstruenda impiorum istorum ora qui à veritate defecerunt, validius, quam locus hic, quo pater Domini nostri Iesu Christi opifex & Dominus rerum omnium declaratur. Petro Dominus ait, Dabo tibi claues regni cœlorum, & quæ sequuntur. Adde & illud, Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua. Quo in re à malo confecta boni ille patris filius bonus baptizatus inde ascēdit? Et ecce aperti sunt cœli, res item à mala perfecta manu, vt isti volunt. Propter quid autem, & cuius rei gratia aperti sunt cœli? Audi. Vidit spiritum Dei, inquit, descendentem tanquam columbam. Tertius est hic paucis verbis conclusus aduersus impietatem triumphus. Quomodo enim in figura rei à Malo confectæ spiritus Dei declaratur, Et descendit ex operibus inimici, & venit super Iesum? Quartus aduersus impietatem triūphus, vox è cœlo editur, hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Considera quæso, amice, quomodo singula verba, tanquam singula argumenta coarguunt impietatem, atq; conuincunt. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quis? hic qui in aquis baptizatus est, cui aperti sunt cœli, super quem spiritus meus in columbæ forma descendit è cœlis, Testaturq; illum esse verum filiū suū omnia mea. Per res à me procreatas filius meus voluntatem meam exequēs mundi salutem peragit, sola spiritus potestate simul cum illo, qui est eiusdem naturæ, existēte, & re ipsa germanum ipsum esse filium declarante.

Si is, qui maxime omnium patrem, & quæ patris sunt, nouit, Dei thronum cœlum appellat, terram autem scabellum, & ciuitatem ipsius Hierosolyma, nónne summæ de-

mentiæ est, quorum testis est filius, ea quosdam illi adimere, & eorum auctorem alium constituere? Christus enim Deus, cuius omnia facta, dictaq; pertinent ad salutem nostram, cùm ab humana vita iusiurandum, tanquam aditũ ad periurium, remoueret, Ego autem, inquit, dico vobis, ne iuretis omnino, neq; per cœlum quia thronus est Dei, neque per terram quia scabellum est pedum eius, neque ꝑ Hierosolyma quia ciuitas est Regis Magni, neque per caput tuum, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Caput, & Hierosolyma, & terram, & cœlum sensibus esse obnoxia re ipsa cernimus, quę Iudæi iurantes solebant nominare. Ac ne rursum ad fabulas & nugas caput, & Hierosolyma, & terram & cœlum insania referat, vt sæpe in rebus dubiis facere cõsueuit, Cœlum hoc, quod oculis cernimus, & terram hanc, quam calcamus, & Hierosolyma, quæ quidem vrbs, cùm olim esset ędificata, multis postea seculis à Dauide instaurata est & habitata, hæc thronum, & scabellum, & ciuitatem Magni Regis appellat, cuius autem Regis, ipse clarius alibi demonstrat, Nolite inquiens, facere domũ patris mei domum negotiationis, vbi templum Hierosolymorum domũ Dei vocat, propter quod & hierosolyma Regis ciuitatem dicit. Quem enim, dum vetaret iurare, Mgnum appellauit Regem, hic patrem proprium nominat. Quamobrem & eos, qui boues & oues, & columbas vendebant, eiecit, vt ab ea mercaturæ colluuione domum paternam expiaret, eisq; iustam Indignationem comminatus est, vt qui paternam domũ, & mandatum paternum despicerent.

Diligite, inquit, seruator, inimicos vestros, bene facite iis, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui est in cœlis, qui facit oriri solem suũ super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Estote igitur perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Pater ergo perfectus, quẽ naturalis ipse filius vt imitemur nos cohortatur, ille est, & non alius, qui solem hunc, quem cernimus, oriri facit, & lucem sensibilẽ nobis sensu præditis subministrat, & pluit super iustos, & iniustos, vt terrę fructus percipi queant, &, si quo modo aër, quo respirantes vtimur, propter siccitatem grauior fiat, ex pluuiæ humiditate ad temperamentũ redigatur. Vbi sunt igitur, impij isti regni Dei, quod diuidi non potest, diuisores, qui terræ, & aëris, & imbrium, & solis & aliarum rerum eiusdem generis effectorem vnum, rerum autem intelligibilium alium constituunt?

Si Dauid primum Sancti spiritus numine afflatus, & D. Paulus deinde clara voce dicit. Deum illum à Mose prędicatum sic alloqui Dñm nostrum Iesum Christum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, Paulus enim ad Hebræos scribens seruatori nostro paternum hoc tribuit testimonium, quod à Dauide, vt diximus, ante fuit pronunciatũ, & rursum, Et adorent eum omnes Angeli Dei, itemq;, Et ab initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli, & cætera, si hæc in spiritu Diuinus pater Dauid pronunciauit, eaq; arcanorum mysteriorum conscius, doctorq; comprobauit, affirmans veteris testamẽti Deum eundem esse, qui & Angelorum omnium ordines filij adoratores seruosq; constituit, eundemq; & non aliũ, qui terram fundauit, & cuius opera manuũ sunt cœli, nón ne omni sese obstringunt impietate, qui alium esse dicunt patrem Domini nostri Iesu Christi, & alium illum, qui cœlum & terram condiderit?

Explicans seruator parabolam seminãtis bonum semẽ in agro suo, Qui seminat, inquit, bonum semen, est filius hominis, ager autem est mundus, semen autem bonum, hi sunt filij regni. zizania autem sunt filij Mali. Inimicus verò, qui illa seminat, est Diabolus. Audis, quomodo mũdum appellet suum, & semen item suum, eos, qui in illo sunt, quos & regni filios vocat, & solam inimico zizaniorum sationem tribuat? Porro in iis, quæ sequuntur, regnum suum aperte mundum esse declarat. Quomodo? In consumatione, inquit, seculi huius, non autem futuri, mittet filius hominis Angelos suos, & colligent è regno suo, nempe ex hoc mundo scandala, neque enim in futuro feruntur nascunturúe zizania, neque consistunt scandala, vt Angeli filij hominis ea collecturi sint, sed posteaquam collecta fuerint, coniicient illa in caminum ignis. & tunc iusti in regno patris sui fulgebunt, vt sol. Quid his Domini verbis clarius, aut grauius, quibus & mundus, & quæ in mundo sunt omnia, Christi & seruatoris nostri esse declarantͬ? & ipse Dominus & Rex tam futuri, quam præsentis regni prædicatur?

Data est mihi, inquit, omnis potestas in cœlo & in terra. Quomodo accepit à patre potestatẽ cœli & terræ, quorum ipse, qui dedit, non erat Dominus, vt isti nugantur? Et si agri & domus sunt è manu Mali, quomodo bonus Deus iis, qui alacri animo ipsum secuti fuerint, præter æterna bona, & agros & domos se tributurum promisit, si mala sunt, & opificis mali, & quorum nec ipse potest esse Dominus, nec alios constituere?

Idem Apostolus, cùm rerum omnium procreatorem prædicaret patrem Domini nostri Iesu Christi, & ipsum verum filium, tamen hoc etiã ostendit in iis in quibus gratiam celebrat sibi datam, & creditam mysterij potestatẽ. Cùm enim dixisset, Mihi autem omnium minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare imperuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, statim subiicit, qui omnia creauit per Iesum Christum. Itaque rerum omniũ procreator est pater, & rerum item omnium procreator est filius. Communis enim & indifferens tum natura, & potestas, & regnum, & virtus, tum etiam rerum omnium, quæ videntur, & quæ non videntur, procreatio, & earum ex nihilo deductio, & conformatio.

Alibi Paulus de rebus diuinis verba faciens, Vnus inquit, Deus & pater omnium, qui super omnia & per omnia, & in omnibus nobis. Verùm cùm sciret, vt naturam, & voluntatem, sic etiam procreationem, & imperium patris & filij non esse seiuncta aut separata, idem etiam de seruatore audacter pronuntiat. In ipso enim, inquit, creata sunt omnia, nempe quæ in cœlis, & quę ĩ terra sunt. Ac ne istorum insania his verbis alias nugas affingat sequitur explicans illa, quæ in cœlis terraq; sunt. Et hæc, inquit, omnia in ipso creata sunt, & per ipsum, & in ipsum. Quomodo igitur defectorum istorum rabies alium rerum visibilium, alium inuisibilium auctorem comminiscitur?

Inuisibilia Dei, inquit D. Paulus, à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur ea, quæ facta sunt, orbem significant vniuersum, & quæcunque sub sensum cadunt. Hæc enim nisi essent Boni, sed Mali, quomodo fieri posset, vt per illa cernerẽtur inuisibilia Dei, & sempiterna eius virtus ac Diuinitas?

Si res terrenæ, vt maledica atque impia lingua audet dicere, sunt Mali, quomodo dicuntur esse communis Domini ac seruatoris nostri. In propria enim, inquit, venit, & sui eum non receperunt. Quod si desertores dixerint, per propria sermones propheticos intelligi, ad eosque Christum venire, & ab illis non recipi, animaduertite singularẽ ipsorum stultitiam & impudentiam. Primum quomodo sermones propheticos dicunt, esse Christi proprios, cùm

prophetas

Prophetas ipsos dicant esse Mali figmenta, & ab ipso aspirationem acepisse? Deinde quomodo in sermones propheticos venit Christus? Ad alienos enim, vt ipsi sentiunt, venisset, cùm alienos esse dicant sermones propheticos, & ab alieno inspiratos, non autem à bono Deo. Præterea quibus potestatem dedit Deus, vt filij Dei fierent? prophæticis'ne sermonibus? Quæ nugæ sunt istæ? Sermones enim si ex Deo sunt, ab illo habent, vt sint ipsius proprij, sin ex Malo, quomodo fieri possunt filij Dei? Præterea quis sermo propheticus ex sanguinibus, & ex voluntate viri, & ex voluntate carnis natus est? Subiicit enim, Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Quinam igitur ex sanguinibus nati sermones, & qui non? Restat ergo, vt per propria mundus intelligatur. Quemadmodum & alibi discipulos alloquitur, Ecce, inquiens, venit hora, vt dispergamini, vnusquisque ad propria. Quænam hic appellat propria? propheticos'ne sermones? an possessiones, & domos singulorum? Quemadmodum igitur hic non, vt dementes isti nugantur, sermones propheticos appellat, sed propriam cuiusque possessionem & domum, sic etiam quando dixit, In propria venit, & sui eum non receperunt, per propria mundum intellexit, qui propria est ipsius possessio, atque opus. Similiter & qui in ipso sunt, quorum alij quidem doctrinam eius susceperunt, alij non. Et alibi, Non habet, inquit, honorem Propheta in propria patria. Quod autem per propria mundum significet, ex his verbis planè licet intelligere. Erat enim, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hunc, inquam, sensibus expositum. Quando autem illuminauit? quando natus est in illo. Quando autem natus sit, Euangelium clamat, In mundo, inquiens, erat. Omnino enim in hoc mundo sensibili existens venientem in mundum sensibilem illuminabat. Porrò cuius ipse mundus sit opus, in quo & ille erat, & venientem in eum illuminabat, non aliunde sed ex ipsis Euangelij verbis percipitur. Et mundus, inquit, per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Quod idem valet, atque illa verba, In propria venit, & sui eum non receperunt.

Si res terrenæ sunt Mali, cur fructibus, quos terra, quæ Mali opus est, tulit, multa hominum millia satiauit, semel quidem panibus quinque iterum autem septem? Quanto enim melius, & Deo dignius erat, non alienis fructibus, sed propriis, eos, quos instituebat, saturare? Immo verò cur in cibum, & potum adhibuit ea, quæ fructus erant operum Mali? Aut cur præcepit nobis, vt à bono patre panem quotidianum peteremus? Præterea cur cæci oculos curans non ex alia materia, sed ex terra, & aqua, quæ Mali sunt nouam videndi vim tribuit? tanquam cũ inimico ita rem partiretur, vt maiorem ei partem relinqueret, ipse alteram expleret ex aliena materia, tanquam propria indigeret? Quãquam si nihil alliud infelices istos hæreticos moueret, hac sola huiusce rei admirandæ consideratione deberent resipiscere, quòd qui verè finxit oculum ex luto, ille ipse est, qui ab intitio hominem ex luto, formauit. Cuius enim materiæ pars est. illius & totum est. Et quem totum habuit opificem, illũ habuit & pars.

Dominus noster Iesus Christus, cùm ad mortem appropinquaret, se asini & pulli Dominum esse discipulis declarauit. Etenim opera illius sunt Dominationis & potentiæ, vt mundus, & quæ in mundo sunt, sic etiam hæc. Quamobrem ait, si quis vobis aliquid dixerit, respondete, Dominum horum opus habere. At hæresis istorum hoc pati non potest, sed hæc ipsius adimens potestati, ea Mali attribuit opificio.

Quod impij isti ad suam confirmandam afferunt impietatem, qua Malum rerum terrestrium principem esse contendunt, ea re decepti, quod ipse Christo demonstratis omnibus mundi regnis dixerit, hæc omnia tibi dabo si prostratus adoraueris me, illud ipsum deberet illis indicare, Malum nullius ipsorum esse Dominum. Cùm enim mendax sit, & mendacij princeps, cumq; nunquam steterit in veritate, vt Dominus noster docuit, ipse se rerũ terrestrium negauit esse principem.

Vnum esse corporis animæq; hominis effectorem.

SI vt amentes isti sentiunt, Bonus animam facit, corpus autem Malus, quomodo patitur Bonus cũ Mali opere opus suum coniungi? Aut quomodo sustinet Malus hanc coniunctionem? Coniunctio enim aut corpus bonum efficiet, cùm æquum non sit, vt Bonus Mali opus bonum reddat, aut animam malam, quod magis etiam absurdum est, vt Boni opus ab opere Mali deprauetur. Quæ porro societas luci cum tenebris, aut quę coniunctio Deo cum Belian esse queat?

Si Malus potest nobis insidias moliri, nos autem possumus eas & anima & corpore declinare, corpus, quod & insidias eius cauere, & superare etiam atque deiicere omnem illius impetum potest, illius opus non est, nec ipse Malus, si corpus ab eo factum esset, aduersus ipsum consurgeret. Animæ igitur & corporis opificium ad contraria principia referri non possunt.

Si corpus à Malo confectum est, quomodo maxima per illud bona peragimus, temperatiq;, & continentes, & vigilantes, & ad pericula subeunda, martyriiq; labores perferendos fortes sumus? Quæ quidem omnia cum corporis potius, quàm animæ sint, ad procreatoris gloriam referuntur. Quomodo igitur opus Mali facit, ea, quæ bona sunt, seq; animæ socium præbet ad ea perficienda, quæ nisi ipsum adesset, bona non putarentur.

Si corpus figmentum & Mali, quomodo qui Malum præclarè oppugnat, Paulus ipsum appellat sanctum? Innupta, inquit, quærit quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu. Quòd si sanctum est corpus, quomodo Malum, aut à Malo confectum opifice? Actiones enim malæ figmentum boni Dei deprauantes, subiiciunt illud Malo, vt sit propriũ ipsius. At si in opificis sui legibus permanserit, vim habet potius, vt Malum persequatur & superet, q̃ vt in eius redigatur seruitutem.

Si corpus à Malo conflatum est, cur propter Lazari corpus, quod interierat, luxit Christus, cur Mali opus dissolutum constringere, & excitare, atque in vitam reuocare voluit? idq; patre proprio inuocato, vt Mali figmentum bene corruptum ipse reuocaret in vitam? Quomodo & alios mortuos suscitauit, & cætera diuina signa peregit, quibus hominum corpora curauit ægrotantium? Quid? Leprosi, paralytici, claudi, surdi, cæci, & innumerabilia ægritudinum, morborumq; genera, quibus corpora liberauit, nónne conuincunt istorum impudentiam, qui hominum corpora à Malo facta esse dicunt? Qũo.n.

inimici figmentum corruptum bonus Deus instaurasset, sed solum curasset accedentes ad se, sed ipse ad eos accessisset? Circuibat enim Iesus ciuitates omnes & vicos, docens in synagogis ipsorum, & curans omnes infirmitates, & omnem languorem. Neque verò hos curabat, curationem autem silebat, sed sæpe iubebat, vt enuntiarent. Euntes, inquit, renuntiate Ioanni, Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundãtur, surdi audiunt, & mortui reuocantur in vitam. Quinetiam discipulis, virtutis, & potentiæ, gratiæq; suæ signum illud dedit, vt super ægros manus imponerent, & curarentur. Curam igitur gerebat figmenti sui Christus Deus noster, quippe qui venerat, vt & animam & corpus seruaret. Neque ipse solum nobis benefaciebat, sed eandem discipulis quoq; benefaciendi dabat facultatem.

Si corpus est Mali, cur ægrotante discipulo Paulus angebatur: eoq; conualescente dicebat, Deus misertus est tui, nec tui solum, verùm etiam mei, ne tristitiam super tristitiam habeam? Quid enim angi Paulum oportebat, cùm opus mali dissolui perspiceret? Cur item præcepit discipulo, modico, inquiens, vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates? Contra potius scribendum fuit, ne prorsus vteretur vino, quo citius Mali figmentum euerteretur, & discipulus ab eius onere liberaretur.

Si corpus & Mali, quomodo Christus in Pauli corpore magnificabatur? Quomodo rursum ipse Paulus, si corpus non est figmentum boni Dei, optat, vt integrum corpus conseruetur, idq; in aduentu Domini? Integer, inquit, spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi conseruetur.

Si ab alio principio anima, ab alio corpus proficiscitur, cur verus noster procreator & Deus volens adoratores suos esse sine sollicitudine, de vtroque admonet eos, nolite, inquiens, solliciti esse nec animæ vestræ, quid edatis, aut quid bibatis, nec corpori vestro, quid induamini? Deinde admonitionem suam exemplo confirmans, respicite, inquit, volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, & vnde illis suppetit victus? pater vester cœlestis pascit illa. Si veritatis fons patrem nostrum cœlestem cœli volucres pascere & nouit & dicit, additq; & fœnum agri, quod in clibanum coniicitur, ab ipso Deo tale pulchritudinis vestimẽtum accipere, quale ne Solomon quidem induebat in omni gloria sua, quomodo effrænata impietatis ora alium fœni, & volucrum, & corporis, & reliquarum rerum, quæ sensibus percipiuntur, esse procratorem affirmant, imperiiq; dimidium alteri assignant? Quòd autem idem sit, qui & temporaria hæc, & regnum cœlorum tribuit, accuratius indicat, scit, inquiens, pater vester cœlestis, vos his omnibus indigere. Quærite autem primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

Aduersus eos, qui ad dissoluendum matrimonium erãt propensiores, sibiq; ad eam rem Mosis, patrocinium assumebant, seruator egregie pugnans pro legislatore, Moses, inquit, ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores, ab initio autem non fuit sic, sed qui fecit illos, masculum & fœminam fecit eos. Ostendit igitur Mosem contentione ipsorum adductum ita scripsisse, legem autẽ suam cum prima illa procreationis lege congruere, Coniugii enim disiunctionem ab indulgentia & Mosaica dispensatione prouenisse verùm vt clarius intelligas, quis corpora ita formarit, ipse dum memorat eum, qui cõiunxit, indicat, à quo formata sint, Quod ergo, inquiẽs, Deus coniunxit, homo non separet. Quomodo igitur humanũ corpus figmentum est Mali?

Si duobus dominis seruire non licet, vt ipse Dominus ait, homo autem anima seruit bono Deo, à quo procreata fuit, corpore autem, malo, nemo hominum integre seruit Deo, & mendax videbitur ipsa veritas, cùm ea verba pronuntiabit: Venite benedicti patris mei, percipite paratam vobis regni hæreditatem. Neque enim vox illa seruatoris ad homines dimidiatos, sed ad integros, qui vnius sunt Domini figmenta, eiusq; solius serui, proferetur.

Si opinione tantum Christus factus est homo, aut carnem è cœlo sumpsit, vt isti nugantur, quomodo, cùm esset octo dierum, circuncisus est, vt antiqua iubebat lex? Hoc enim & solum satis est ad coarguendas ipsorum nugas. Quod enim fuit amputatũ, erat caro carni nostræ similis. Nam, vt Magnus ait Paulus, quoniam postea pueri communicauerant carni & sanguini, & ipse similiter eorum particeps factus est. & quia frater noster vocatus est, debuit per omnia fratribus esse similis. Cùm igitur aperte demonstratum sit, Christum verè carnem humanam ex castis & virgineis sanguinibus suscepisse, vtrum dicis, audacissime, Domini corpus esse mali principij opus, vt reliqua corpora, an impietatis superbiam euitabis?

De Deigenitrice.

IAm quomodo & Dei genitricem Hierusalem appellatis? quo scripturæ diuinæ, aut sanctorum testimonio id didicistis? præsertim cùm aperte dicat Euãgelista Mattheus, Iesu Christi autem generatio sic erat, Cùm desponsata esset mater eius Maria Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto, & quæ sequuntur? Cùm enim omnia, quæ ad ortum eius pertinent, diligenter vsque ad Magorum aduentum persecutus esset, & intrantes, inquit, domum viderunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Magnus autem Lucas altius sermonis initium ducẽs exiit, inquit, edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc autem descriptio prima facta est, præside Syriæ Cyrino, & ibant omnes, vt describerentur singuli in propriam ciuitatem. Ascendit aũt & Ioseph è Galilæa ex ciuitate Nazaret in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset ipse de domo, & patria Dauid, vt describeretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret, & peperit filium suum primogenitum & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio, quia non erat illis locus in diuersorio. Sunt etiam alia multa testimonia, quibus constat, sanctissimam virginem Mariam genuisse secundum carnem Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, & Deum tam ex euangelicis, quam ex apostolicis libris, quos solos suscipitis, reliquos improbantes. Nam & ipse seruator noster vbique se in Euangelio filium hominis vocat, habita ratione veræ matris suæ. Et D. Apostolus. Misit, inquit, Deus filium suum factum ex muliere, vt cætera omittamus. Quòd si his oppressi testimoniis Christum è cœlo corpus detulisse configent, illis occurremus ad hunc modum. Si Christi corpus fuisset cœleste, humanis affectionibus culpa tamen carentibus obnoxium non extitisset, id est, fami, & siti, & somno,

&

&c lassitudini, &c mœrori, &c lacrimis, &c cæteris eiusdem generis. Si cœlestis homo fuisset ille, cui in persona coniunctum est verbũ, nõ fuisset corruptibilis & mortalis, quemadmodũ terrena sunt corpora. Quæ enim cœlestia, viuaq; sunt, ea nec corruptionem, nec mortem sentiũt. Præterea quid opus fuit è virgine nasci, si nihil ex ea ad humanæ naturæ constitutionem accepit? Ad hæc cur cùm Apostolos docuisset, se esse hominis filium, propter veram matrẽ suam & Dei genitricem, misit eos præcones in vniuersum orbem terrarum, qui illud ipsum prædicarent, nempe se carnem humanam ex virgine suscepisse atque hominem factum esse? Ex doctrina enim istorum, qui contraria docent, deprehenditur non seruator noster, sed inimicus, nõ bene, sed male de nobis meritus, qui falsum nobis fidei fũdamentum subiecerit, suam nimirum carnis ex castis sanguinibus susceptionem, humanamq; similitudinem. Sed nobis propitius sit Deus, si tam execranda maledicta vel audire, nedum lingua proferre sustineamus. Quandoquidem & Apostolis fidem faciens ipse seruator post resurrectionem, ne se spectrum existimarent, sed ipsum verum Deum, qui ex matre virgine carnem suscepisset, videte, inquit, manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum, palpate me, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Thomæ vero vestigia clauorum, & latus ostendens firmius etiam veritatis testimonium dedit. Caro enim & ossa, & manuum, pedumq; foramina, & lateris cicatrix, veri sunt corporis propria.

Quomodo cœlestem, non autem humanam carnem Christum dicitis induisse, cùm Apostolus dicat, Qui sanctificat, & qui sanctificatur, ex vno omnes? Qua de causa, non erubescit, inquit, eos fratres appellare, nuntiabo, inquiens, nomen tuum fratribus meis. Ex vno autem, nimirum Adam, vt patet ex Lucæ genealogia. Et rursum, Quoniam pueri communicauerant carni, & sanguini, factus est eorum particeps. Et quo cœlestis carnis suspicio tolleretur, subiecit, Non enim Angelos apprehendit, sed semẽ Abrahę apprehẽdit. Quare debuit per omnia fratribus similis fieri. Et alia eiusdem generis multa. At Dominus, inquiunt, dixit in Euangelio, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Et Apostolus, primus homo de terra terrenus, secundus homo Dominus de cœlo. Ecce vtroque in loco cœlestis nominatur. Ad hæc respondemus, quia duplicem Christus naturam habebat, & vnam personam, iccirco quæ vnius naturę sunt, alteri tribuisse. Et quemadmodum Apostolus de crucifixoribus dixit, si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, nec tamen Diuinitatem passam intellexit, quæ est Domina gloriæ, sed assumptam humanitatem, sic & in his, quę dicta sunt, ipse quidẽ filius, & Deus passus dicitur, propter vnam Diuinitatis personam, quæ & humanæ naturæ persona effecta est. Sed humana natura sua passus intelligitur, è cœlo autem descendisse, & in cœlo esse propter Diuinitatis personam. Et filius hominis esse propter naturam, quam deinde suscepit post descensum è cœlo. Et rursum ipse Dominus propter vnam personam secundus est homo dictus ob assumptam humanitatem, de cœlo autem ob Diuinitatem. Nisi enim vtrunq; proprie intellexerimus, repugnantia Apostolum dicere concedemus. Quomodo enim per omnia similis nobis, qui ex terra constamus? Aut qũo frater noster, qui carnem indutus cœlestẽ sit? Et innumerabilia alia incõmoda consequentur.

Vetus testamentum, & qui in eo illustres extiterunt, esse boni Dei.

SI lex antiqua est Mali, cur nouæ legis conditor iurisperitum, qui se vitam æternam quærere simulabat, ad legem illam reiicit, atque inde quod quærebat petere monet, cumq; duo prima præcepta ille ad verbum recensuisset, veritas & ipsum ait recte respondisse, & quam quærebat, eorum obseruatione vitam assecuturum sempiternam?

Seruator, cùm ab ipso fuisset quæsitum quodnam esset primum in lege mandatum, respondit, Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus vnus est, & quæ sequunt̃. Cumq; ille, qui quęsierat, assẽsus esset, dixit, eũ haud procul abesse à regno Dei. Quomodo igitur leges Mosaicæ, si ab inimico essent latæ, vnum Deum ac Dominum nobis agnoscẽdum præscriberent? & præter illum non esse quempiam colendum & adorandum? vbi sunt, qui malum confingũt principium, eiq; vetus attribuunt testamentum?

Quid dicent, qui vetus testamentum incusant, cùm ex Euangelio Christum viderint, ea que Moses iussit, pendere, & sacrificium, vt scriptum est in lege Domini offerre?

Seruator rursum cùm iurantium stultitiam reprehenderet, stulti, inquit, & cæci, quid est maius, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Ergo veteris testamenti templum non modo erat sanctum, sed habebat etiam sanctificandi vim. Præterea, Quid maius, inquit, donum an altare, quod sanctificat donum? Plane hic etiam ostendit, altare fuisse sanctum, & quæ in ipso offerebantur, sanctificasse.

Os Christi Paulus, Nõ auditores, inquit, legis iusti sunt apud Deum, sed factores iustificabuntur. Quomodo igitur lex à verò Deo non sit, quæ illos, qui sibi obtemperant, iustos declarat?

Antiquam legem esse diuinam, & à cœlesti Deo latam veritatis præco Paulus clara voce pronuntiat, Quid igitur, inquiens, dicemus? Lex peccatum? Absit. Et rursum. Noui, quòd lex spiritualis est. Et consentio legi Dei secundũ interiorem hominem, Et rursum, Ego quidem mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati: & quæ sequuntur. Quare lex quidem, inquit, sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Nec aliud quidem sanctum, aliud iustum, aliud bonum, sed idem legis mandatum, & eiusdem Dei, & sancti, & iusti, & boni. Ex quo enim sanctitas fluit, & iustitia, & bonitas, harũ est ipse elargitor. Cùm autem, vt causa, ante omnia sit, hæc aliis impertit, non autem ipse particeps fit.

Quomodo sancta sunt, & sancta sanctorum veteris testameti, si à Malo sunt. Dicit.n. ipse Apostolus, Habebat primum tabernaculum iustificationes culturæ, & sanctũ seculare, Et tabernaculũ factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculũ quod dicitur sancta sanctorum. Quomodo igitur sancta, & sancta sanctorum, & arca, in qua vna erat aurea habẽs manna, & virga Aaron posita erat, & tabulæ testamenti? & quomodo Cherubim gloriæ obumbrabant ipsa, si inimici & mali principij hæc erant instituta?

Quæ Moses docuit, seruator appellat mãdata Dei, eaq; semper veneranda declarat, Deus inquiens, præcepit, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autẽ trangresi estis mandatum Dei propter traditionem vestram. Et hæc locutus, testem adhibet Esaiam, Bene, inquiens Propheta-

uit de vobis Esaias, Populus, inquiens, hic appropinquat mihi ore suo, & labiis me honorat. Cor autem eius longe est à me. Frustra autem colunt me. Quid ita? Quia docent doctrinas, mandata hominum. Ecce quàm aperte vetus testamentum appellet mandata Dei filius ipsius naturalis. & prophetam Esaiam prophetã eius. Vbi sunt igitur, qui vetus testamentum Malo attribuunt, & qui veteris testamenti prophetas, eiusdem esse prophetas dicunt? Et rursum alibi pacem & iustitiam in hominibus confirmans atque præcipiens. Quamobrem, inquit, omnia, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Quod quidem mandatum legis & prophetarum mentione confirmat, sic enim, inquiens, lex & prophetæ.

Sancto repletus spiritu Zacharias, sanctos, qui à seculo fuerũt, prophetas chorum sanctorum appellat, Et erexit, inquieus, cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius. Eius, nõ aũt, inimici. Quid porro prædixerũt? Meminisse Deum, testamenti sui sancti, non autem testamenti inimici. Et quo magis impiorũ ora coërceret, adiecit, iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis, vt sine timore de manu inimicorum nostrorũ liberati seruiamus ipsi, in sanctitate & iustitia. Collige, quæ dicta sunt. Spititu sancto repletur Zacharias. Quo repletus sanctos à seculo Prophetas vocat. Et Mosaicum testamentum sanctum appellat. Et libertatem nostram prædicit. Et eum qui iurauit ad Abraham libertatis elargitorem nominat. Et eos, qui ad ipsum accedunt adorandum, in sanctitate & iustitia dicit adorare. Si hæc recensuit Zacharias Spiritu sancto plenus, nónne qui contra sentiunt, malo spiritu pleni esse deprehenduntur?

Si mali vetus erat testamentũ, & qui in ipso claruerunt, cur Lucas Euangelista Zachariam & Elisabet in antiqua viuentes lege iustos coram Deo fuisse testatur, nõ autem coram hominibus? Et ambulasse in omnibus mandatis & iustificationibus sine querela, deinde Zachariam sacerdotio functum in conspectu Dei, Et legale templum, in quod ingressus est, Dei templum appellat, in eoq; Angelũ Domini apparuisse, principem illum exercitus Gabrielẽ? Ex his enim & aliis multis, quæ sequuntur, tum vetus testamentum, tum illos, qui in ipso se rectè gesserunt, Dei fuisse aperte pronuntiat.

Si male vetus est testamentum, cur eius librum, seu librum Esaiæ prophetæ, accipere voluit is, qui ad Malum euertendum venerat, eaq; multis audientibus legere, quæ de se prædicta fuerant? Neque verò solum legit, sed etiã testimonio suo comprobauit, hæc, inquiens, nunc expleta sunt in auribus vestris. Cur annum, qui est temporis circuitus, tempus autem mensura motus sensibilis, acceptum Domino prædicauit? Cur rursum in Lazari, & diuitis parabola bonus noster Dominus Mosem & prophetas salutiferæ conuersionis & pœnitentiæ magistros appellat, Habent, inquiens, Mosem & Prophetas, ipsos audiant? Is'ne qui pro communi salute humani generis naturam nostrã susceperat, eos, qui à se erudiebantur, & ab errore auocabantur, ad ministros & seruos inimici misisset, vt salutem assequerentur? Quis perferre queat istorum amentiam incredibilem?

Si Malus antiquæ legis est auctor, cur bonitatis fons ait, scrutamini scripturas, quoniam in ipsis inuenietis vitã æternam? Quo quidem loco scripturas Mosis & aliorum Prophetarum intelligit. Nondum enim erant libri nouæ gratiæ. Quonammodo æterna vita in iis, quæ à Malo lata, & præscripta sunt? Præterea cur alibi veritas dicit, Si Mosi crederetis, mihi vtiq; crederetis, de me enim ille scripsit? Non dixit, si in quibusdam Mosi crederetis, sed ipsum simpliciter dignum, cui credatur ostendit.

Si mali principij vetus est testamentum, cur Magnus Paulus in principio Epistolæ ad Romanos, prænuntiasse dicit Deum per Prophetas in scripturis suis de filio suo facto ex semine Dauid secundum carnem? Si.n. sunt Prophetæ Dei, & sanctæ scripturæ, per quas Deus prænuntiauit de filio suo, q̃uo vetus testamentam Mali potest existimari? Et Marcus ait, Initium Euangelij Iesu Christi, filij Dei, vt scriptũ est in Prophetis. Et multis in locis quatuor Euãgeliorum scriptum est illud, vt impleretur id, quod dictum est per hunc, & illum Prophetam.

Si iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis, vt Paulus Apostolus ait, qui fieri posit, vt lex & Prophetæ ex boni Dei inspiratione & veritate non sint, perfecti iudicent.

Si mali principij vetus est testamentum, q̃uo Christus seruator noster gratiam cum lege coniungens, Multi Prophetæ, inquit, & iusti cupiuerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt? Cur enim videre voluissent, qui à Malo essent, ea, quæ Boni sunt? Boni enim cupiditas à Bono nascitur. Et quomodo rursum dixit, Abraham vidit diem meum, & gauisus est? Si enim Christi Mysterium, vt Paulus ait, latuit principes, & potestates, & dominationes, earumq; imperatorem, quo pacto serui eius prẹuidisent diẽ Christi, & gauisi essent?

Operariis iniquitatis grauissima minatus supplicia in die iudicij Christus subiecit, Cùm videritis Abraham & Isaac & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem eiici foras, & venient ab oriente, & occidente, & septentrione, & austro, & recumbent in regno Dei. Expellentur igitur quicunque vitam ad Abraham, & Isaac, & Iacob, & Prophetarum imitationem non instituerint. Recumbent aũt cum illis, qui pietatis ipsorum studiosi fuerint. Q̃uo igitur latrones, & fures, & Mali fuerunt serui, qui regno Dei potiuntur? ò effrenata ora, & patri mendacij promptè seruientia, quæ ne ardorem quidem reformident, quo gaudentes cum Abraham separabuntur ab iis, qui in fornacibus punientur.

Alibi rursum seruator iis, qui cum Abraham erunt, regni cœlorum assignat hæreditatem, & cum illis collocat mandatorum suorum obseruatores, Multi, inquiens, venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Hoccine præmium illis constituit, à quibus cognitus est? Hoccine munus illis elargitur, qui sese innumerabilibus incommodis & morti propter ipsum obtulerunt, vt cum Mali seruis, siquidem eius sunt serui, qui in veteri fuerunt testamento, viuant, & numerentur, & congregent? Quis audire queat hæc, qui verba diuina solutus sit audire? Præterea quomodo Moses & Elias in trãsfiguratione visi sunt, & cum ipso colloquebantur, atque fulgebant?

Sadducæorum stultitiam reprehendens seruator, qui de illa, quæ septem fratrum vxor extiterat, quærebant, cuius esset futura, simulq; mutuum legis & gratiæ cõsensum docens, Non legistis, inquit, quod dictum est à Deo? Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, & quæ sequũtur? Quibus verbis apertè declarat Abraham, Isaac, & Iacob hæredes esse æternæ vitæ. Et Deum æternum, & resurrectionis auctorem, & gaudii, quod inde sequetur, elargitorem, eorum esse Deum. Adiecit enim, Deum nõ esse Deum mortuorum, sed viuentium. Marcus autem dixit, Hæc in libro Mosis Deum dixisse. Quòd si Deus non

est Deus mortuorum, sed cum ipso quidem viuit Abraham, viuit & Isaac, viuit, & Iacob, & omnes, qui vitam ipsorum imitati sunt, & sunt tanquam Angeli Dei in cœlo, Dei autem seruus & Moses, & legis à Deo datæ minister, quomodo à malo principio sunt, qui in veteri testamento vixerunt?

Si malę sortis fuit Propbeta Dauid, quomodo Christus eum spiritu afflatum dixit eo loco, Ait Dauid in Spiritu sancto, Dicit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, & quæ sequuntur?

Vnum esse testamenti veteris auctorem & noui.

NOlite putare, inqt, seruator, quòd venerim soluere legem, aut Prophetas. Et, Amen amen dico vobis donec trãseat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex nõ præteribit à lege, donec omnia fiant. Ego, inquit, veni, vt legem implerem. Improbarum linguarum est dicere, me venisse, quo legem soluerem, quæ patris est, atque eadem, mea. Nihil igitur prætermittam, quod non impleatur, Ego sum, qui Prophetarum verba confirmo. Nã cùm serui mei ministriq; sint ac patris mei, & aduentum meũ, & omnia, quæ ad illum pertinent, prospexerunt, & prænũtiarunt. Quamobrem nihil eorum, quæ ipsi prædixerunt, & lex continet, preteribit nec paruum, nec magnũ, quod non veritatis fine concludatur. Si enim ego minister circũcisionis ad confirmandas promsiones, quas pater fecit patribus secundum carnem, quomodo iota vnum, idest, vlla pars vel minima eorum, quæ in lege & prophetis, dicta sunt, poterit omnino præterire, aut non expleri?

Aliis item ex testimoniis agnosce parem legis, & gratię conditionem, vt eundem esse veteris, & noui testamenti auctorem intelligas. Amen amen dico vobis, cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Hoc est gratiæ, Aspice & legis testimonium, Facilius est cœlum & terram transire, quam vnum legis apicem excidere. Vidisti, quomodo seruator noster præuisa defectionis istorũ audacia paria munera gloriamq; tribuat tum veteri, tum nouo testamento? Atqui multis in rebus lex gratiam antecedit, quippe quæ pædagogi munere fungitur, ad ea, quæ gratiæ sunt, ducens. Verùm vt ostenderet eundem & præterita & præsentia, diuersa dispensationis ratione constituisse, eodem & pari loquendi modo de vtroq; locutus est testamento. Quid? quod aduersus illos qui salutiferis documentis suis non obedirent, Mosem & non alium accusatorem constituit? Est, inquit, qui vos accuset, Moses, apud patrem nimirũ, cuius leges & prophetia de Christo, cùm ipsi creditæ fuerint, dignus erit accusator, & testis eorum, qui leges eius sibi colendas amandasq; censuerint, & qui nihil eorum, quæ ab ipso de communi Domino & seruatore nostro prædicta sunt, susceperit. Quod quidẽ caput, & fundamentum, & principiũ totius est veteris testaméti.

Cum veteribus noua cõiungens Dominus, ostendésq; ea ad eandem salutis viam deducere, quippe quæ ab vno eodemq; auctore profecta sint, veteraq; ad perfectionẽ dirigere, noua autem perfectionem elargiri, Ideo inquit, oĩs scriba doctus in regno cœlorũ, similis est homini patri familias, q profert de thesauro suo noua & vetera. Docens enim in eodem esse thesauro, & ex eodem promi nouum & vetus testamentum, ea inter se cõsentire & congruere, non autem discrepare confirmat. Ostendens autem vtriusque doctrinam ducere ad regnum cœlorum, multo etiã magis cõsensum eorũ nulla in re diuersum indicat. Quamobrem si vtrunque testamentum in eodem thesauro seruatur, ex eodemq; depromitur, & ad idem regnum cœlorum ducit, quomodo ea contrarias in partes distrahunt aduersarij?

Si Mosaica & prophetica scripta à diuino spiritu profecta non sunt, cur seruator ex illis aduersus Cleopham, alterumq; discipulum post resurrectionem sumit reprehensionem, ò stulti, inquiens, & tardi corde ad credẽdum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nónne hæc pati Christũ oportuit, & intrare in gloriam suam? Et incipiens à Mose, & omnibus Prophetis interpretabatur eos, in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Redemptor noster recenset prophetas vt indices operũ, quibus nos à Mali tyrannide liberauit, & tu eos tyrannidis ministros audes appellare? Atque hoc item ex loco constat, legem & prophetas cum gratia conuenire.

Quoniam lex cum gratia consentit, iccirco sese vicissim confirmant. Gratia enim prænuntiatur, & effingitur, & exprimitur, & velis adumbratur à lege. Lex autem, iis, quæ prædicta, & prænuntiata sunt, ad opus per gratiam deductis, veritatem in se sub velis absconditam, ab ipsa pate factam intuetur. Quòd si inter gratiam & ea, quæ fuerunt ante gratiã, cõsensus non est, quomodo quæ à lege & Prophetis prædicta sunt, re ipsa perfecta cernimus? Cur seruator noster leprosos à se mũdatos ad legis sacerdotes mittit, iubens, vt eant, & ostendant se illis, sicut lex præcipit, & quod grauius est, offerant munus, vt Moses instituit.

Diuus Paulus propheticas prædictiones in testimoniũ adducens, Ecce, inquit, veniunt dies, & consumabo super domum Israël, & super domum Dauid testamentum nouum non iuxta testamentum, quod feci patribus eorum in die, cum apprehendi manum ipsorũ, & eduxi eos ex Aegypto. Quod feci, inquit, ego nimirum, non autem Malus, vt tu dicis. Deinde, ipsi non manserunt in testamento meo, & ego neglexi eos. Quis hic loquitur? Dominus, an Malus? Dominus vtique, Addit enim, Hoc testamentũ, quod ponam domui Israëlis post dies illos. Dicit Dominus, Ponam ego, & non alius. Ponam ego nouum, qui posui & vetus. Vides, quomodo supra, & infra eundem tum veteris, tum noui testamenti Paulus auctorem celebret?

Neque verò admirabilem Abrahæ victimam non immolatam, silentio præterieris. Hanc enim Deus postulauit, & animam offerentis complexus est. Ille autem non solum paruit, verùm etiam credidit, Deum etiam posse mortuos in vitam reuocare. Iccirco reputatum est illi ad iustitiam, patrisq; nomen accepit, nõ illius tantum generationis, sed aliarum etiam, quæ sunt consecutæ, sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium posui te, ante Deũ, cui credidit. Et animaduerte diligenter, cuinam Deo. Sequitur enim Paulus & docet, qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint. Et rursum in repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confirmatus est fide, dãs gloriam, Deo. Vides, quis sit is, qui locutus est in lege & Prophetis? nemo. n. alius, nisi ille, q largitus est nobis gratiam. Sequitur enim, Non est scriptum autem propter ipsum solum, sed etiam propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis. Ille igitur, qui patrem multarum gentium Abraham constituit, Qui iureiurando ei promisit, Qui in promissis mendax non est, Qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint, ipse est, qui suscitauit Dominum nostrum à mortuis, licet perniciosi desertores isti aliter sentiant, & principium vnum, quod diuidi non potest, in duo distrahant.

Vnius esse Dei vetus, & nouum testamentum Paulus docẽs, recte hoc ex illius radice profectum dicit. Et si pri-

mitiæ sanctæ, & massa. Et si radix sancta, & rami. Et tu radicem non portas, sed radix te. Et si Deus naturalibus ramis non pepercit (ceciderunt enim tentantium pedes in deserto, & multæ aliæ calamitates noxios inuaserunt) ne tibi quidem parcat. Non alius illis, alius tibi, sed idem. Et rursum, Vide bonitatem & seueritatem, Cuius? Christi: Seueritatem quidem in eos, qui ceciderunt, In te autem bonitatem. Quid autem sibi volũt primitię, & massa, & radix, & rami, & naturales, & insiti, nisi mutuam quandam cognationem? Quibus ex verbis apertissimæ vnus & idem esse legislator declaratur.

Alibi dicit, Circuncisus aliquis vocatus est, nõ adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est, non circuncidatur. Circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Vnius nimirum, non autẽ duorum Mandatorum porro vnum iubet circuncidi, alterum vetat. Vtrunque autem ad eundem refer Deum. Quamobrem vnus est Deus verus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui & circunsionem per Abraham in mysterio pfectionis dedit temporibus præfinitis, & eos, qui in præputio erant, per filium suum suscepit.

Animaduerte mihi sapientiam Pauli, quomodo veteris & noui testamenti discrimen ostendat. Verùm cùm descr torum istorum hæresim prospiceret, illius omnes amputãs nugas, hæc statim addidit, Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Omnia, inquit, tam recens nimirum q̃ vetus testamentum ex Deo, q nos sibi conciliauit per Dominum nostrum Iesum Christum.

Ioãnes aduentu boni Dei dignus effectus, & plusquam propheta, & quo inter natos mulierum maior non surrexit testimonio ipsius veritatis, quomodo pro legis mandato sibi pugnandum existimauit, præsertim cùm gratiæ prę cursor missus fuerit? Neque verò pugnauit solum, sed capite pro illo damnatus est. Vnde enim, nisi ex lege sumpsit, vt Hærodem reprehenderet, diceretq́;, non licet tibi habere vxorem fratris tui? Vides igitur, quanti fecerit mandata legis ille, qui dignus effectus est, vt auctorem gratiæ baptizaret. Nam si præcepta Mosaica, & euangelica instituta, non sunt eiusdem diuinæ & bonæ inspirationis, quomodo ipse minister gratiæ illa nõ aspernatur? præsertim cùm Dominus dicat, Nemo potest duobus dominis seruire, & quæ sequuntur. Ipse enim precursor Ioannes vna cum Prophetarum cætu duobus Dominis deprehenditur inseruire, si duorum dominorum vnius boni, & alterius mali nouum esse concedimus, & vetus testamentum.

Magnus ille præco veritatis Paulus clara voce clamat; Num secundum hominem hæc loquor? An non & lex dicit? Idest non argumentis humanis hæc confirmo. Nónne & legis mandato præscripta sunt? In lege enim Mosis, inquit, scriptum est: Non alligabis os boui trituranti. Et his dictis subiicit, Nunquid de bubus cura est Deo? Quos autem magis curet, addit. Propter nos autem omnino dicit, & propter nos scriptum est. Quare commune decretum in veteri lege & in gratia versatur. Deinde naturalem & certissimam patris & filij similitudinem ex legis similitudine ostendit, Quemadmodum, inquiens, præceptum fuit, vt qui altari seruiunt, participes sint altaris, sic & Dominus præcepit, vt qui nuntiant Euangelium, ex Euangelio viuant. Necessitudinem rursum & cognationẽ legis & gratiæ clarius ostendens, Nolo, vos, inquit, ignorare, fratres, quòd patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare trãsierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eũdem cibum spiritualem biberunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim ex spirituali sequente petra, petra autem erat Christus. Audis, quomodo Christus patrum populum, idest, suum potauerit? Et quomodo pater ducebat Israëlem ad filij agnitionem, & adorationem? per quos autem? per Mosem vtique & prophetas. Vbi igitur hic Malus? vbi mali principij opus? Vbi leges partis contrariæ? Post autẽ dicit, Neque tentemus Christum, sicut quidam ipsum tentauerunt. Quinam? nempe populus Israëlita. Et quæ supplicia? A serpentibus perierunt. Quamobrem qui Deum in lege tentauerunt, ij per patrem tentarunt filium.

Ad Hæbreos scribens Paulus, Multifariam, inquit, multisq́; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in filio. Ecce eundem Deum, & non alium olim in Prophetis locutum dicit, post autem in filio. Qui nouum testamentum in filio largitus est mundo, idem & in Prophetis vetus instituit. Quonam igitur modo istorum error vnum veteris, & alterum noui testamenti fingit auctorem?

Rursum idem Apostolus ait, Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum Christum, qui fidelis fuit ei, qui fecit se, nempe pontificem. Deinde quò fidelis fuerit, explicans, per Mosem ostendit. Quemadmodum Moses, inquit, in tota domo eius. Cuius domo? Illius nimirum, qui fecit pontificem Dominum nostrum Iesum Christum. Deinde incomparabilem Domini cum seruo differentiam demõstrans adiecit, Quia maiore gloria hic, q̃ Moses dignus fuit, quanto maiorem honorem habet domo is, qui fecit eã. Omnis.n.domus ædificatur ab aliquo, qui autem omnia facit, est Deus. Ecce Christus filius boni patris. Moses autem seruus eius, nec simpliciter seruus, sed fidelis. Et rursum, Qui aũt omnia facit est Deus, qui & habitaculum construxit terrenæ domus ipsius.

Idem ipse doctor orbis terrarum dicit vocatum esse à Deo pontificem Aaron, sicut & Christum. Nemo, inquit, sibi ipse honorem sumit, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non se ipse glorificauit, vt Pontifex fieret, sed qui vocauit eum, filius meus es tu ego hodie genui te. Quòd si is, qui Christum vocauit, pontificem, ipse est, qui & per Mosem vnxit Aaron, & neuter se ipsum põtificem declarauit, sed qui vocauit eos, quomodo & noui & veteris testamenti tum opera tum leges non sunt vnius & eiusdem Boni?

Tu mihi Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & ipsum Mosem, ac reliquos veteris testamẽti præclaros viros collige, quos Paulus in numero iustorum cum laude collocat, & fidem ipsorum celebrat. Nam de Mose quidem illud adiungit, quod & opprobrium Christi sustinuit. Maius.n.vt propriis ipsius verbis vtar, thesauris Aegyptiorum existimauit opprobrium Christi. Et causam adiungit. Respiciebat enim ad remunerationem, quam nimirum ipsi poterat Deus tribuere. Et quid oportet, inquit, cœli incola Paulus anteuertens, viros enumerare? Narrantem me tẽpus ipsum deficiet de Gedeon, Barac, Sampson, Iepte, Dauid, Samuel, & prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam adepti sunt repromissiones, obstruxerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate. Deinde sacris ipsorum & admirandis operibus commemoratis, vitaq́; in solitudine transacta, & fortitudine, subiicit, Quibus dignus non erat mundus. Neque hoc contentus, sed nos ad eorum imitationem incitans, & eorum exemplo ad virtutem cohortans addit, tantam habentes circũpositam nobis nubem testiũ, deposito omni tumore, & circunstante peccato per patientiam curramus ad propositũ

nobis certamen respicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui est Dominus noster Iesus Christus, qui & fidei, in qua strenui & stabiles permanserunt patres nostri, factus est princeps, & illorum, ac nostræ salutis auctor.

Hic Apostolus & alibi legem Mosaicam ita celebrat, vt Dei verbtm, quod non intercidit, esse dicat. Non enim excidit, inquit, verbum Dei. De Iacob autem & Esau verba faciens, quòd maior seruiet minori, tum recentes, tum veteres erroris ministros coarguit. Ait enim, Nunquid in iustitia est apud Deũ? Absit. Quomodo enim dicit Mosi, Miserebor, cui misereor, Et misericordiam præstabo, cui misereor? Ac ne quis existimet se propriis laboribus & sudoribus sine diuino auxilio perfecta exequi virtutum officia, cohibet humanam arrogantiam, & dicit ipsum Deũ esse misericordiæ fontem in eos, qui ad ipsum respiciunt, eos autẽ, qui supercilium tollunt, coarguere & gloriosam ipsorum superbiam deprimere. Porro Deum ipsum, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, benignum & bonum appellat, eiq; omnes obedire dicit & propriis rationibus neminem ab arcana illius gubernatione sese subtrahere. Sic enim ait ò homo, tu quis es, vt respondeas Deo? Mox eum opificem procreatoremq; nostrum aperte demonstrat esse, nec solum procreatorem, verùm etiam iudicem liberum & Dominum qui possit cuique tribuere, quæ iudico decreuerit suo. Itaque iram suam exercere in vasa parata ad interitum, diuitias autem gloriæ suæ largiri illi, qui misericordia ipsius sunt digni. Cuius & nos dicit esse participes, qui præparati sumus, & vocati ad eius bona perfruenda, qui credidimus in Dominũ nostrum Iesum Christũ.

Alibi verò sine pœnitentia esse scribens gratiam veri Dei, & eius esse populum Israëlitam & legem & mandata, nec omnes propter paucorum culpam repudiasse, vt sibi non essent filij, sic ait, Nũquid reiecit Deus populum suũ? Absit. Non reiecit Deus populum suum, quem præsciuit. Et perspicue demonstrans, quem Deum dicat, & vnde planum fiat, Deum non repudiasse populum suum, Nam & ego, inquit, sum Israëlita, ex semine Abraham, de tribu Beniamim. Quare qui Paulum non repudiauit, sed vocauit ipsum ad electionem, hic est, qui & Israëlem fecit populum suum, & nõ repulit eum, sed per fidem in Christũ perfecit.

Veritatis splendorẽ patefaciens D. Apostolus, nosq; vt mundi simus, & ab immundis seiungamur adhortans, vt qui in Dei filios & filias adoptati simus, Nam, & vos, inquit, eritis mihi in filios, & filias, & eum, qui promisit hæc, indicat, nempe Deum omnipotentem. Adiungit etiam illos, quibus promissiones factę sunt, nobis nimirum per patres. Dicit enim, Has igitur habentes promissiones, Charissimi emundemus nos ab omni inquinatione carnis & spiritus perficiẽtes sanctificationem in timore Dei. Nobis igitur hæc promissa sunt, quæ à patribus duxerunt initium, & cujus Dei est ille populus, eiusdem & nos sumus. Et quẽ admodum in veteri testamento homines mundi templum erant Dei sic & in nouo qui mundi sunt, eiusdem sunt Dei templum.

Multa præterea nugantur istius hæresis doctores & vindices, quæ nec fidelium auribus percipi, nec piorum lingua possunt explicari. Cùm enim fides ipsorum ab errore principium sumpserit, in omnibus deinceps aberrauerũt. Capita tamen hæreticarum opinionum & fundamenta, & radicem, & fontẽ quodammodo demonstrabimus. Quæ religionis & pietatis doctrina ab initio ad hoc vsque tempus redarguit, & tanquam araneæ telas disiecit atque dissoluit, & ipsorũ tenebris discussis veritatem ostendit. Quæ verò prætermissa sunt, facile eisdem rationibus, quibus reliqua confutauimus, euertentur. Si enim qui hæresis veneno sunt infecti, resipiscent, ex grauiorum capitum confutatione, reliqua cognoscent. Nam in rectam deducti viã, facile omni mendacio tanq̃ offendiculo, & impedimẽto sublato, reiectoq;, in omnem venient veritatem. Quòd si cæci esse voluerint, claudicabunt adhuc, mendacioq; protecti contra semetipsos fortiter agẽt, & ab erroris spiritu deficere recusabũt. Atq; ita rursum superuacanea erit subtilior eorum, quæ, restant, explicatio. Putridis enim fundamentis in cassum aliquid superstruxeris, stulteq; laborem susceperis. Verùm quoniam & crucem venerabilem despiciunt, & diuinum baptismum contemnunt, & sacram mystice cænę transumptionem irrident, & de his quoque aliquid ex Beatorum Patrum libris depromptum immedium afferemus.

Damasceni de cruce.

CRucis sermo pereuntibus stultitia est, nobis, qui seruamur, virtus est Dei. Homo enim spiritualis omnia diiudicat, animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus. stultitia enim sunt iis, qui fide non suscipiunt, bonitatemq; & omnipotentiam Dei non considerant, sed humanis rationibus & naturalibus diuina scrutantur. Omnia enim, quæ Dei sunt, naturam, & rationem, cogitationemq; superant, Nam si quis cogitauerit, ex nihilo Deum omnia procreasse, & cuius gratia naturaliq; ratione id inuestigare voluerit, non assequetur. Hæc enim cognitio animalis est, & dæmoniaca. Sin aliquis fide duce bonitatem, & omnipotentiam, & veritatem, & sapientiã, & iustitiam, Deum esse considerauerit, cũcta facilia, & plana, & viam rectam inueniet. Sine fide enim nulla salutis est spes. Fide enim & humana & spiritualia cuncta consistũt. Nam nec agricola sine fide terrę sulcum infindit. Nec mercator paruo ligno vitam furente maris pelago sine fide cõmittit. Non nuptiæ, non aliud quicquam eorum, quæ sunt in vita sine fide est. Fide res vniuersas Dei virtute ex nihilo procreatas intelligimus. Et fide omnia diuina humanaq; recte exequimur. Fides autem est assensus minime curiosus. Omnis igitur Christi actio, & miraculorum effectio maxima, & diuina, atque admiranda est, sed maxime omnium admirabilis est pratiosa ipsius crux. Nulla enim alia ratione mos destructa, primi parentis peccatum deletũ, Infernus spoliatus, resurrectio donata, virtusq; nobis fuit, qua præsentia mortemq; despiciamus, reditus ad pristinã beatitudinem concessus, fores paradisi patefactæ sunt, natura nostra à dextris Dei sedit, filij Dei, & hæredes facti sumus nisi per crucem Domini nostri Iesu Christi. Per hanc enim hęc omnia facta sunt. Quotquot enim, vt D. ait Apostolus, in Christum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. Et quotquot baptizati sumus, Christum induimus. Porro Christus est Dei virtus, & Dei sapientia. Ecce Christi mors, seu crux nos veram Dei virtutem & sapientiam induit. Virtus autẽ Dei est sermo crucis. vel quòd potentia Dei, seu victoria de Diabolo per ipsam nobis patefacta est, vel quòd quemadmodum quatuor crucis extrema per medium centrum comprehenduntur, & copulantur, sic per Dei virtutem & sublimitas, & profundum, & longitudo, & latitudo, siue res omnes procreatæ continentur: Hoc nobis in fronte datum est signum, quemadmodum & Israëli circuncisio. Hoc enim nos fideles ab infidelibus separat atque distinguit. Hoc est scutum, & telũ, & trophæum aduersus Diabolum. Hæc est nota, vt nõ tangat nos exterminator. Hæc est iacentium excitatio, stan-

tium firmamentũ, baculus imbecillium. Pastorum virga, resipiscentium dux, proficientium perfectio, animæ salus & corporis, malorum omnium auersio, bonorum omniũ causa, peccati destructio, arbor resurrectionis, lignum vitæ sempiternæ. Hoc, inquam est præclarũ illud lignum ac venerandum, in quo se ipsum pro nobis sacrificium Christus obtulit, eiusq; sancti corporis & sanguinis attactu sanctificatum est, merito adorandum vna cum clauis & lancea, & vestimentis, & sacris eius tabernaculis, quæ sunt præsepe, & spelunca, Golgotha, salutiferum & vitale sepulchrum, Sion Ecclesiarum arx, vt D. pater Dauid ait, Introibimus in tarbernacula eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Quibus verbis crucem significat, vt ex eo, quod sequitur, patet, surge, Domine, in requiẽ tuã, sequitur enim crucem resurrectio. Nam si amantium domus amabilis est, & lectus, & vestis, quanto magis ea sunt amabilia, quæ Dei seruatorisq; sunt, quibus & seruati sumus? Cæterum & si venerandæ crucis figuram, ex quacũque materia constet, adoramus, nõ tamen adoramus materiam, absit, sed figuram, vt Christi notam. Dixit enim discipulis suis crucem designans, tunc apparebit signum filij hominis. Quamobrem & resurrectionis nuntius ad mulieres, Iesum inquit, Nazarenum quæritis, crucifixum. Et Apostolus, Nos autem prædicamus Christum crucifixum. Multi sunt Christi, & Iesus, sed vnus ille crucifixus. Non dixit, lancea vulneratum, sed crucifixum. Adorandũ igitur est signum Christi. Nam vbi signum est Christi, illic & ipse erit. Materia verò, ex qua crucis figura cõfecta est, etiam si aurum sit, aut lapides pretiosi, si forma ipsius dissoluatur, adoranda non est. Omnia igitur, quæ Deo tributa sunt, adoramus, atque ita pietatis cultum exhibemus. Venerabilem hanc crucem vitæ lignum in Paradiso plantatum præsignauit. Quando enim per lignum mors, oportebat & per lignum vitam resurrectionẽq; donari. Iacob manibus commutatis benedixit filiis Ioseph. Mosis virga in crucis figura mare percussit, & Israëlem conseruans, obruit Pharaonem: Manus in crucis speciem extensæ, Amalec in fugam verterunt. Ligno amara aqua dulcis effecta est. Et virga fracta petra aquas emisit. Serpentis trophæum in ligno sublatum est, Magno illo Mose clamante, Videbitis vitam vestram in ligno suspensam ante oculos vestros.

De sancto Baptismo. Magni Basilii ex triginta capitibus ad Amphilochium Iconii Episcopum.

QVomodo igitur sumus in similitudine mortis eius consepulti cum ipso per baptismum? Quis igitur est sepulturæ modus, & quæ vtilitas ex imitatione? Primùm quidem est necessarium, & vitæ prioris series interrumpatur. Quod assequi nequeunt, nisi qui de supernis nati sunt, vt Dominus ait. Regeneratio enim, vt ipsa vox indicat, alterius vitæ initium est. Quamobrem vt alteram incipias, priori finem imponas necesse est. Quẽadmodum enim in iis, qui cursum reflectunt, status quidam & quies contrarios motus intercipit, sic & in mutatione vitæ necessarium videtur, vt mors inter vtraque vitam intercedens, præcedentibus finem imponat, & sequẽtibus principium exhibeat. Quõ igitur descensum ad inferos dirigemus? Imitantes sepulturam Christi. Eorum.n. qui baptizantur, corpora in aqua quodammodo sepeliuntur. Itaque baptismus figuratè operum carnis depositionem significat, ex Apostoli sententia dicentis, Circuncisi estis circuncisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, in Christi circuncisione consepulti cum ipso in baptismo. Et est tãquam expurgatio animæ à sordibus, quæ illi adsunt ex carnis sapientia. Sicut scriptum est, Lauabis me, & super niuem dealbabor. Iccirco nõ abluimur ad singulas inquinationes. Sed vnum nouimus baptismũ salutarem. Qm̃ vna est pro mundo mors. Et vna à mortuis resurrectio. Quarum figuram Baptismus gerit. Cuius rei gratia qui vitam nostram regit Dominus Baptismi fœdus nobis instituit, quo mortis vitæq; figura continetur. Mortis enim aqua explet imaginem. Vitæ autem pignus spiritus præbet. Quare quod quærebatur, cur aqua cum spiritu assumeretur, ex his patefactum est. Cùm enim duo in baptismo proposita sint, nempe vt deleatur corpus peccati, ne amplius morti fructum ferat, & spiritui viuat, ac fructũ habeat in sanctitate, aqua mortis imaginem gerit, cùm tã quam in sepulchro corpus accipiat, spiritus autem vitalẽ virtutem iniicit, dum à mortalitate ex peccato prouenientе animas nostras ad vitam pristinam renouat. Hoc igitur est de supernis nasci ex aqua & spiritu, cùm in aqua perficiatur mortificatio, & vita nostra per spiritum instauretur. Ternis igitur immersionibus, ternisq; appellationibus magnum Baptismi mysterium peragitur, vt & mortis figura exprimatur, & diuinæ cognitionis doctrina, eorum, qui baptizantur animæ illustrentur. Quamobrem siqua gratia est in aqua, ea non ex aquæ natura, sed ex spiritus præsentia prouenit.

Theologi ex oratione, qua ad Baptismum cohortatur.

CVm autem duplices simus, hoc est, ex anima corporeq; constemus, quorum alterius natura sub aspectum cadit, alterius non cadit, duplex item est expiatio, per aquam nimirum & spiritum, quarum altera ratione corporea visibiliq; percipitur, alter ratione incorporea, atque inuisibili concurrit. Illa figurate, hic verè etiã profunda expurgat. Qui cùm primæ generationis adiutor fuerit, nouos ex veteribus, & diuinos ex tẽporariis reddit, sine igne refingens, & sine cõfractione recreans. Nam, vt rem breuiter complectamur. Baptismi virtus nihil aliud est, nisi alterius vitę, puriorisq; viuendi rõnis fœdus, quod inimus cum Deo. Quamobrem in primis metuẽdum est, & omni cura custodienda est anima cuique sua, ne in hoc, quod professi sumus, mendaces reperiamur. Nam si pacta, quæ cum hominibus facimus, Deus medius adhibitus rata habet, atque confirmat, quantum instabit periculum, si ea, quæ ipsi Deo polliciti sumus, violabimus? nosq; non solum aliis criminibus, sed hoc etiam mendacio, obstringemus veritati? Præsertim cùm alia non detur regeneratio, neque refectio, neque pristinum in statum restitutio, licet eam maxime multis gemitibus & lacrimis, ex quibus vt ego quidem sentio, atque statuo vix cicatricis obductio sequitur, inquiramus? Sequit̃ enim, idq; credimus. Quod si cicatrices deleantur, præclare nobiscum agitur. Quando quidem & ipse humanitatis indigeo.

Gregorii Nissæ Pontificis ex oratione cathechetica, item de Babtismo.

VErùm quia mysticæ doctrinæ pars est etiam lauacri institutio, hoc tu vel baptismum, vel illustratione, vel regenerationem appelles licet, nulla enim inter nos de nomine erit differentia, operæ pretium erit, vt de hoc etiã pauca percurramus. Cùm enim à nobis audiuerint,

rint, quod mortale est, ad vitam transire, audiant esse consentaneum, vt cùm prima generatio ad vitam mortalem ducat, altera generatio reperiatur, quæ nec incipiat à corruptione, neque in interitum desinat, sed genitum ad vitã ducat immortalem. Vt quoniam ex mortali generatione necessario nascitur, quod est mortale, sic quod ex generatione, quæ non sentit interitum, nascitur, præstantius sit, q̃ vt interitum ex morte patiatur. Hæc & similia cùm intellexerint, modumq; didicerint, nempe precationẽ ad Deum & gratiæ cœlestis inuocationem, & aquam, & fidem esse, quibus regenerationis mysterium expleatur, haud facile adducuntur, vt credant, respiciunt enim ad id, quod cernitur, nec promissioni putant respondere, quod ratione corporea peragitur. Quomodo enim, inquiunt, fieri potest, vt preces, & diuinæ virtutis inuocatio in aqua facta vitæ sit causa iis, qui initiantur? Ad quos nisi admodum obstinate se habent, pro instituti huius approbatione simplex satis erit responsio. Nos enim vicissim quæremus quomodo fiat in carne generatio. Nam cùm omnibus manifestum sit, illud hominem fieri, quod constituendi animalis gratia iniicitur, nulla tamen afferri ratio potest, qua id vt efficiatur, probabiliter persuaderi queat. Quid enim commune habet hominis definitio, si cum illa, quæ cernitur, qualitate comparetur? Homo enim ratione præditus est, & cogitandi vim habet. Illud autem in humida quadam consistit qualitate. Nec amplius quicquam eo, quod cernitur, cogitatione precipitur. Quod igitur consentaneum est, vt illi nobis respondeant, dum ab ipsis quærimus, qui fieri possit, vt ex eo homo constituatur, id item nos respondebimus, cùm ex nobis quærunt, quo pacto fiat per aquam regenaratio. Illic enim promptum est vnicuique respondere, diuina virtute illud hominem fieri, quod alioquin immobile inersq; sit, nisi illa adsit. Quamobrem si illic non quod subiectum est, hominem facit, sed diuina virtus in hominis naturam mutat id, quod cernitur, nónne summæ inscitiæ sit, tantam in ea re Dei virtutem esse confiteri, in hac autem eundem esse tam imbecillum, vt quod vult, explere non possit? Quid commune, inquiunt, habet aqua cum gratia? Quibus nos contra, quid habet commune humiditas cum imagine Dei? At illic mirum non est, si Dei voluntate in animal præclarissimum humiditas commutatur. Et hic nos item dicimus, non esse mirum, si diuinæ virtutis præsentia ad incorruptionem redigit id, quod in natura corruptibili natum est. Quærunt rursum, vt demonstremus, Deum qui inuocatur, præsto esse ad ea, quæ fiunt, sanctificanda. Respondemus ad hoc demonstrandum id esse satis, quòd constet, virtutem, quæ nobis per carnem apparuit, verè diuinam esse. Cum enim demonstratum fuerit, Deum esse, qui in carne declaratus est, quiq; miraculis efficiendis naturam suam ostendit, simul etiam demonstratum est, eum iis, quæ fiunt, adesse, quoties inuocatur. Quemadmodum enim singulis rebus quædam inest proprietas, quæ naturam illarum tanquam nota quædam declarat, ita naturæ diuinæ propria & veritas. Quare cùm pollicitus sit, se, cùm inuocatus fuerit, affuturum, & in medio credentium esse, & in omnibus manere, & cum vnoquoque esse, alia demonstratione non indigemus, vt ostendamus Deum iis, quæ peraguntur, adesse, cùm illum ex miraculis Deum esse cediderimus; proprium autem diuinitatis sit, vt nullum habeat commercium cum falsitate, & in veritate promissionis consistere, quod nobis mandatum est, minime dubitemus.

Damasceni, item de Babtismo.

CONfitemur autem vnum Baptisma in remissionem peccatorum, & in vitam æternam. Baptisma enim Domini mortem ostendit. per Baptisma enim sepelimur cum Dominuo, vt D. ait Apostoius. Quemadmodum autem Domini mors semel impleta est, sic etiam semel oportet nos baptizari, idq;, vt Dominus ait, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, discentes confiteri patrem, & filium, & Spiritum sanctum. Quicunque igitur in patrem, & filium, & Spiritum sanctnm baptizati, rursum baptizantur, in Christum, vt D. Apostolus inquit, iterum crucifigunt, Qui verò in sanctam Trinitatem bapitzati non sunt, eos oportet baptizari. Quanuis enim D. etiam Apostolus dicat, nos in Christum, & mortem ipsius esse baptizatos, non tamen baptismatis inuocationem ita faciendam proponit, sed indicat Baptisma mortis Christi figuram esse. Tribus enim immersionibus Baptisma significat tres Christi sepulturæ dies. Itaque baptizari in Christum indicat credentes in Christum baptizari. Fieri autem non potest vt in Christum quis credat, nisi teneat confessionem in patrem, & filium & Spiritum sanctum. Christus igitur & filius Dei viuentis, quem pater vnxit Spiritu sancto, vt ait Dauid, Propterea vnxit & Deus oleo exultationis præ participibus tuis. Et Esaias ex persona Domini, spiritus Domini super me, propter quod vnxit me. Inuocationem verò ipse Dominus docens, Baptizantes, inquit, eos in nomine patris & filij, & Spiritus sancti. Nos enim Deus ad immortalitatem procreauit, sed cùm à salutari mãdato recessissemus, nos morte multauit, verùm ne malum perpetuum foret, vt clemẽs ad seruos descendit, & talis factus, quales nos sumus, ab interitu nos morte propria vindicauit, & nobis è sancto immaculatoq; latere remissionis fontem effudit, aquam quidem ad regenerationem, peccatiq; & mortis emundationem, sanguinem verò in potum, qui vitam nobis æternam conciliaret. Præcepit autem, vt per aquam & spiritum regeneraremur cum precibus & inuocatione, spiritu ad aquam accedente. Cùm enim duplex sit homo, vt qui ex anima constet & corpore, duplicem nobis per aquam & spiritum dedit emundationem, cum & spiritus in nobis id, quod ad imaginem factum est, renouet, aqua autem per gratiam spiritus corpus expiet à peccato, & ab interitu liberet, & aqua mortis imaginem expleat, spiritus autem vitæ pignus exhibeat. Ab initio enim spiritus Domini ferebatur super aquas. Et diuina scriptura testimonio probat suo, aquæ inesse expiationem. Nam tempore Noë per aquam Deus mundi peccatum abluit. Per aquã omnis mundus mandato legis expurgatur. Et ipsa vestimenta aqua mundantur. Ostendit Elias spiritus gratiam aquæ commixtam esse, dum aqua combussit holocaustum. Et omnia ferè in lege mundantur aqua. Quæ videntur enim, sunt eorum, quæ intelliguntur, indicia & notæ. Regeneratio enim in anima fit, nam fides efficit filios, quanuis simus res procreatæ, & per spiritum ad pristinam reuocat beatitudinem. Nã peccatorum remissio pariter omnibus per baptismum tribuitur. Spiritus autem gratia pro fidei, & expiationis, quæ præcessit, portione. Nunc igitur per baptismum primitias spiritus accepimus, & alterius vitæ principium fit regeneratio, & sigillum, & custodia, & illustratio. Sed oportet, vt totis viribus tuto seruemus nos puros ab immundis operibus, ne more canum ad proprium vomitum reuertentes peccati nos iterũ ser-

uos cõstituamus. Fides.n.sine operibus mortua est. Nam vera fides ex operibus probatur. Baptizamur in sanctam Trinitatem, qm̃ qui baptizantur, sancta indigent Trinitate, vt consistant, & perseuerent. Nec fieri potest, quin simul adsint tres personæ. Distrahi enim Trinitas sancta non potest. Primum baptisma diluuij fuit ad peccati amputationem. Per mare atque nubem secundum. Signum enim spiritus erat nubes, mare autem aquæ. Tertium legis. Omnis enim immundus aqua mundabatur. Lauabat vestimenta sua, & sic ingrediebatur in castra. Quartum Ioannis, quod initiabat, & eos, qui baptizabantur, ducebat ad pœnitentiam, vt in Christum crederent. Ego enim, dicebat, baptizo vos aqua, qui autem post me venit, ipse baptizabit vos in spiritu & igne. Purgabat igitur Ioannes per aquam ad spiritum præparans. Quintum Domini, quo & ipse baptizatus est. Baptizatus est autem, non quòd ipse egeret expiatione, sed vt meam sibi emũdationem ascisceret, vt in aqua draconum capita confringeret, vt peccatum ablueret, & totum veterem Adam in aqua sepeliret, vt baptizantem sanctificaret, vt legem impleret, vt Trinitatis mysterium patefaceret, vt se formam nobis & exemplar ad baptismum suscipiendum præberet. Nos vero Domini perfecto baptismo per aquam & spiritum baptizamur. Igne autem baptizare dicitur Christus, quoniam in specie ignearum linguarum Spiritus sancti gratiam in sanctos Apostolos effudit. Vt ipsemet Dominus ait, Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu sancto & igne non post multos hos dies, aut propter futuri ignis baptisma, quo supplicium inferetur. Sextum per pœnitentiam, & lacrimas verè laboriosum. Septimum per sanguinem & martyrium, quod quidem & ipse Christus pro nobis suscepit, eo magis venerandum ac beatum, quòd nullis postea maculis inquinatur. Octauum & extremum, quod nullam salutem affert, sed malitiam duntaxat tollit. Nullum enim amplius peccatum vigebit, sed ab eo sine fine punietur. Corpora specie tanq̃ columba descendit Spiritus sanctus super Dominum, vt nostri baptismi primitias ostenderet, & corpus eius honoraret, quod quidem corpus Deificatione Deus est, Et simul quia columba eo munere fungi ante solita est, quippe quæ diluuij finem annuntiauit. Iam super sanctos Apostolos in ignis similitudinem descendit, quia Deus est. Deus autem est ignis consumens. Oleum in baptismo sumitur, quod vnctionem significat, nosq; Christos, id est, vnctos efficit, & Dei misericordiam nobis per baptismum nunciat, quoniam & columba illis, qui à diluuio seruati fuerant, oliuæ ramum attulit. Baptizatus est & Ioannes, dum manum super diuinum Domini caput imponeret, & proprio sanguine. Non oportet differre baptismum, cùm accedentium fides factis comprobatur. Qui cum dolo ad baptismum accedit, condemnabitur potius, q̃ adiuuabitur. Porrò duplex est fides. Nam ex auditu fides est, Audientes enim scripturas diuinas, doctrinæ spiritus fidem habemus. Hæc autem perficitur, omnibus, quæ à Christo præcepta sunt, re ipsa credens, & pietatem colens, mandataq; exequens illius, qui nos renouauit. Quisquis enim non credit ex Ecclesiæ Catholicæ traditione, aut prauis operibus cum Diabolo commercium habet, infidelis est. Est rursum fides rerum, quæ sperantur substantia, certissima spes assequendi ea, quæ à Deo promissa sunt, & quæ postulamus. Prior igitur fides nostræ sententiæ est, altera è donis spiritus sciendum est, nos per baptismum circuncidi ab omni integumento, siue peccato, quod à generatione contraximus, Israëlitasq; fieri spiritales, & Dei populum declarari.

De trasmutatione Dominici corporis & sanguinis. Gregorii Nissæ Pontificis ex oratione Cathechetica.

Qvemadmodum qui per insidias venenum hauserunt, alio medicamento vim illius extinguunt, oportet autem, vt ad veneni similitudinem medicamentum in viscera ingrediatur, vt per illa totum in corpus, auxilium diffundatur, ita nobis faciendum est, vt cùm venenum, quo natura nostra dissoluitur, gustauerimus, medicamentum, quo illa contrahitur, suscipiamus, vt virus illius, contraria & opportuna huius vi repellatur. Quodnam & hoc medicamentum? nullum aliud, nisi corpus illud, quod morte præstantius declaratum est, & nostræ salutis causa. Quemadmodum enim parum fermenti, vt inquit Apostolus, totam massam sibi similem reddit, sic & corpus illud, quod à Deo factum est immortale in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert atque commutat. Nam vt pestiferum cum salubri commixtum, illud efficit perniciosum, sic & corpus immortale reddit totum illud, in quo susceptum est, naturæ similis immortali. In corpus autem ingredi non potest, nisi per cibum & potum visceribus immisceatur. Itaque necessarium est, vt natura nostra quoad eius fieri potest, vim salutarem intra corpus admittat. Cùm autem nullum aliud nisi diuinum illud corpus eam gratiam susceperit, demonstratumq; sit, fieri non posse, vt nostra corpora consequantur immortalitatem, nisi cum immortali corpore coniungantur, atque ita incorruptionem acquirant, considerandum est, quomodo fieri queat, vt cùm vnum illud corpus assiduè per totum orbem terrarum tot fidelium millibus impertiatur, totum cuiusque per partem euadat, & in seipso totum permaneat. Verùm, vt fides nostra recto progrediens ordine nullam ex quæstione proposita dubitationem relinquat, operæpretium est, vt corporis naturam parumper consideremus. Natura igitur corporis nostri non ita per se consistit, vt proprio quodam in statu vitam habeat, sed per affluentem ad se facultatem sese conseruat, perpetuoq; motu in essentia sua perseuerat, tum ad se attrahens id, quod deficit, tum id expellens, quod superuacaneum est. Atque hæc quidem potentia & est, & appellatur nutritiua. Nec eadem tamen est omnibus corporibus, quæ nutriuntur. Sed congrua cuique tributa est ab eo, qui naturam moderatur & regit. Eorum enim, quæ viuunt, partim radicibus nutriuntur, partim herba vescuntur, nonnulla carnibus, homo autem pane potissimum. Et ad humidi conseruationem aquam bibit, eamq; quo caliditatem in nobis insitam tueatur, vino miscet, suauioremq; reddit. Qui igitur ad hæc respicit, potentia respicit ad molem nostri corporis. Cùm enim in nobis sunt, sanguis & corpus euadunt, nutrimento per potentiam alteratiuam in corporis speciem immutato. His ita consideratis ad propositum reuertamur. Quærebatur, quomodo, vnum illud Christi corpus omnium hominum, in quibus est fides, naturam viuificaret, & in omnes ita distribueretur, vt nullam imminutionem subiret. Haud procul fortasse erimus ab huius rei intelligentia. Nam omne corpus ex nutrimento subsistit, & confirmatur, quod quidem nutrimentum ex cibo constat & potu. Cibus autem est panis, & potus est aqua vino mixta. Porro Dei verbum ita

naturæ

naturæ humanæ cõiunctum est, & corpus nostrum assumpsit, vt eius naturæ non aliam nouam constitutionem adhiberet, sed solitis ipsum rebus aleret & sustentaret, nempe cibo, & potu. Cibus verò erat panis, quemadmodum & noster, vt iam dictum est. Sicut autem qui panem videt, quodammodo corpus videt humanum, quoniam panis in corpore existens corpus euadit, ita diuinũ illud corpus panis nutrimentum accipiens idem quodammodo erat cum illo cibo, vt diximus, in eius corporis naturam immutato. Quod enim carnis cuiusque proprium est, id etiam illi conuenisse confitemur. Nam & corpus illud pane sustentabatur. Corpus autem propterea, quòd Deus verbum in illo habitauit, diuinam obtinuit dignitatem. Quamobrẽ rectè nunc etiam Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud panis erat potentia, sanctificatum est autem habitatione verbi, quod in carne habitauit. Itaque qua ex causa panis in eo corpore mutatus in diuinam virtutem transiit, eadem de causa nũc etiam idem fit. Vt enim illic verbi Dei gratia sanctum effecit illud corpus, cuius firmamentum ex pane constabat, & ipsum etiam quodammodo panis erat, sic etiam hic panis, vt ait Apostolus, per verbum Dei & orationem sanctificatur, non quia comeditur, eo progrediẽs, vt verbi corpus euadat, sed statim per verbum in corpus mutatur, vt dictum est, à verbo, quoniam hoc est corpus meum. Cæterum cùm omnis caro etiam per humidum nutriatur, neque enim sine humidi coniunctione quod in nobis humidum est, in vita potest permanere, quemadmodũ per solidum firmumq; cibum corporis soliditatem confirmamus, sic etiam humidum ex natura simili ad augemus, quæ cùm in nobis est, à facultate alteratiua sanguis efficitur, præsertim si per vinum eam accipiat vim, vt in calidũ conuertatur. Quare cùm diuina illa caro partem etiã hanc ad se sustentandam acceperit, Deus autem, qui nobis se patefecit, iccirco naturæ mortali se ipsum coniunxerit, vt eam coniunctione sua diuinam redderet, ideo cunctis credentibus gratiæ dispensatione se ipsum impertit per carnem, quæ ex vino & pane constituitur, fideliumq; corporibus coniungitur, vt ea coniunctione cum immortali, homo etiam immortalitatis particeps fiat. Hæc autem tribuit virtute benedictionis, in illud, rerum, quæ videntur, naturam mutans.

Item de transmutatione corporis & sanguinis Domini. Damasceni.

BOnus, & totus bonus, & plusquam bonus, & qui totus est bonitas Deus, propter eximias bonitatis suæ diuitias non est passus, vt bonum ipsum esset solũ, quod ex natura sua nemini impertiretur. Quamobrem primum fecit intelligibiles & cœlestes virtutes, deinde mũdum, qui sub aspectum sensumq; cadit, postremo hominem ex intelligentia & sensu. Atque omnes quidẽ res quæ ab ipso sunt factæ, participes sunt bonitatis ipsius, quatenus sunt. In ipso enim sunt omnia, non solum quia sunt ab ipso ex nihilo procreata, verùm etiam quia vis, ea, quæ ab ipso sunt facta, conseruat, & continet, præcipue autem animalia, quippe quæ tum quòd sunt, tum quòd viuunt, bonitatis vtuntur communione, quæ verò ratione sunt prædita, non solum ob ea, quæ antea diximus, sed etiam propter rationem, maiore enim quodammodo necessitudine cum Deo coniuncta sunt, licet ipse sine vlla cumparatione omnibus antecellat. Homo certe ratione præditus & libera voluntate, potestatem accepit, vt per propriam electionẽ cum Deo in perpetuum coniungeretur, si in bono permãsisset, hoc est, si ei, à quo fuerat procreatus, obtemperasset. Verùm cùm à procreatoris mandato recessisset, proptereaq; morti corruptioniq; factus esset obnoxius, auctor ipse atque effector generis nostri propter viscera misericordiæ suæ factus homo nobis in omnibus, excepto peccato, assimilatus est, & naturæ nostræ coniunctus. Cũ enim propriæ nos imaginis, propriiq; spiritus participes effecisset, quæ nos minime conseruauimus, pauperem ipse atque infirmã naturã nostram suscepit, vt nos mundaret, immortalesq; redderet, & Diuinitatatis suæ rursum participes constitueret. Sed quoniam non solum naturæ nostrę primitias melioris esse conditionis participes oportebat, verùm etiam omnem hominem, qui vellet & secundo ortu nasci, & cibo nutriri nouo, ipsiq; ortui congruente, atque ita perfectionis mensuram adipisci, ideo per ortum suum, siue carnis susceptionem, & baptismum, & mortẽ, & resurrectionem, à primi parentis peccato, & morte, & corruptione naturam liberauit, & resurrectionis primitiæ factus est, & viam, ac formam, exemplumq; se ipsum constituit, vt & nos vestigia eius secuti, gratia efficiamur id, quod ipse est per naturam, nempe filij hæredesq; Dei, & cohæredes ipsius. Ortum igitur secundum, vt dixi, nobis dedit, vt quemadmodum ex Adam generati, ei similes facti sumus, maledictionisq;, & mortis hæreditatem percepimus, sic etiam ex ipso generati, ei similes efficiamur, benedictionisq; & immortalitatis & gloriæ ipsius hæreditatẽ percipiamus. Cæterum, quoniam hic Adam est spiritalis oportebat & ortum, & cibum esse spiritalem, & quia duplices sumus, atque compositi, generationem item esse duplicem, & cibum compositum. Itaque generatio nobis per aquam, & Spiritum, in sancto baptismo nimirum, data est. Cibus autem ipse panis vitæ Dominus noster Iesus Christus, qui è cœlo descendit. Cùm enim vltro pro nobis mortem esset subiturus, in ea nocte, qua se ipsum tradidit, nouum testamentum instituit sanctis dicipulis suis, & Apostolis, & per illos omnibus, qui in ipsum credunt. In cœnaculo igitur sanctæ & gloriosæ Sion, cùm vetus pascha cum dscipulis suis comedisset, & antiquum testamentum explesset, discipulorum pedes lauit, Sancti spiritus notam prębens, deinde panem fregit, deditq; discipulis suis dicens, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Similiter & calicem accipiens dedit eis, dicens, Bibite ex ipso omnes, hic est meus sanguis noui testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum, hoc facite in meã commemorationem, quotiescunque enim comeditis panem hunc, & calicem bibitis, mortem filij hominis annuntiatis. Quemadmodum enim omnia, quæ fecit Deus, Spiritus sancti actione fecit, ita nunc Spiritus sancti actio, quę supra naturam sunt, operatur, quæ nemo potest capere, nisi sola fides. Quomodo erit mihi hoc, inquit sancta virgo, quoniam virum non cognosco? Respondit Gabriel Archangelus, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obrumbrabit tibi, & nunc quæris, quomodo panis fiat corpus Christi? & vinum & aqua sanguis Christi? tibi ego item respondeo, Spiritus sanctus accedit, & hæc facit, quæ rationem cogitationemq; superant. Panis autem vinumq; sumitur, quoniam Deus nouit, humanam naturam ea sæpe, quæ vsu trita non sunt, auersari, atque ægreferre. Itaq; solita vsus demissione per ea, quæ naturæ sunt vsitata, facit ea, quæ naturam superant. Et quemadmodum in baptismo, quoniam mos est hominibus, vt aqua, & oleo

vngantur, aquæ & oleo Spiritus sancti gratiam coniunxit, & fecit, vt hæc essent lauacrum regenerationis, ita, quoniã hominibus est mos, vt panẽ edant, & vinum bibant, his diuinitatem suam adiunxit, eaq; fecit corpus & sanguinem suum, vt per ea, quæ solita sunt, & naturalia, ad ea, quæ natura præstantiora sunt, accedamus. Corpus est verè coniunctum diuinitati, vt corpus ex sancta virgine, non quòd corpus illud assumptum è cœlo descendat, sed quia panis & vinum in Christi corpus, & sanguinem transmutatur. Sin quæris, quomodo fiat, satis est tibi, vt audias, per Spiritum sanctum, quemadmodum & ex virgine Dei genitrice sibi ipsi, & in se ipso Dominus corpus substituit. Et nihil amplius nouimus, nisi quòd Dei verbum est verum & omnipotens. Modus autem intelligi non potest, Illud tamen dicere non est alienum, quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in corpus & sanguinem comedentis bibentisq; mutatur, nec fiunt aliud corpus præter id, quod erat prius, sic propositionis panẽ, & vinum, & aquam per inuocationem & aduentum Spiritus sancti, ratione naturam superante, in corpus & sanguinem Christi transmutari, nec esse duo, sed vnum atque idẽ fieri nunc iis, qui fide digneq; illud suscipiunt, in remissionem peccatorum, & vitam æternam, & animę corporisq; præsidium: Illis verò, qui incredulitate & indigne suscipiunt, in supplicium & pœnam, quẽadmodum & Domini mors credentibus est vita & immortalitas ad fruendam beatitudinem sempiternam, incredulis autem, & Domini interfectoribus cruciatus & supplicium sempiternum, Nõ est figura panis & vinum corporis Christi. Absit. Sed ipsum Dñi corpus diuinitate affectum. Cùm ipse Dñs dicat, Hoc est corpus meum, non autem figura mei corporis. Et meus sanguis nõ autem figura mei sanguinis. Et antea dixerat Iudæis, Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis. Caro enim mea verus est cibus. & sanguis meus verus est potus. Et rursum, Qui edit me, & ipse viuet. Quamobrem cũ omni timore, & conscientia pura, & fide minime dubia accedamus, & erit omnino nobis vt credimus, non hæsitantes. Colamus autem & honoremus ipsum tota animi & corporis puritate. Duplex enim est. Accedamus ardenti desiderio, manibusq; in crucis formam compositis crucifixi corpus suscipiamus. Et intendentes oculos, & labia, & faciem diuinum carbonem sumamus, vt comburat peccata nostra & corda nostra illuminet, & diuini ignis communione inflammemur, diuiniq; efficiamur. Carbonem vidit Esaias. Carbo autem simplex non est, sed igni coniunctus. Sic & panis communionis, non est panis simplex, sed coniunctus Diuinitati. Corpus autem Diuinitati coniunctum non est vna natura, sed vna quidem corporis, altera autem coniunctæ diuinitatis. Quapropter vtrunque non vna est natura, sed duæ. Pane & vino suscepit Melchisedech Abraham ab alienigenarnm cæde reuertẽtem sacerdos Dei altissimi. Illa mensa mensam hanc mysticam præsignauit. Quemadmodũ sacerdos ille veri sacerdotis Christi figuram & imaginem gerebat, tu enim, inquit, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Panẽ hunc exprimebant panes propositionis. Hoc est purum illud ꝑfecto & incruentum sacrificium, quòd ab ortu solis vsque ad occasum sibi oblatum iri per prophetam Dominus ait, corpus nimirum & sanguis Christi, ad animi & corporis nostri firmamentum cedens, quod non consumitur, nec corrumpitur, nec in secessum progreditur, absit, absit, sed in essentiam nostram, & conseruationem, depulsionemq; omnium incommodorum, & omnium sordium expurgationem. Si aurum deprehendat adulterinum, inflãmationis censura illud purgat, ne in futuro seculo cum mundo damnemur. Curat enim morbos, & genus omne calamitatum. Vt D. ait Apostolus, si nos ipsos iudicaremus, nõ vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur. Itaque qui sumit corpus & sanguinem Domini indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Per ipsum purgati, Domini corpori, & ipsius spiritui coniungimur, & Christi corpus efficimur. Quod si qui corporis & sanguinis Domini figuras panem, & vinum vocauerunt, vt D. inquit Basilius, sic appellarunt antequam sanctificaretur oblatio, non autem postquam sanctificata est. Perceptio dicitur, quia per ipsam Iesu Diuinitatem percipimus. Communio vocatur, & est verè, quoniam per ipsam cum Christo verè coniungimur, & carnis ipsius, atque Diuinitatis participes efficimur, & inter nos per ipsam mutua necessitudine copulamur. Ex quo enim vnius panis participes sumus omnes vnum Christi corpus, & vnus sanguis, & mutuo inter nos membra efficimur in Christi corpus coalescentes.

TIT. VIGESIMVS SECVNDVS

Aduersus Masalianos.

VALENTINIANO & Valente Imperatoribus Masalianorum hæresis pullulauit. Quod quidem vocabulum Euchitas, id est, supplices, seu precantes significat. Multus.n. apud ipsos est sermo de precatione, eamq; nusquam non celebrant, & iactitant. Precationem autem siue supplicationem appellant preces, quas quisq; offert Deo, exempli gratia, Pater noster, quam quidem precationem Dominus discipulis tradidit, aut aliquod aliud precationis genus, solis illis, qui apud ipsos in impietate peritiores sunt, cognitum, ab aliis autẽ omnibus ignoratum, propter ipsius, vt arbitror, absurditatem, & Satanicam incãtationem. Aliud etiam ab ipsa re cognomen habent. Afflati enim nuncupãtur, quippe qui Dæmoniis cuiusdam actionem subeant, quam esse sancti spiritus existimant. Sed qui perfecto laborãt hoc morbo, deteriorum quidem opus vti nefarium auersantur, ac somno plerũque sese dedentes ex somniorum visis afflari se putant. Porrò istius hæresis cùm alij multi principes extiterunt, tum Adelphius, quem Phlauianus Antiochiæ Pontifex accersitum ex Edesa, magno se illius disciplinę studio teneri simulans, callidè pellexit vt occultum omne doctrinæ venenum euomeret. Quo quidem morbo patefacto è Syria expulsi in Pamphiliam concesserunt. Quædam istorum instituta progredientes aperiemus, quæ ex ipsorũ libro deprompta sunt, & omnibus tunc proposita, vt despiciantur, & contemnantur.

Dicunt tres personas patris, & filij, & Spiritus sancti in vnam resolui, quod ex Sabelliana hæresi surripuerunt, quę tres hypostases in vnum cogit, atque confundit, & vnam trium personarum hypostasim tradit. Istius igitur opinionis impiæ confutationem in eo titulo, qui aduersus Sabellianos inscriptus est, reperies.

Diuinam aiunt naturam facilè verti, & mutari in quodcunque voluerit, vt cum animis, quæ ipsa sint dignæ, coniungatur. Atqui verti, mutariq; rerum procreatarum proprium

prium est. Quicquid enim creatum est, id & mutabile est. Nam quæ à mutatione duxerunt initium. i. quæ ex nihilo profecta sunt, ea planè mutationibus, corruptioniq; sunt obnoxia, vt quæ mundo continentur, & quæ proposito mutantur & voluntate, quales sunt Angeli, & animæ, tum ad bonum, tum ad malum. Quoniam autem Deus creatus non est, & immutabilis est omnino. Quorum enim essentia contraria est, eorum & essentiæ conditio contraria est. Atque alia quidem ratione mutatio motus est genus rebus conueniens procreatis, Deus autem natura est immobilis, præstantiorq;, q̃ vt in vllum ex illis sex motuũ generibus, de quibus Philosophi dispután, cadat, quippe qui quantitatis & qualitatis est expers, & infinitus, quantum ad principium finemq; pertinet. Quod si immobilis est natura Deus, & immutabilis omnino.

Dicunt, semen & verbum in Dei genitricis vterum descendisse. Procul reiiciatur nefaria istorum impietas, quorum sermo verè semen est Diaboli, quod in animas ipsorum cadens cogit eos tale venenum effundere. Cuiusnam semen, vt ipsi nugantur (propitius nobis sit Christus, & castissima mater ipsius) cecidit? Hominis'ne. Minimè id dicent, cùm ipsi quoque virginem Christi matrẽ fateantur. An cœli? At hoc si dixerint, opponemus illis ea, quæ aduersus illos, qui Christi ortum ex virgine negãt extitisse, & cœleste fuisse corpus ipsius affirmant, elaborauimus, & septimo capite illius tituli, qui est aduersus Armenios, continentur, & in capite de Dei genitrice, & quę deinceps sequuntur in titulo aduersus Paulicianos, quibus in locis impietas istorum apertè confutatur.

Negant Diuinum Baptismum posse radices euellere peccatorum. Sed Dominus noster Iesus Christus ait, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Itaque cùm ignis diuinus sit Spiritus sanctus, nam & in specie ignearum linguarum super discipulos descendit, de quo & præcursor dicebat turbis, Christi testificans excellentiam, ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne, quemadmodum ignis sensibus expositus si siluam corripit, omnia comburit, quæ sunt super faciem terræ, & radices exsiccat, & locum à sordibus expurgat, sic & Spiritus sanctus, ac multo etiam magis. Ignis.n.est consumens nequitiam eorum, qui baptizantur. Has enim arbitror ab istis radices peccatorum existimari. Quòd si & aqua purgat omnino corpora hominum, quis dubitet, quin Spiritus sanctus multo magis sine vlla comparatione cicatrices, & maculas, & sordes animarum expurget ac deleat? Neque solum expurget & deleat, verum etiam illustret, nec illustret modo, sed munera largiatur, vt docẽt Apostoli, in primisq; Paulus in distributionibus gratiarũ Spiritus sancti, quibus afficiuntur illi, qui baptizantur.

Aiunt pueros omnes, qui nascuntur trahere à primo parente Adam vt naturam, sic etiam seruitutem cum dæmonibus, & cum natura coniunctum dæmonem, secum cohabitantem, & potestatem exercentem, nec sanctum Baptismum, & omnem aliam diuinam actionem posse illum expellere, sed precationem solam eius cum magna precantis affectione & contemptu diligenter adhibitam id efficere. Dæmone autem eiecto Spiritum sanctum sic accedere, vt sentiatur, & videatur propriumq; aduentum significare, & corpus à perturbationũ motu liberare, & impatibilitatẽ largiri, adeo, vt deinceps ei nec ieiuniis sit opus, quibus corpus affligat, neque disciplina, quæ coërceat, & ordine ingredi doceat. Præterea qui vacuitatem hanc ab affectionibus sit assecutus, tum ea, quæ ventura sunt, præuidere, tum diuinam Trinitatem oculis intueri. sensu enim ab eiusmodi hominibus comprehendi. Hæc illi sentiunt, Nos autem respondemus, omnes, qui à primo parente ducunt originem, talem ab ipso naturam trahere, qualem habebat ipse, cùm inciperet generare. Omnis enim proles genitori suo natura par, & similis est. Quare si principio Deus naturæ primi parentis dæmonem attribuit, & seruitutem hanc dæmonis essentia coniuncti constituit, merito & posteri ipsius seruitutem dæmonis susceperunt, naturamq; dæmoniacam. Quòd si illam liberam & sui iuris instituit, nugantur & insaniunt. Nam si libera, & sui iuris non extitisset, primo generis parenti mandatum non dedisset, quibus è plãtis vesci deberet, & à quibus abstinere.

Si naturam nostram inimici seruam Deus constituit, omnia autem quæ à nobis natura fiunt, nec in crimen vocari possunt, nec supplicio affici, sequitur, vt nec iudiciũ, nec animaduersio peccãtium sit futura. Hac enim valida defensione aduersus Deum vti poterunt. Tu naturam nostram seruituti dæmonum subiecisti. Necessarium autem est, vt serui faciant ea, quæ Domini iubent.

Si naturam nostram dæmonum seruam Deus constituit, dæmones autem nos ad omne vitium impellunt, vitiorum omnium auctor est Deus. Atqui nullius mali Deus est causa. Nullum.n.malum ab eo, qui natura bonus est, proficiscitur, non igitur dæmonum seruam Deus naturã nostram constituit, sed liberam, vt ante diximus, & sui iuris. Dæmones autem sunt aduersarij nostri, non essentia, nec habitatione nobiscum cõiuncti, & alias quidem apertè nos inuadunt, aliàs autem occultè aggrediuntur. Quòd si in nos haberent potestatem, idq; statim ab ortu nostro, non permitterent, nos in lucem edi, aut iam editos viuere, ne vnum quidem diem. Magna.n.aduersus homines ardent inuidia, odium eorum in nos explicari non potest, bellum autem eiusmodi intercedit, vt nullum iniri fœdus queat, ea denique in nos ira, furoreq; insaniunt, vt facile verbis enarrari non valeat. Quòd autem dæmones non modo in homines, sed ne in porcos quidem habeant potestatem, dæmonum legio demonstrauit, vt patet ex Euãgelio. Expulsi enim à seruatore nostro, petierunt, vt sibi ꝑ ipsum liceret, in porcos ingredi, qui tunc ibi pascebãtur. Quo impetrato, ingressi sunt, & totus porcorum grex irruit præceps in mare, & suffocatus est. Id autem permisit seruator, non vt dæmonibus gratificaretur, sed vt eorum aduersus homines odium ostenderet. Porcos enim interfecerunt, vt eorum Domini, qui erant homines, dolore, & damno afficerentur. Et vt nos disceremus, nullam dæmones non solum in homines, sed ne in porcos quidem, vt dictum est, habere potestatem, nisi à Deo permissum fuerit, aut ad eorum, qui à dæmonibus affliguntur, emendationem, aut aliam aliquam iustissimam ob causam.

Si potestatem in nos exercentes ex matris vtero dæmonas haberemus, non dixisset Magnus Paulus, nobis nõ esse luctam aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiritales nequitias, siue aduersus incorporeas improbas potestates, neque nobis timidis animum & fiduciam iniecisset, & qui cæra molliores sumus, ferro duriores reddidisset, neque armasset nos contra dæmonas aduersum nos instructos, adhortans, & clamans, Accipite armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Porrò genera declarans armorum subiecit, state igitur succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in pręparatione Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela improbi ignea extinguere, & galeam salutaris accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Horum armorum

tanta vis est, vt ne fulgentem quidem ipsorum splendorẽ aduersarij queant sustinere. Qũo enim quis cum eo, qui potestatem habet, possit contendere? Qũo possit ei resistere, qui continet, & expugnat?

Dominus noster Iesus Christus iussu solo dæmonas eiiciebat. Discipuli autem ipsius per inuocationem eius illos effugabant, & obsessos ab eis curabant, non autem accurata Masalianorum precatione, neque execratione & despectione ad dæmonas eiiciendos vtebantur. Et quãquã Domiuus dixit de dæmonibus, Hoc genus non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio, non tamen de omnibus, qui ieiunant, & precantur simpliciter locutus est, sed de illis duntaxat, qui per diuinum baptismum in Dei & patris filios sunt adoptati, & eius, qui natura filius est, cohæredes per gratiam effecti, de quibus dicebat Apostolus, omnes qui in Christum baptizati estis, Christum induistis. Quis enim infidelis, aut hereticus dæmonem possit expellere ieiuniis, & orationibns, licet iis vtatur eximiis? Quorum enim improba est fides, & infirma, horũ & preces & ieiunia sunt infirma planè. Et opera ipsorum dæmonibus non formidanda, sed grata sunt. Nisi quis eorum præstigiis & fallaciis dæmonas eiicere videatur. Quisquis igitur ex verbis Domini precatur, & ieiunat, & aliarum virtutum esse particeps debet, in primis autem hæc duo nempe precationẽ & ieiunium adhibere. Qui verò reliquis omissis preces tãtum adhibet, is non solum inhabitantem dæmonem non eiiciet, vt isti dicunt, sed eum, si foris sit, propter virtutum neglectum alliceret, licèt millies singulis diebus execraretur, & flumina sputorum effunderet.

Si naturæ hominum Dæmones insiti sunt, ab ea separari vsque ad finem nulla ratione possunt. Quæ enim naturaliter coniuncta sunt, seiungi nequeunt, quoad in extremam resolutionem redigantur. Itaque si ratione aliqua expelluntur, naturaliter profecto coniuncti non sunt, sed extrinsecus accedunt, & inhabitant.

Si propter primi præcepti transgressionem Deus naturæ hominum dæmonas adiunxit, eamq́, illis subiecit, magnæ quis ipsum crudelitatis & immanitatis incuset, qui nõ contentus ob illam transgressionem corpus humanũ morbis, mortiq́; subiicere, dæmonum dominatu mortales oppresserit, qui cogant eos peccatis, quibus mors animæ infligitur, inseruire, vt eos deniq; qui nefariis sceleribus obstricti fuerint, igni exteriori, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, aliisq́; suppliciis addixerit sempiternis. Atqui benignus est Deus, & iustus. Itaque præcepti transgressioni, & primi parentis peccato propositi sunt morbi, & mors, quam trangressio, & peccatum conciliarunt. Quæ quidem mors indicat eius benignitatem, est enim causa, vt interrupto peccato malum perpetuum non sit, vt Gregorius Theologus ait. Supplicia autem æterna non primæ trangressioni proposita sunt, sed singulis hominibus, qui se peccatis obstringunt, siue qui iam inde à primo parente vsque ad mundi consummationem nullam peccatis curationem adhibuerunt, Dæmonum autem dominatus non à Deo hominibus impositus est. Quis enim sapiens id fateatur? Sed ipsi demones modo aperte homines oppugnant, modo occulto struunt insidias, modo fraude, & dolo, atque blanditiis ipsos decipiunt, atque ita captiuos ducunt, atque subiiciunt seruituti, qui ignauiæ, ac per illam nequitiæ se dediderunt.

Dicuntur tamen aliquando dæmones hominibus imperare, non quòd à Deo imperium illud acceperint, sed quod homines illis, quorum dominatu premuntur, sese vltro subiecerint, quodq́; Deo diuinisq́; præceptis neglectis dæmonum iugo propria, ceruices summiserint.

Sed quoniam perspicue demonstrauimus, dæmones hominum naturæ non esse coniunctos, neque in eam habere potestatem, sed aliquando ex aduerso nobis instructos occurrere, atque confligere, aliquando autem fallaciis, & fraudibus, & insidiis vti, atque decipere, & fallere, & varias artes, & dolos exercere, quæ quidem nõ ius, & potestatem exercẽtium, sed oppugnantium sunt, super uacaneum est loqui tum de aduentu Spiritus sancti, quem Masaliani dicunt accedere, post insiti & naturæ coniuncti dęmonis expulsionem, tum de reliquis partibus doctrinæ ipsorum. Nam cùm radix illius euulsa sit, rami etiam, & folia conciderunt. Nisi forte dicendum aliquid est de eo, quòd neque ieiunio, neque disciplina, neque vlla custodia illos egere dicunt, qui Sancti spiritus aduentum, vt dictum est, apud ipsos susceperunt. Multos enim ipsorum decipiens dæmon, & speciem aduentus Spiritus sancti simulans sic affecit, vt nullo amplius præsidio se munirent, vtpote qui iam impatibiles, se crederent euasisse, & in varia peccata, & flagitia miserãdos impulit. Quid illud, quòd dicunt, se oculis sanctam cernere Trinitatem, quæ natura quidem sua nec cerni, nec vllo sensu comprehendi potest, nónne est hominum plane sensu mente, rationeq́; carentium? Deum enim nemo vidit vnquam, id est, naturam Dei. Ecquis hoc docuit? vnigenitus filius, qui est in sinu patris, vt Euangelista testatur. Quicunque autem Deũ vidisse memorantur, ij nõ viderunt eum ex natura ipsius, sed ex multiplici specie, qua se oculis eorum alias alio modo conspicuum præbuit.

Aiunt ne Apostolos quidem à dæmonum fuisse liberos dominatu. Proh impudens maledictum. Illi, qui dæmonas ab obsessis expellebant, non erant liberi à dæmonum dominatu? Quomodo igitur serui Dominos persequebantur? Potestatem acceperant à seruatore non solum dæmonas expellendi, sed etiam curandi omnem morbum, & lãguorem, calcandiq́; super serpentes, & scorpiones, & deniq; supra omnem vim inimici.

Dicunt in hoĩe & Sanctum spiritum, & dæmonem habitare, id est, rem omnium purissimam, & rem omnium impurissimam, lucem, & tenebras, diametro inter se discrepantes. Vbi enim est Spiritus sanctus, omnis inde recedit dæmon, tanquam ab igne ita celeriter aufugiens, vt nõ respiciat. Deus enim est Spiritus sanctus. Quòd si Deus est, est & ignis consumens omne dæmonum robur. Ac tenebræ quidem lucis præsentia dissipantur. Porro improbus dæmon inhabitantis spiritus flagello verberatus expellitur, contraria enim simul habitare nõ possunt. Nam corrumpitur, & extruditur id, quod est imbecillius.

Natura dicunt esse mala, id est, peccata. Quibus respõdemus. Si Natura sunt huiusmodi mala, Deus autem naturæ effector est, Deus malorum est auctor. Nec iudiciũ, nec animaduersio erit in eos, qui peccant, vt ante declaratum est. Et falsæ sunt aduersus peccatores suppliciorum minæ, inanisq́; futuri iudicij timor. Quæ enim naturæ necessitate committuntur, licet grauissima sint, veniam merentur. Quòd si quis naturalia crediderit esse peccata, iis sese sine metu propter facilitatem, voluptatemq́; dedet, vt proposita impunitatis spe per viam latam, & planam incedat. At si verax est Dominus, qui est ipsa veritas, Ego enim, inquit, sum veritas, vera plane sunt ea, quæ de sempiternis suppliciis memorantur. Nam ipse de illis locutus est. Quòd si vera sunt eiusmodi suplicia, & iudicium erit aduersus illos, qui peccant. Et si aduersus eos, qui pecant, erit iudicium, mala, id est, peccata natura non sunt. Quòd

si natura non sunt, à volũtate nimirum & ignauia proficiscuntur, & iccirco puniuntur omnes operarij iniquitatis.

Dicunt animas eorum, qui apud ipsos perfecti sunt, post impatibilitatem, talem ex cœlestis spõsi societate voluptatem sentire, qualem mulieres ex virorum concubitu sentiunt. Homines plane dementißimi, qui seruatoris con iunctionem illam castißimam, & ab omni perturbatione alienißimam, perturbationum, atque libidinum plenam arbitrantur, & magna cum ignominia voluptatis fluxui pudendis ex partibus proueniẽti similẽ audent affirmare.

Dicunt animam, quæ apud ipsos impatibilitatem sit assecuta, in naturam diuinam cõuerti. Quod si verum esset, natura profecto fieret Deus ille, qui in naturam diuinam conuertitur. Natura enim diuina Deus est naturalis. Et quoniam ex ipsorum grege multos asserunt ad impatibilitatem peruenire, & in naturam diuinam conuerti, multi erunt natura Dij, qui numero infinito, Deorum, quos gentes confingunt, superent multitudinem.

Fieri posse dicunt, vt homo post impatibilitatem, quam ipsi tradunt, ipsam Spiritus sancti personam sensu percipiat, & in omni plenitudine. Nos autẽ ad ipsos, si vera, inquimus, esset, apud vos impatibilitas, ac non omnino falsa, cùm fides vestra adulterina, atque improba reiiciatur, ad hoc etiam caput respõderemus. Verùm quia cum aliis vestris exercitationibus & ista impressa est, & exploditur vt vana, atque improbatur, superuacaneum est, ea conari confutare, quæ per se corruunt, & nulla sunt. Dicimus autem, ad eos, qui expurgantur, vt debent, patrem, & filium accedere, Ego enim, inquit Dominus, & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vbi autem pater, & filius est, ibi prorsus est & Spiritus sanctus. Hoc verò sanctæ Trinitatis domicilium ita fit, vt hominis conditio patitur, non autem vt natura se habet ipsa Diuinitas, quam vtpote infinitam, & incomprehensam nullæ res capiunt procreatæ.

Binas aiunt hominem habere animas debere vnã omnibus hominibus cõmunem, alteram cœlestem. Si libros isti mosaicos, & alios propheticos admitterent, ex illis argumenta sumeremus, quibus opinionem istam falsam esse demonstraremus. Nunc aũt quoniam euangelica tantum & Apostolica scripta se admittere confitentur, audiant, quid Dominus ad Apostolos dicat. Nolite, inquit, timere eos, qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere, eum potius timete, qui potest & animam & corpus perdere. Et Paulus Apostolus Troade, cùm omnes Eutichem mortuum existimarent, nolite, inquit, perturbari, anima enim eius in ipso est. Alia multa omittimus testimonia, quibus planum fit, singulas homines singulas animas habere.

Clericorum simulant electionẽ, Diaconorum, sacerdotumq; gradum inuadentes, vt potestatem solum quan dam & auctoritatem arrogent. Quinetiam Monachorũ habitum induunt, vt lateant, multitudinemq; decipiant.

A manuum laboribus abhorrẽt, neglecto Magno Paulo, qui dicit, si quis non laborat, non manducet. Et rursum, Manus hæ ministrarunt mihi, & iis, qui mecum erãt. Nec animaduertunt homines ignari ex inertia atque otio tum solita vitia proficisci, tum insolita disci, tum corporis membra illis esse oneri, qui eis non vtuntur.

Postulantibus, & egenis, ac pauperibus, aut in aliqua calamitate constitutis nihil impertiendum, aut commodandum esse dicunt, sed tantummodo admonendos, pauperes spiritu à Domino beatos appellari. Ego verò sic istos compellabo. ò viri boni, nescitis Dominum præcepisse, vt omnibus petentibus tribuamus? Omni enim, inquit, petenti te tribue. Vestra autem iniquitas cœlari nõ potest, qui ea, quæ sunt pauperum, ad vos trahitis, & vestris commodis, & voluptatibus, atque deliciis tantum consulitis. Quomodo enim, aut vnde vos pauperes spiritu, qui in virtutibus potius inopes estis, & in omnibus vitiis abundatis. Mala enim arbor fructus bonos non facit. Et qui praue institutus est, virtutis fructum ferre non potest. Pauper est spiritu, quisquis pp Deum humilis est. Humilitas aũt, animiq; summissio virtutum est fundamentum. Nec illud obscurum est, fidelem esse qui propter Deum humilis est. Primum enim oportet credere, deinde virtutes colere.

Nuptias dissoluũt, quanuis Dominus dicat, Quæ Deus coniunxit, homo non separet. Et in cana Galileæ præsentia sua nuptias honorauit. Et Beatus Apostolus dicit, Venerabiles nuptiæ, & thorus immaculatus. Et hic aperte tũ Christo tum Apostolis aduersantur, qui nuptias maledictis afficiunt, & detestantur.

Permittunt, vt qui volunt, partes corporis suscipiendis liberis necessarias amputent, eaq; nota naturam afficiant, hominemq; inter res à Deo procreatas præstantißimum mutilent, eumq;, tanquam imperfectus omnino sit, aut male formatus, quem tamen ille perfectum & bonum fecit, corrigant, & emendent, vt ipsi putant. Quem tamen reuera mutilant, infœcundumq;, & ad procreandum inutilem reddunt. Atqui Diui Apostoli Petrus & Paulus eiusmodi membra suis in Canonibus prohibent amputari, vt alios patres prętereamus, & legumlatores, qui id facere audentes grauißimis mulctant suppliciis.

Iurant, & peierant sine vllo metu, quãuis Dominus noster Iesus Christus vetet, non solum ne peieremus, sed etiã ne iuremus omnino. Quòd si, vt hæretici, coarguantur, tunc & Masalianorum fidem abnegant, & detestantur, abnegationemq; iureiurando confirmant, seq; nullo modo peccare putant, quòd necessitate coacti sint, & cogentium metu. Alias prętere anugas confingunt, quæ tam facilè confutari, euertiq; possunt, vt eas pigeat commemorare.

TIT. VIGESIMVSTERTIVS

Aduersus Bogomilos. Bog autem Bulgarorum lingua Deum significat. Milui vero, miserere, vt Bogomilus apud eos is sit, qui Dei misericordiam implorat.

BOGOMILORVM hæresis haud multo ante extitit, ętate nostra Masalianorumq; pars fuit, & multis in rebus conuenit cùm illorum institutis, quædam tamen ipsa quoque excogitauit, & pestem adauxit. Patefacta est autem Alexio Imperatore nostro regnante, qui Dei numine gubernatus, prudenti & admirabili ratione principem illius venatus est. Hic erat Basilius quidam medicus, homo perniciosus, atque pestifer, & corruptelę plenus, atque malorum omnium instrumentum. Quem Imperator cùm ad se accersisset, honorificeq; suscepisset, asidereq; fecisset, iucundè, benigneq; allocutus, dulciq; gratia cum illo disputans, seq; prudenter discipulum simulãs facilè decepit,

cum iam ille multos perniciosè decepisset, omnemq; in putridi, execrandiq; senis arcano reconditam malitiam, mentis acumine, & naturæ facilitate detexit, nihil omnino relinquens, quod non inuestigaret, atque perspiceret. Hic igitur in tenebricoso nugacissimi perniciosiq; senis corde, tanq. in latebra quadam, diuersas, variasq; feras, nefarias, venenatas, atque multiplices opiniones latitantes ingenio, sapientiaq; sua deprehendit, in apertumq; protulit. Et mihi iussit, vt ridicula istius hæresis mysteria patefacta, atque conuicta literarum monumentis mandarem.

I.

REijiciunt omnes libros mosaicos, vna cum Deo, qui in ipsis memoratur, virisq; iustis, qui sunt illi charissimi. Reliquos itẽ omnes, qui postea scripti sunt, tanq. Diaboli astutia compositi sint. Propitius sit nobis Deus impias eorum opiniones referentibus. Septem duntaxat suscipiunt, & colunt, & in summo habent pretio, id est, Psalterium, & librum sexdecim Prophetarum, & Euãgelium secundum Matthæum, & secundum Marcum, & secundum Lucam & secundum Ioannem, & septimum librum quo res ab Apostolis gestæ continentur cum omnibus Epistolis, & Ioannis Theologi Apocalypsi. Sapientia enim, inquiunt, ædificauit sibi domum, septemq; columnas substituit. Per hanc sapientiæ domum scelestissimam synagogam intelligunt suam, per columnas autem libros illos, quos septem ordinibus dispositos cõmemorauimus. In repudiandis igitur libris Mosaicis & cæteris subsequentibus cum Paulicianorum hæresi consentiunt. Itaq; in eo titulo, qui aduersus illos conscriptus est, quærenda sunt ea capita, quibus demonstrauimus, Boni Dei esse tum vetus testamentum, tum viros, qui in eo illustres extiterunt, legendumq; est primum caput cum septem sequentibus, quibus error iste planè confoditur. Et quãquam reliqua item capita his septem consentiunt, tamen hæc sola satis erit perlegisse. Illud tamen animaduertendum est, istos callidè plerũque ex his libris quos improbant, ad opiniones suas comprobandas verba depromere. Quòd si aliquo septem librorum, quos commemorauimus, dicto cõuicti ad veritatem confitendam impellãtur, statim vt subterfugiant, ad allegoriam sese conuertunt.

II.

EA re decipiunt simpliciores, quòd fingunt, se credere in patrem, & filium, & Spiritum sanctum, cùm tamẽ patri tres istas tribuant appellationes eumq; humana forma præditum putent, & ex binis cerebri panniculis binos radios emittere, alterum filij, alterum Spiritus sancti. Atque ita fides istis in Deum corporeum, monstrosumq; vertitur, cuius nulla planè sit existentia. Vt ergo patri tres istas tribuerent appellationes, ex Sabelliana hæresi didicerunt. Itaque confutatio ex titulo, qui in Sabellianos inscriptus est, petenda erit. Quod autem monstrosa Deum suum forma comminiscantur, ex corporea, absurdaq; specie, quam illi tribuunt, facile potest intelligi.

III.

DIcunt filium & Spiritum sanctũ in patrem rursum, ex quo prouenerunt, resolui, ipsumq; qui anno ab hinc quinquies millesimo quingẽtesimo trigesimo tertio trium fuerit personarum, rursum vnius factum esse personæ, incorporeum quidem, sed humana tamen forma præditum. Facessat absurda & ab omni prorsus sensu aliena ratio. Si enim incorporeus est, quomodo forma sit humana præditus?

IIII.

NEgant filium, & Spiritum sanctum vsque ad quinquies millesimum & quingentesimum annum extitisse, eoq; principium extrinsecus suscepisse, vt essent, & nominarentur, cùm tamen Euangelista Ioannes clara voce tonet, In principio, inquiens, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Illud aũt in principio erat Verbum idem est, ac si dicas, semper erat Verbum. Quòd si filius semper fuit in patre, & Spiritus sanctus semper vtique fuit cum filio. Quando verbum quidẽ à nobis prolatum inuenitur vnquam sine spiritu. Qui aũt patrem sine filio vsque ad annum quinquies millesimum quingentesimum dicunt fuisse, cum ad illud vsque tẽpus rationis, vsus, sapientiæ potentiæq; fuisse expertem asserunt. Vt interim de Spiritu sancto taceamus, omittamusq; cætera incommoda, quæ stultam istorum opinionem consequuntur.

V.

PAter, inquiunt, filium genuit, & filius genuit Spiritũ sanctum, hic autem Iudam genuit proditorem, & vndecim Apostolos. Et opinionem suam euangelij confirmant testimonio. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Hæc de sancta Trinitate fuisse scripta contendunt. Primum igitur non solum filium, sed nepotem inducunt, nec nepotem modo, sed duodecim genitos, quantum ad patrem pertinet. Præterea si filius quoque pater est, & Spiritus sanctus rursum pater est, ecce tres patres. Quomodo igitur vnum patrem confitentur? Ad hæc si Spiritus sanctus est filius filij, ecce hic item duo filij. Quomodo igitur vnum filium in sancta Trinitate tradũt. Vt nihil in præsentia de Iuda dicamus & fratribus eius.

VI.

DIcunt dæmonem, qui à seruatore appellatus est Satanas, filium esse ipsum quoque Dei patris, & vocari Satanaël, & filio verbo natu maiorem esse, præstantioremq;, vtpote primo genitum, fratres igitur esse. Sed Satanaël domus esse procuratorem & secundas post patrem partes obtinere, eademq; stola, & habitu indutũ esse, & ad eius dexteram considere in solio, & secundam habere dignitatem, qua quidem ebrium, stulteq; sublatũ, de defectione cogitasse, arreptaq; quondam occasione ministras tentasse Potestates, vt excusso ministerij iugo se sequerentur, & secum in patrem cõsurgerent. Et ad istiusmodi nugas confirmandas ex Lucæ Euangelio parabolã afferunt villici iniquitatis, qui debita minuit debitoribus. Hunc enim esse Satanaël, & de hoc fuisse scriptam eam parabolam. Angelos igitur quos memorauimus, sperantes se laboriosi ministerij onere leuatũ iri, & magnis aliis ꝓmissis fuisse deceptos, Ponam enim, dicebat, thronum meum in nubibus, & ero similis altissimo, Proditioni igitur, & insidiis consensisse. Qua quidem re animaduersa Deum illos è cœlo omnes detrusisse. Quis insulsa & manifesta istorum figmenta non rideat? Si enim natura Dei filius Satanaël fuisset, fuisset etiam natura Deus, & omnino immobilis, & immutabilis. Proprium enim est naturæ diuinæ, vt nunquam mutetur, sed eodem modo semper se habeat. Quare quoniam mutatus est, & cecidit, & è cœlo deiectus est, non erat natura filius Dei, sed aliam habebat naturam, nempe angelicam & procreatam, atq; ideo mutabilem. Quòd si Vnigenitus patris filius, verbum, vt Euãgelista Ioannes docuit, vidimus, inquiens gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à patre. Et rursum, Vnigenitus filius,

Eius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit, nónne mendaces deprehenduntur, & impostores, qui fratrem ipsius dicunt esse Satanaël? Si enim fratrem haberet filius Verbum, Vnigenitus non appellaretur. Quòd si & in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, vt Euangelista Ioannes ait, id est, semper erat cum patre, & in patre, quomodo alter esse potuit frater ipsius, qui illo esset natu maior, qui est ante secula, & vna cum patre imperat, & sine quo nunquam pater fuit? alioquin sine ratione, & sine sapientia, & sine potentia, quæ quidem omnia est natura filius, & Verbum eius, extitisset. Quoniam igitur Satanaël, vt demonstrauimus, natura non erat filius Dei, nec formam eius omnino nec stolam habuit, vt omittamus, quòd stola, & vestis corporibus & rebus compositis conuenit. Nec in dextera sedit maiestatis. Neque ad ipsum pertinet parabola de Villico iniquitatis, quæ est in Euangelio Lucæ.

VII.

Aiunt Satanaël è sublimibus deiectum, cùm aquis non posset insidere, quòd terra esset inuisibilis, & incomposita, diuinam autem adhuc formam atque habitum haberet, & creandi potestatem, angelos, qui secum ceciderant, conuocasse, & audaciam illis iniecisse dixisseq́; Quoniam Deus fecit cœlum & terram, in principio enim inquit, Deus fecit cœlũ, & terram, faciam & ego tanquam alter Deus secundum cœlum, & reliqua deinceps eodem ordine. Dixit igitur, inquiunt, fiat firmamentum, & factum est. Fiant hæc, & hæc, & facta sunt. Et cùm cœlum secundum ornasset, & aquas à facie terræ contraxisset, easq́; suis in locis, vt ei visum est, collocasset, quemadmodum in libro, qui mundi continet procreationem, descriptum est, terram ornauit, & decorauit, & omnia fecit, quæ nascuntur è terra, & animalia, & siquid aliud est, eamq́; sibi & aliis potestatibus, quæ defecerant, constituit domicilium. Deinde cùm Adam è terra aqua commixta formasset, eum rectum collocauit, ex quo humor quidam in dextrum pedem defluxit, & per magnum digitum effusus in terram se circumuoluit, & serpentis figuram reddidit. Satanaël verò spiritum suum colligens in corpus à se conflatum vitam insufflauit. Sed spiritus eius per vacuũ similiter fluens in dexterum pedem, & per magnum digitum in tortuosam stillam coaluit, quę statim vitam accipiens, & à digito abscedens serpens effecta est, & serpebat. Iccircò enim, inquiunt, est prudens, ac mente præditus serpens, q̃m Satanaëlis insufflatio illi fuit animæ loco. Quod nouus iste opifex conspicatus, cùm animaduerteret, se frustra laborare legatos misit ad bonum patrem, qui peterent, vt mitteret spiritum suum, promisitq́; hominem fore communem, si vitam acciperet, & ex genere ipsius repletas iri sedes, è quibus angeli deiecti fuerant. Deum autem vtpote bonum annuisse, insufflasseq́; Satanaëlis figmento spiritum vitæ, & continuo factum esse hominem in animam viuentem, quæ corpus illustraret, & multiplici gratia decoraret. Post autem cùm Eua item ex eo fuisset formata, eodemque esset affecta splendore, Satanaël inuidia commotum sententiam mutasse, & ad insidias proprio figmento struendas se conuertisse, & serpentis visceribus influentem decepisse Euam, & cũ illa consuetudinem habuisse, vt ea vterum gerente, semen ipsius semini Adam anteiret, & quoad fieri posset illud corrumperet, nec augeri, multiplicariq́; permitteret. Sed Euam mox doloribus partus affectam peperisse Cain ex concubitu Satanaëlis, & sororem ei similem, cui nomen fuit Calonena, Adam verò æmulatione commotum rem ipsum quoque habuisse cum Eua, & Abel suscepisse, quem statim interficiens Cain, inuidiam in vitam intulit. Ideoque Ioannem Apostolum dixisse, quòd Cain ex maligno erat. Cæterum cùm Satanaël impudicè cum Eua per serpentem corrumperetur, diuina fuisse statim priuatum forma ac vestimento, & creandi facultate, & Dei appellatione, quibus ademptis rebus tenebricosum, atque omnibus inuisum euasisse. Sed Bonum patrem sic iracundiam temperasse, vt permitteret, eum auctorem ac Dominum eorum esse, quæ ipse è sublimibus cadens condiderat. Istiusmodi sunt ipsorum fabulæ. Verùm cur non potuit aquis insidere, immo verò, quando corpora quoque insident aquis, cur ipse vna cum defectricibus illis potestatibus, proprium non habuit in aquis domicilium? quandoquidem nunc etiam in aquis habitant, & in fontibus, & in mari, & in locis subterraneis, cum à materia longius absint, quàm ipsi ventorum flatus? Quòd si Satanaël natura fuisset filius Dei, potentia patri suo par extitisset, quemadmodum & Vnigenitus filius, qui dicit, Ego, & pater vnum sumus, Et rursum, omnia, quæ pater habet, mea sunt, Et rursum, Qui vidit me, patrem vidit. Et rursum, Nisi facio opera patris mei, ne in me credite. Quòd si potentia par extitisset, quãuis de defectione omnino cogitasset, haud facilè deiectus esset. Deiectus autem Dei formam, atque habitum, & procreandi potestatem non retinuisset. His enim prius illum spoliari oportuit, deinde expelli. Quare cùm pars horum absurda, & ab omni veritate aliena perspicuè sit, constat, & ea, quæ consequuntur, planè falsa esse, nec vllo modo posse consistere. Nec illud negligendum est, quòd ex Mosis libro, quem improbant, testimonium illud proferunt, In principio fecit Deus cœlum & terram. Nam quòd Satanaël firmamentum fecisse dicunt, & aquas in loca ipsis parata congregasse, ornasseq́; firmamentum, & terram, & quæ sequuntur, omnia, vsque ad hominis formationem, & insufflationem in eum, ex Mosis libro, in quo mundi procreationem enarrat, surrepta sunt à Bogomilis, qui Paulicianorum opinionem sequentes opificium eorum Satanaëli tribuerunt. Illi enim non solum aliarum rerum, sed etiam primi hominis, & terræ, & omnium quæ in mundo sunt, procreationem Malo ascribunt. Quære in Titulo aduersus Paulicianos capita, quæ inscripta sunt, Non esse duo principia, sed vnum auctorem cœli, & terræ, & eorum, quæ in medio sunt, & in illis inuenies varias rationes, quibus hæc Bogomilorum opinio confutari facilè queat. Ibi rursum apertè deprehendes in capitibus subsequentibus, quæ similiter inscripta sunt. Vnum esse corporis & animæ auctorem. Nam fabulam de serpente ab ipsis confectam, vt risu potius, quàm confutatione dignam omittemus. Quem porrò legatum misit ad patrem, & Deum, quem insidiis petierat, ipse iam hostis declaratus? Nemo enim eorum, qui simul defecerant, eo munere fungi ausus esset. Et nemo rursum Angelorum Deo ministrantium eam prouinciam cepisset, vt ei hostem ipsius & suum reconciliaret. Ad hæc quomodo bonus Deus inimico consensisset, postulanti, vt animam in corpus à se formatum demitteret, vt homo communis foret. Quæ enim communio luci cum tenebris? aut qui consensus Deo cum Beliar? Iam quomodo Satanaël corporis expers ratione corporea cum Eua concubuit? Per visum'ne? At si per visum, quomodo ex illa filios procreauit? Aut cur Cain filius eius non ipsi par & similis fuit, sed Adam? Omnis enim proles genitori natura par,

& similis est. Nam quòd Ioannes Apostolus dixit, Cain ex malo fuisse, non eo spectant hæc verba, quod corpore ab illo fuerit procreatus, sed quòd ab illo malitiam didicerit. Sæpe enim & discipulus vocatur filius, & magister pater. Verum quoniam nullius rerum procreatarum, quæ in mundo sunt, auctor est Satanas vt in illis capitibus aduersus Paulicianos scriptis, ad quæ paulo ante lectorem reiecimus, demonstratum est, constat, eum nullius rei, quæ in mundo sit, Dominum à Deo fuisse constitutum. Sed quoniam vocabulum hoc, mundus, multiplex est, & significat etiam malitiam, & nequitiam, quæ in mundo est, de qua Dominus ad discipulos loquens intellexit, si ex mundo, inquiens, essetis, mundus, quod suũ est, diligeret, istius solius Dominus appellatur, ipse enim ab honesto recedens malitiam peperit, & per ipsam princeps ac Dominus eorum constituitur, qui ab illa decepti, ei sese vltro subiiciunt.

Dicunt, cùm homines acerbo dæmonum Dominatu premerentur, crudeliterq; perderentur, vix paucos ex parte patris extitisse, & in angelorum ordinem ascendisse eos nimirum, qui in genealogiis Euãgelij secũdum Matthæũ, & secundum Lucam recensentur. Tandem autem aliquãdo patrem se decipi, atque iniuria affici animaduertisse, qui cùm præstantiorem hominis partem tribuisset, in eoq; perficiendo, quæ præcipuæ sunt partes, absoluisset, maiore tamen generis hominum numero priuaretur, animamq; commiseratus, quam ipse insufflasset, quæ tam misera seruitute affligeretur, ad eius vltionem anno quinquies millesimo quingentesimo ex corde suo verbum eructasse, id est, filium & Deum. Scriptum est enim, Eructauit cor meum verbum bonum. Hoc autem verbum & filium Michaëlem Archangelum esse contendunt. vocabitur enim, inquit, nomen eius magni consilij Angelus, Archangelum vocari, quòd Angelis omnibus antecellat, Iesum autem, quòd omnem morbum, omnemq; dolorem curet, Christum verò, quòd vnctus sit carne, Descendisse de cœlis, & per aurem virginis dexteram influxisse, carnem induisse, quæ aspectu quidem videatur ex materia constare, & humani corporis esse similis, cùm tamen re vera materiæ sit expers, ac diuina. Rursum autem egressum esse per illam partem, per quam introierat, virgine nec introitum ipsius, exitum sentiente. Simpliciter enim eum in spelunca iacentem & pannis inuolutum reperisse, Ac dispensationem quidem in carne peregisse fecisseq;, & docuisse ea, quæ in Euangeliis continentur, specie tamen & opinione duntaxat fuisse humanis affectionibus obnoxium, & cùm videretur crucifigi, & mori, & resurgere, scenam soluisse, & fabulam patefecisse, depositaq; persona confudisse desertorem, & crassa, grauiq; cathena vinctum in Tartaro inclusisse, ademisseq; illius nomini syllabam, El, quæ est angelica, permisisseq;, vt non Satanaël, sed Satana nominaretur. Expleto autem ministerio, propter quod venerat, ad patrem reuertisse, & ad illius dexteram asidere in solio, ex quo Satanaël fuerat eiectus. Deinde illuc introisse, vnde exierat, & in patrem iterum fuisse resolutum, in quo quidem patre initio erat vtero ipsius conclusus. Sed iam nobis accedendum est ad istorum ineptias confutandas. Primum non omnes, qui commemorantur in genealogiis Matthæi & Lucæ Euangelistarũ, grati fuerunt Deo, quinetiam multi omnino improbi, & iniusti, atque impij, vt ex libris, qui vitas eorum continent, intelligi potest. Quos quidem libros licet reiiciant Bogomili, non tamen possunt dicere, Euãgelistas aliis ex libris ipsorum nomina deprompsisse. Quomodo igitur quorum vita vel ipsa terra fuit indigna, ij in cœlum ascendentes, ea sortiti sint loca, ex quibus angeli deciderant. Præterea quomodo is, qui omnia nouit, non nisi serò se à Satanaële decipi animaduertit. Ac ne singula, & quæ nihil, aut parum officiunt veritati subtilius persequamur, si anno quinquies millesimo quingentesimo verbum & filium diuina & arcana generatione pater genuit, quomodo Ioannes Apostolus clamat, in principio erat verbũ, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? Item quomodo omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso ne vnum quidem factum est, vt idem ait? Cur & Apostolus Paulus per ipsum dixit & secula patrem fecisse? Nam quòd Michaëlem Archangelum natura dicũt esse filium Dei, & Dominum, qui homo factus salutem humanam executus est, incredibilem ipsorum impudentiam admiror. Si enim Michaël Archangelus creatus est, & seruus, vt reliquæ Item omnes cœlestes potestates, quomodo natura filius, & eiusdem essentiæ cum patre? Nisi forte patrem quoque creatum, & sui ipsius seruum esse dicant, quod quidem absurdum est, sibiq; repugnans. Appellatur autem magni consilij angelus ipse filius naturalis, & Dominus noster Iesus Christus, quoniam quemadmodum hominis verbum, quod ore profertur, mentis vnde profectum est, motus enunciat. sic & verbum Dei discipulis suis magnum patris consilium, siue humanitatis à se susceptæ, & euangelica præcepta, & salutem credentium ex ipsis proficiscentem enuntiauit. Quamobrem dicebat, A me ipso nihil loquor, sed quæcunque audiui à patre meo, ea vobis nuntio. Cùm igitur Michaël Archangelus seruus sit, Dominus autem is, qui natura filius est, & humanitatem assumpsit, inanes esse constat appellationes, quas Archangelo tribuunt Micheli, cùm illum vel Iesum, vel Christum vocant, itaque silentio prætereatur. Quòd autem dicunt, eum carnem materiæ expertem induisse, & quæ veram ex virgine tollunt generationem, ex Manichæorum insania deprompta sunt, & ex illis hæresibus, quæ ante ipsam extiterunt. In eo igitur Titulo, qui aduersus Armenios scriptus est, lege septimum caput, & ad ea progredere, ad quæ inde reiiceris, & strenuas inuenies confutationes. Iam illud rediculum & absurdum est, quòd ex nomine Satanael, syllabam, el, ademptam dicunt. Etenim etiam antequam tyrannidem eius euertisset, videbam, inquit, Deus homo factus, Satanam tanquam fulgur è cœlo cadentem, cùm nondum, el, syllaba fuisset sublata. Superuacaneum est etiam ostendere, eum post ascensionem suam in solio Satanaëlis ad dexteram patris consedisse. Satanaël enim, vt demonstrauimus, neque natura filius fuit, neque primogenitus, nec solium habuit, nec ad dexteram patris vnquam assedit.

IX.

Dicunt Angelos, qui ceciderant cùm intellexissent, Satanaëlem patri esse pollicitum, loca ipsorum ex hominum genere completa iri, filias hominum impudice conspexisse easq; in vxores accepisse, quo semen ipsorum in cœlum reuerteretur ad loca patrum suorum. Videntes enim, inquiunt, filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi ipsis vxores, Porrò Dei filios appellant hos, quemadmodum & se ab illo genitos. Ex horum autem coniunctione gigantes fuisse dicunt procreatos, qui cum Satanaële pugnauerint, & pro hominibus de illo triumphum reportarint. Quapropter illum indignatum diluuium intulisse, & vna cum ipsis omnem carnem viuentem deleuisse. Solum autem Noë qui filiam non habebat defectionem Satanaëlis ignorasse, & in

in illius obseruātia permansisse, cuius quidem cultu Satanaëlem placatum permisisse, vt arcam construere seq; solum seruaret cum illis, qui in ea erant. Istiusmodi sunt eorũ nugæ. Nos autem, quãtum pertinet ad impudicam angelorum cum fœminis consuetudinem, & liberorum procreationem, id respondemus, quod superius diximus, cũ de impudica Satanaëlis cum Eua consuetudine & liberorum procreatione loqueremur. Scriptura autem, Dei filios, qui mulieres vxores acceperint, vocat filios Seth, qui propter diuinam vitã, & innocentiam appellatus est Deus. Filias autem hominum eas vocat, quæ ex genere Cain, & posteris eius descenderunt. Diluuium igitur intulit non Satanaël, sed ipse Deus, quem quidem Deum & Noe cognoscebat, & adorabat, & ab eo mandatum acceperat, vt arcam exædificaret. Hic fuit auctor antiqui testamenti, quem proprie & verè Deum esse, perspicue in Titulo aduersus Paulicianos conscripto demonstrauimus in illis capitibus, in quibus ostendimus, Boni Dei esse testamentum vetus, & qui in eo illustres extiterunt. Et in illis item capitibus, quæ subsequuntur.

X.

Dicunt, Mosem à Satanaële deceptum ĩ Aegyptum reuertisse, & Iudæorum populum decepisse, & eos eduxisse portentis & signis, quæ virtute Satanaëlis efficiebat, & mõtem Sinai conscendisse, & legem à Satanaële traditam accepisse, per illamq; inumerabilia hominum millia perdidisse. Atque huiusce rei testem esse Paulum, qui cõcupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi per legẽ, & rursum, Adueniẽte autem mandato peccatum reuixit. Verùm, ò fraudis artifices, cur id, quod sequit᷑, omisistis? Nempe, Lex sancta, mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Quòd si lex Apostoli testimonio est sancta, & mandatum sanctum, & bonum, non est impuri, & iniusti & improbi Satanaëlis. Malæ enim arboris malus est fructus. Bonus autem fructus est arboris bonæ, quemadmodum & Dominus ait. Sed vt clarius etiã illa Apostoli verba intelligantur, notandum, est, eum nõ dixisse, legem esse peccati effectricem, sed indicem, quippe quæ ipsum ostendit, & præcipit, vt euitetur, tanquam interitus causa. Cùm.n. lex scripta nondum esset lata, quæ peccatum prohibet, licet committeretur, non tamen adeo perniciosum, & fugiẽdum cognoscebatur. Quomodo autem veniente mandato peccatum reuixerit, audi. Antequam lex promulgaretur, imbecillum erat, & tanquam mortuum peccatum, nec tantum peccantibus supplicium afferre poterat, quãtum post legis affert promulgationem, & iccirco non admodum oppugnabat. Posteaquam autem lex hominibus data est, quę peccati debellatrix est, & aduersaria, tunc ipsum peccatum excitatum est, & quodammodo reuixit, id est, magnas vires. Sumpsit, atque crudeliter sæuiit in eos, qui legẽ susceperant. Quòd autem Moses à Satanaële deceptus non fuerit, sed ab eo, qui verè est Deus, missus sit, & legem acceperit, multaq; hominum millia non perdiderit, sed gubernarit, intelliges ex Titulo, quẽ contra Paulicianos scripsimus, quemadmodum in superiore capite declarauimus.

XI.

Eos solos dicunt esse sanctos, qui apud Matthæum & Lucam, vt diximus, in genealogiis commemorantur, & sexdecim Prophetas, & Apostolos, & Martyres, qui ne Idola adorarẽt, occisi sunt. Sacerdotes autem, & patres omnes tanq̃ Idolorum cultores quoniam adorant imagines, reprobos existimãt, & omnes Reges pios è sorte christianorum reiiciendos putant, solos autẽ imaginum oppugnatores orthodoxos, fidelesq; vocant, in primisq; Copronymum. Venerandas.n. imagines aspernantur & Idola gentium appellant, argẽtumq; & aurum, & opera manuum hominum, ignorantes, aliud esse imaginem, & aliud idolum, nulla enim aut falsa esse Idolorum exemplaria, cùm Deos appellent eos, qui non sunt Dij, sed dæmones, qui sibi falso Diuinitatem arrogant. At imaginum apud nos vera sunt exemplaria, & verè referunt id, quod appellantur. Atque Idola quidem sceleratorum sunt simulacra. Imagines verò sanctorum effigies. Sed de sanctorum imaginibus in Titulo aduersus imaginum oppugnatores latius disputauimus.

XII.

Princeps istorum hæresis, cùm ex eo quæreretur, cur sanctos sacerdotes, beatosq; Patres reiiciant, quorũ reliquias venerantur, labiis profanis patefactis verbũ malum eructauit. Quoniam, inquit, cum illis sunt dæmones, qui eos, dum viuerent, docuerunt, & ad eorum tumulos assidentes portenta faciunt sub eorũ persona, vt ignaros decipiant, suadeantq; vt impuros tanquam sanctos adorent. Tantum enim dæmones posse, quantum volũt, cùm eam è sublimi potestatem ad septem vsq; seculorum finem acceperint. Sed vnde tu hæc didicisti, nugator, stulteq; senex? Aut vbi Euangelicum illud, quod Dominus paulo ante mortis suæ tẽpus dixit, collocabis? Nunc princeps huius mundi eiicietur foras? Quod si princeps, multo magis dæmones, qui sub eius sunt principatu. Præterea quomodo Beatorum Patrum reliquiis inhęrent dęmones, qui eas reformidant. Plerunque enim cùm homines à dæmonibus vexati ad eorum accedunt sepulchra, à virtute reliquiarum, tanquam ab igne, ipsi dæmones aufugiunt vexati, & excruciati. Quòd si reliquiæ ipsorum dæmones eiiciunt, multo magis ipsi, cùm in hac vita degerent, eos persequebantur, nec ipsi ad eos audebant accedere, sed illos tanquam ab eis verberati declinabant. Sin euitabant, non vtique habitabant cum illis, nec eos docebant.

XIII.

Dicunt Bogomili dæmones tãquam arcus sagittam à se solis aufugere, singulos autem reliquis hominibus singulis inhabitare, & facinora edocere, & ad flagitia & impia facta perducere, & cùm mortui fuerint, in ipsorum reliquis insidere, & sepulchris assistere, atque resurrectionem expectare, vt vna cum illis puniantur, ac ne in supplicio quidem eos deserere. Quòd in singulis hominibus singuli dæmones inhabitent ex Masalianorum hęresi didicerunt. Quærito in eorum Titulo quintum caput, & octo, quæ deinceps consequuntur, & quam sit absurda hæc opinio, intelliges. Iam cùm principium demonstratũ fuerit, esse falsum, & extremũ esse simile coarguitur, cùm dæmonas dicunt in reliquiis inhabitare, Quãquam si dæmones singuli in mortuis singulis inhabitarẽt, & extremã in illis resurrectionem morarentur, deficerent dæmones. Ab Adam enim ad hoc vsque tempus interierunt millia hominum innumerabilia. Quòd autem à solis Bogomilis non fugiant dæmones, sed cum illis degant, audacterq; versentur, perspicuum fit, tum ex aliis ipsorum erroribus, tum ex eo, quòd illis sua varia specie atque forma sese conspicuos præbent.

XIIII.

Crucem diuinam despiciunt, quòd in ea seruator occiderit, cùm illam potius deberent honorare tanq̃ Diaboli perditricem. Cùm enim ad illud vsque tẽ-

pus mortifera extiterit, ex eo salutis instrumentum effecta est, augustissimum, & hostibus maxime formidandum, quippe quæ Domini sanguine & aqua conspersa est. Sed hac item de re in Titulo aduersus Armenios scripto dictũ est. Illic caput querito quartum decimum.

XV.

CVm rursus ex illo sene, quem heresis principẽ ostendimus, quærerem, cur à Dæmonibus vexati ad crucem accurrunt, & vociferantur, respondit, crucem vt proprium opus amari vehementer à dæmonibus, qui in eis inhabitant. Ipsi enim, inquit, illã tunc excogitarunt, vt seruatorem è medio tollerent. Aliquando autem eam se fingunt afficere contumelia, & vltro illam fugiunt, vt id homines aspicientes, eam magis honorent, tanquam dæmonum inimicam & expultricem. Veritas autem apud nos haud ita se habet. Nam vel inuiti trahũtur à crucis virtute, & allatrant, vt rabies ipsorum ostendatur. Latratus enim, corporisq; vexatio, & gemitus eorum, qui à dæmonibus opprimuntur, tormentum, & cruciatus dæmonum indicant, qui crucẽ vt inimicam despiciunt & expultricẽ.

XVI.

BAptismum nostrum Ioãnis baptismum esse dicunt, per aquam enim fieri. Suum verò Christi, per spiritum enim fieri, vt ipsis videtur. Quamobrem siquis ad ipsos confugit, eum rebaptizant. Ac primum quidem illi tempus præscribunt ad confessionem, & expurgationem, & continuam precationem. Deinde Ioãnis Euangelium capiti eius imponunt, & Spiritum sanctum suum inuocant, & Pater noster, canunt. Et post baptismum eiusmodi tempus iterum asignant ad accuratiorem institutionem, temperâtioremq; vitam, & puriorem precationem. Deinde testimonium exigunt, an hæc obseruarit. Quòd si viri, mulieresq; affirmarint, ducunt eum ad celebriorem initiationem. statuunt enim miserum ad orientẽ solem, & impio ipsius capiti rursus Euãgelium imponunt, & profanas manus adhibent suas, qui adsunt viri, atq; fœminæ, & preces nefarias canunt, id est, hymnum, quo gratias agunt, quòd traditam impietatem obseruarit. Atque ita initiant, atque perficiunt, immo verò cõficiunt & summergunt eum, qui profundo dignus est tartaro atque interitu. Si noster igitur baptismus aqua solum perageretur, Ioannis nimirum esset. Nunc autem cùm aqua peragatur & spiritu, quemadmodum Dominus docuit, Nisi quis baptizatus fuerit, inquiens, ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei, in cassum latrant. Verùm de baptismo quoque dictum est in Titulo, quem aduersus Paulicianos conscripsimus, inde petito capita, quæ ad rem pertinent. Noster igitur baptismus, vt Dominus docuit per aquam, & Spiritum sanctum perficitur. Baptismus autem istorum vnde sumptus sit, ipsi dicant, in nullo enim septẽ librorum, quos probant reperitur. Quamobrem illum à dæmonibus didicisse perspicuum est, vt vero, diuinoq; baptismo spoliarentur.

XVII.

MIsticum, venerandum sacrificium contemnũt atque despiciunt. Et sanctam corporis & sanguinis Domini communionem, dæmonum, qui in templis habitant, sacrificiũ appellant. ò impia labra, ò linguas execrandas. Esaiæ Prophetæ ad hoc probandum afferunt testimonium, dicentis. Qui parauerunt mensam fortunæ, & dæmoni poculum impleuerunt. Nec intelligunt homines stulti, verba illa ad Idololatras dici. Cũ mystica cæna, quam nos celebramus, à Domino tradita sit, dicẽte, Hoc facite in meam commemorationem, vt docent Euangelistæ. Cæterum & de diuina hac perceptione dictum est in Titulo Paulicianorum. Illic igitur quære. Porro communionis panem, precationem illam, Pater noster, appellãt. Panem enim, inquit, quotidianum. Communionis calicẽ testamẽtum esse dicunt, quod in Euangelio memoratur. Hic enim inquit, calix nouum testamentum. Vtriusque autem perceptionem mysticam cœnam vocãt. Siquis verò subiecerit, Quomodo, inquiens, Pater noster, vt corpus Domini frangitur, atque diuiditur? Quomodo item illud, Nunc clarificatus est filius hominis, tanquam seruatoris sanguis à vobis effunditur? se dicunt ignorare.

XVIII.

IN sacris omnibus templis habitare dæmonas dicunt, cùm ea quisque sortitus sit pro portione ordinis & virtutis. Satanam quidem sibi celeberrimum quondam illud Hierosolymorum templum delegisse, quo euerso eximium & decantatum Dei sophiæ templum in hac vrbium regina suscepisse. Neque enim, inquiunt, in manu factis tẽplis altissimus habitat, cùm cœlum sit eius domicilium. Atqui, Domus mea, inquit Deus, Domus orationis vocabitur, & rursum, Nolite, inquit, Christus, facere domum patris mei domum negotiationis, cùm de Hierosolymorum templo loqueretur. Quòd si templum illud erat Dei, multo magis hoc, quod est in hac vrbiũ regina, &, vt breuiter dicam, omnia templa, quæ quouis in loco tum Deo, tum matri eius, tum omnibus, sanctis consecrata sunt, diuina sanctaq; sunt, & demones expellunt. Vbi enim diuina habitat gratia, inde omnis malus spiritus & omnis dæmonum vis expellitur.

XIX.

SOlam precationem appellant, quam Dominus tradidit in Euangeliis, id est, Pater noster. Et ea sola vtunt septies quidem die, quinquies autem nocte. Sed quoties ad precandum accedunt, toties eam adhibent, alij quidem decies genibus flexis alij decies & quinquies, alij sæpius, alij rarius. Reliquas precationes contemnunt, & multiloquia vocant, & gantibus cõuenire, eoq; spectare multiloquium illud, de quo in Euangelio scriptũ est. Nec animaduertunt in eo euangelij loco non tam verborum multitudinem, quam rerum non conuenientium petitionem reprendi, Porro Dominus noster precationem illam, Pater noster, nobis tradidit tanquam obsecrandi formulam, & exemplum, ac radicem, non vt illis verbis precandi rationem concluderet, sed vt inde aliarum precationum argumenta, propagata iam fide, sumeremus. Etenim ne, vt ieiunarent quidem, illis initio præcepit, neque vt aspere & duriter vitam traducerent, vti post illius in cœlum ascensum traduxerunt. Quamobrem dicebat, Non possunt filij sponsi mæsti esse, quamdiu cum illis est sponsus, venient autẽ dies, cùm sponsus auferetur ab eis, & tunc ieiunabũt.

XX.

HAeresis istorum princeps affirmabat, hãc Domini vocem suis in Euangeliis esse scriptam, demonia colite, non vt vobis prosint, sed ne obsint. Quæ quidẽ verba explicans adiiciebat, colenda esse dæmonia, quæ in templis manufactis habitãt, ne irascantur, & perdant eos, qui id facere recusarint, cùm magnam atque inuictam habeant nocendi vim, cui ne Christus quidem, aut Spiritus sanctus resistere valent. Quoniam pater illis adhuc ignoscit, nec adimit robur ipsorum, sed eis mundi dominatum vsq; ad consummationem concedit. Neq;.n. filium cùm in mũdum mitteretur & à patre totam ipsorum euersionẽ

postu

postularet, eam propter bonitatem patris impetrare potuisse. Verùm quoniam has nugas ex Masalianorum hæresi perceperunt, quęrito in eo titulo, qui aduersus illos cō scriptus est, quintum caput, & octo, quæ deinceps sequuntur, & argumenta ad eas euertēdas aptissima reperies. De his & superius dictum est in duodecimo capite huiusce tituli. Nam quòd dæmonas Christo & Spiritu sancto fortiores asserunt, quo supplicio digni non sint homines impij, hostesq; Dei, adoratoresq;, & cultores dæmonum, verè à dæmonibus vexati, & dæmonum amici?

XXI.

Hanc item Domini vocem in Euangeliis scriptam asserunt, Omni ratione saluti vestræ consulite, hoc est, omni arte, & dolo simulantes fidem eorum, qui vos opprimunt, seruate vos à periculo, & morte, quæ vobis ab illis imminet. Huc enim & illud spectare, Quæcūque dixerint vobis, cum simulatione nimirum facite, secūdum opera aūt ipsorum nolite facere, in veritate. Etenim ipsum quoque Dominum discipulis aperte locutum esse, incredulis autem in parabolis, vt increduli simulationes speciem intuentes non videant id, quod in cordibus nostris reconditum est, & audientes non audiant. Parabolā enim, inquiunt, appellat dolum & simulationē. Ego verò cùm Euangeliorum librum istius doctoris in manus cepissem, & diligenter euoluissem, neque vocem superiorem, neq; hanc reperi. Sed talia erant quatuor Euāgelia, qualia sunt apud nos, neque vlla re discrepabant. Quòd cùm ad ipsum detulissem, ille tristis, & rem ægre ferens, vtpote deprehensus, confessus est, ne se quidem duas has voces, cùm sæpe relegeret Euangelium, deprehendisse. Sed cùm librum hunc, inquit, Euangeliorum emi, in quadam solitudine senem offendi, qui me nomine compellans, ait, me thesaurum magnum emisse, illum enim librum solum Ioannis Phyrsostomi, sic enim aureum illud os impurissime istorum linguæ appellant, manus effugisse, & duas illas voces, quas diximus continere, quæ quidem voces ex aliis Euangeliis exclusæ sint. Cuius ego verbis, inquit, fidem habens, prædico, duas item has voces in Euangeliis scriptas esse. Ille quidem hāc attulit defensionem. Ego verò statim intellexi, dæmonem fuisse illum, qui sub mendacis senis psona locutus fuerat.

XXII.

Aiunt suos omnes, in quibus Spiritus sanctus habitat, Dei parētes, & esse, & nominari. cùm ipsi quoque Dei verbum concipiant, & in vtero gerant, atque etiā pariant dum alios docent. Et nihil amplius, quam ipsi habeant, habere primam illam Dei genitricem. Nec tantum habent mentis, vt intelligere valeant, quid intersit inter verbum in sua subsistens persona, & verbum, quod ore pronuntiatur, vt omittamus res venerandas, & admirabilias quæ in Dei genitrice propriæ sunt.

At, qui sint eiusmodi, eos negant mori, sed tanquam in somno transmutari. Et sine vllo labore cœnosum hoc carnis indumentum exuere, atque immortalem ac diuinam Christi stolam induere, idemq; corpus, & formam eandē induere, & præeuntibus Angelis, & Apostolis in patris regnum admitti, corpus autem, quod exuerint, in cinerem pulueremq; dissolui, nunquam amplius surrecturum. Sed falsum esse, quòd tanquam in somno corporis exuant vestimentum, & sine dolore moriantur, princeps hæresis ipsorum ostendit, qui magnis affectis doloribus & post latā aduersus eum sententiam, vt igne cremaretur, formidine ex cruciatus, lethalia vulnera in cor accipiens, tanquam histrionis habitu deposito, impostor cognitus est, mysteriis fidei ipsius publice pactefactis, & literarum monumētis trophæi loco cōsignatis. Cùm & discipuli eius, & illi pręsertim, qui sanguine & necessitudine coniuncti erant, in carcerem, & vincula coniecti sunt, & omnibus ipse vndique auxiliis & inani spe spoliatus est. Cùm enim discipulos, & necessarios, vt dictum est, tam misere affectos perspiceret, quos ad extremum vsque diem felices futuros ex Regis promissis existimabat, seq; ab illis proditionis incusari, fontes emisit lacrymarum, & profundos edidit gemitus, quibus cordis flamma indicabatur. Calamitatum igitur tanquam turbine quodam iactatus animo deficiebat, & spiritum recipiens rursum torquebatur, & consistere non poterat, donec à ministris sublatus ad pyram tractus, & voce deficiente, anhelituq; perpetuo laborans in flammam coniectus est, atque ita dæmoni, quem adorauerat, effectus holocaustum. Sic ipse quidem in locum tenebrarum & aliorum malorum sibi paratum profectus est. Corpus autem infelicissimi senis resurget omnino in die communis resurrectionis ex Domini sententia, qui dixit homines resurrecturos, iturosq;, qui mala egerint in supplicium sempiternum. Quāuis iste mortuorum resurrectionem tam multis Apostoli testimoniis de illa, demonstrationibusq; tanquam falsis reiectis, futuram negauerit.

XXIII.

Dicunt se non in somnis solum, sed etiam re vera cernere patrem tanquam senem profunda barba præditum, filium tanquam iuuenem pubescentem, Spiritum sanctum imberbem adolescentem, cùm eis dæmones ita se facile conspicuos prebeāt, quo illos hac formarum varietate decipiant, doceantq; imparem esse sanctā Trinitatem, & discrepantem, arianamq; vnius naturæ sectionem illis iniiciant.

XXIIII.

Monachorum more se vestiunt, & eorum habitum tanquam escam assumunt, veste lupum abscondentes, quo faciliores aditus, & colloquendi facultatem, propter habitum assequantur, & sine suspicione per sermonum benignitatem auribus audientium venenum iniiciant.

XXV.

Secunda, & quarta, & sexta die singularum hebdomadum ieiunium indicunt, vsque ad horam nonā. Quòd si quis eos ad conuiuium vocet, statim obliti præcepti sui edunt & bibunt tanquam elephantes. Ex quo patet eos etiam impudicè viuere, licet fornicationem, & omnem aliam libidinem tanquam carnis & corporis expertes verbis insectentur.

XXVI.

Principio quidem initiandos simpliciter docent, & hortantur, vt credant in patrem, & filium, & Spiritū sanctum, discātq; Christū carnem induisse dedisseq; sanctis Apostolis sacrum Euangelium. Et iubent, vt euangelica mandata custodiant, & precentur, & ieiunent, seq; ab omni, nequitia puros, integrosq; conseruent, & nihil possideant, clementesq; sint, atq; humiles, & veritatis studiosi, mutuæq; beneuolentię. Oīa deniq; bona præcipiūt, vtiliq; doctrina pelliciunt, paulatimq; venantur, & ad interitum trahunt. Temporis enim progressu tritico zizania iniiciunt. Et cùm miseros sibi subiectos, obedientesq; reddiderint, atque intra retia habuerint, tunc veneni potionem propinant, aperteq; maledicunt, & Diaboli mysteria tradunt.

XXVII.

TOtos septem libros, quos diximus sic interpretant, vt eos peruertant, verbaq; detorqueant à recta sententia, & suis accommodent opinionibus. Et quicquid in illis aduersus peccatores, & impios, & idololatras dictum est, id contra nos dictum asserunt, quidquid autẽ de amicis Dei, id ad se trahunt, confidenterq;, electos, & iustos, & hæredes Dei suos esse cõtendunt. Magnus igitur labor esset, & longus, & stultus, atque inutilis si quis librorum singulorum, peruersas expositiones, quas afferunt à proposito abhorrẽtes velit refellere. Vereor enim, ne qui legunt, paululum progredientes ineptis ipsorum maledictis sic offendantur, vt nauseantium instar vertigine & tenebris pleni, quæ de illis scribimus, statim abiiciant, despiciantq;, & aspernẽtur nosq; vt importune laborantes accusent. Verùm ne videamur fingere apologiã, laboremq; fugere, pauca quędam ipsorum dicta in Euangelium Matthæi strictim attingemus, quæ tanquam ex gustu dolium, & ex riuulo fontem, & ex ora vestimentum indicabunt. Neque verò ea conabimur confutare, cùm semetipsa cõfutent. Neque ea nunc recensemus, vt refellamus, sed vt ex illis ostendamus, quam inepta sit & absurda ipsorum interpretatio in eos libros, quos approbant.

XXVIII.

SInagogam suã appellant Bethleem. In se enim Christum nasci, seu verbum Dei, quo fidei veritas prædicatur. Nostram autem Ecclesiam hærodem interpretantur, quæ verbum apud eos natum conetur occidere. Magos item seipsos vocant, qua quidem in re sola verum dicunt. Sunt enim verè perniciosi præstigiatores, & impostores. Hierosolymam nostram appellant Ecclesiam. Stellam autem Mosis legem Ea enim, duce ad nostram vsq; fidem perueniri. Deinde à sacerdotibus ipsius, & scribis, & doctoribus dicunt se discere, Christum nasci in Bethleem antedicta. A nobis enim primos ipsorum magistros esse profectos.

XXIX.

FIngunt Rachelem fuisse mulierem quandam viduã, quæ cum duas haberet infantes filias, quo tempore Herodes pueros mares congregauit honorem & gratiam apud ipsum se existimans inituram, eas in mariũ speciem mutatas attulit. Verùm cùm & filiæ suæ tanquam mares vna cum aliis essent interfectæ, & reliquæ matres lugerent, Rachel ita plorabat, vt nullam admitteret consolationem. Quoniam dum conaretur decipere decepta fuerat, filiasq; ipsa suas temere perdiderat. Atque hoc allegorice interpretantes dicunt, Rachelem patrem esse cœlestem, cuius filiæ sint, anima Adæ, & anima Christi, quibus ab Herode, id est, à mundi principe sublatis, patrem lugere mortem illarum, nec vllam consolationẽ admittere.

XXX.

IPse Ioannes, inquit, habebat vestimentum suum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Et cibus eius erant locustæ, & mel syluestre. Hæc sunt Euangelistæ verba. Consideremus quid de his etiã dicant attoniti, & insani, ac nugatores isti. Cameli pilos mosaicæ legis dicunt esse præcepta. Quæ ipsa quoque, vt camelus, impura sit, cùm & esum carnium, & nuptias, & iusiurandum, & sacrificia, & cædes, & alia multa his, similia subditis permittat. Zonam verò pelliceam sacrum Euãgelium interpretantur, quod ouium pellibus inscriptum est. Rursumq; Mosaicæ legis adhortationes locustas appellant, quæ diiudicare nequeunt ea, quæ recta sunt, neq; id perspicere quod melius est. Mel autem syluestre vocant Euãgelium, quod mel videtur illis, à quibus suscipitur, quam dulcia enim, inquit, gutturi meo eloquia tua, super mel ori meo, Syluestre autem illis qui ipsum non suscipiunt, propter acerbitatem angustæ portæ, & arctæ viæ, quam ostendit. Præcursorem enim esse medium inter antiquam legem & nouam, & vtriusq; fuisse participẽ, illius quidem prius, huius autem posterius.

XXXI.

NOs dicunt esse Pharisæos & Sadducæos illos, qui ad Ioãnis baptismum accedebant. ò impudentia. Deinde cum ignominia nos vocant genimina viperarum, siue serpentis semina, qui, vt ipsi aiunt, cum Eua concubuit. Et monent, vt non ægreferant, quòd à Baptista Ioanne verè nominati sint.

XXXII.

CHristi calceamenta dicunt esse miracula, quę discipulis & turbis demonstrauit. Quæ quidem calceamenta Ioannes gestare non poterat, quippe qui nullo modo valebat ea miracula demonstrare. At ventilabrũ Christi vocant Euangelij sermonem, vt qui ex illius ore profectus sit. Aream homines, Christianos, in qua varij diuersiq; sunt, tum recte, tum contra sentientes. Triticum autem suam ipsorum fidem, vtpote puram, & salutarem. Paleam verò fidem nostram tanquam inutilẽ atque igne dignam appellant. Quænam auris pia possit istorum maledicorum impietatẽ perferre? stomachatur anima mea ad istorum ineptias, & sensus mei perturbantur, vt ait Propheta, & velim sermoni modum imponere, nec longius progredi, nec in lucem proferre, & memoriæ commendare ea, quæ tenebris, & obliuione sunt digna.

XXXIII.

MOntem altum dicunt esse secundum cœlum, quo Christus à Diabolo sublatus viderit omnia regna mundi. Adduntq; Diabolum in illud secundum cœlum non fuisse conscensurum, nisi proprium ipsum esse opus agnouisset. Neque omnia, inquiunt, illi regna dixisset esse daturum, nisi obtinuisset eorum dominatum, vt quæ à se essent facta, vt declaratum est.

XXXIIII.

ET relicto, inquit, Nazareth, profectus habitauit in Capernaum. Nos dicunt esse Nazareth, se verò Capernaum. Et nunc apud se Christum habitare relicta Ecclesia nostra.

XXXV.

BEatitudines omnes de Bogomilis Christum dixisse contendunt. Se enim esse pauperes spiritu, & lugere, & esurire, atque sitire iustitiam, & quæ sequuntur. Se vocari Sal terræ, & mundi lucem. Et quicquid de Apostolis Christus dixit.

XXXVI.

IOta, inquit, vnum, aut vnus apex non pręteribit à lege, donec omnia fiant. Iota legis Decalogum arbitrantur, apicem rursus eandem legem. Siquis.n.apicem ex trãsuerso iacentem erexerit, Iota constituet. Atque ita exponunt Decalogum non transiturum, sed permansurum obseruatum apud Hebręos, Donec transeat cœlum & terra. Non veni, inquit, vt legem soluerem, sed vt cœlum implerem, quod Angelis, qui illud incolebant, exclusis vacuum mansit, & vt ordines potestatum explerem, quæ ceciderunt.

XXXVII.

NIsi abundauerit, inquit, iustitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Scribas & Pharisæos nos appellāt, vt qui literarum studiis incumbamus, & ipsis gloriemur. Iustitiam verò ipsorum nostræ præstare in iis docendis, quę veriora sunt, & magis ad vitam recte & pure instituendam accōmodata, cùm ab esu carnis, & ouis, & nuptiis, & aliis eiusmodi rebus abstineant.

XXXVIII.

ESto, inquit, consentiens aduersario tuo. Aduersariū nostrum hic Diabolum intelligunt. Et mente capti eum beneuolentia, & obseruantia, atque adoratione obseruandum dicant vt superius ostendimus ne supplantans & subiiciens cōtumaces tradat eos iudici & Deo in die iudicij supplantationis pœnas subituros.

XXXIX.

QVoniam illud, Omnis qui dimiserit vxorem excepta fornicationis causa, & quæ sequuntur, dogmati ipsorum de vxore nō ducenda repugnat, & aduersatur, dicunt, ea verba esse arcana, nec ab vllo posse intelligi, nisi qui carnem exuerit. Cōfirmantesq; cœlibatus rationem, afferunt sermonem Domini, Qui, In resurrectione, inquit, neque nubent, neque ducent vxores. Resurrectionemq; pœnitentiam, & vitam Euangelicam interpretantur.

XL.

NEque per Hierosolymam, inquit iuraueris, quoniam ciuitas est Magni Regis. Magnum Regem dicunt nunc esse Diabolum, vt mundi principem. Propitius esto nobis, Domine, istorum narrantibus maledicta.

XLI.

AVdistis, inquit, dictum esse, oculum pro oculo, & dentem pro dente. Oculos duas dicunt esse leges Mosaicam & euangelicā, Dentes autem duas vias latam & arctam. Christum enim legem pro lege dedisse, nimirum euangelicam pro mosaica. Et viam pro via, nempe arctam pro lata. ò lata insipientium hominū imperitia.

XLII.

TV autem cùm oras, intra in cubiculum tuum. Cubiculum mentem intelligunt, & his verbis adducti monent, vt nemo in ecclesiis precetur, cùm tamen Prophetam Dauidem audiant iubentem, vt in Ecclesiis Deo benedicamus.

XLIII.

REspicite, inquit, volatilia cœli, quòd non serunt neque metunt, & quæ sequuntur. Volatilia cœli Monachos appellant, qui in columnis degunt, & cùm inertem vitam traducant, tamen à patre cœlesti nutriuntur. Lilia verò campi se ipsos vocant, quòd animæ candore puri sint, virtutibusq; ornati, quarum nulla potuerit indui Salomon, qui animæ vestem habuit inquinatam.

XLIIII.

NOlite inquit, dare sanctū canibus, neque proiicere margaritas vestras ante porcos. Sanctum appellāt simpliciorem, quam ipsi profitentur fidem. Margaritas verò magis recondita & accuratiora erroris ipsorum instituta. Canes autem & porcos (Proh incredibilem contumeliam) homines, qui apud nos pij sunt, tanquam Idololatras. Horresco enim referens reliqua eorum secreta. Deinde subiiciunt, se ita suscipere eos, qui ad ipsos accedunt, vt canes & porcos. Ac primum quidem illos expurgant ieiuniis, & precationibus, deinde baptizant, vt demonstrauimus. Post autem cùm paulatim profecerint, & perfectiores euaserint, sanctum illis margaritasq; tradunt.

XLV.

CAuete, inquit, à falsis Prophetis. Falsos appellant Prophetas homines imperiti Magnum Basilium, Theologie splendorem Gregorium, linguam illam aureā, Ioānem, quos vt domesticos sequimur. Prætereo cætera, quæ aduersus hos sanctos isti, qui fulmine, & igne cœlesti, atque flamma digni sunt, debacchantur.

XLVI.

MVlti, inquit, dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & tunc confitebor illis, nunquam noui vos. Discedite à me, operarij iniquitatis. Hæc illi verba interpretantes, hos esse dicunt sanctos Pontifices nostros, diuinosq; patres, qui prophetiæ munere donati sunt, quiq; dæmonas eiecerunt, & alia multa miracula ediderunt. Quæ quidem omnia à dæmonibus, qui in ipsis habitabant, fuisse facta cōtendunt, vt oculos præstringerent imperitiorum. At qui dęmon non eiicit dæmonem, vt ipsa veritas Christus testatur, rabidissime canis, venenum aspidum sub labiis tuis.

XLVII.

VIrum prudentem se ipsos interpretantur, quòd super precationis illius, Pater noster, petram domum ædificent. Stultum autem, nos qui domum ædificemus super alias preces, quæ multæ quidem sint, sed infirmæ, & stultæ vt ipsis stultis videtur.

XLVIII.

ET accedens, inquit, vnus scriba dixit ei, Magister sequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Iesus, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos. Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Scribas appellant omnes literatos, quos in disciplinam non esse recipiendos sese mutuo admonent, ad Christi imitationem, vt dictum est, qui scribam non recepit. Vulpes autem intelligunt monachos, qui in domunculis angustis, tanquam in latebris inclusi sunt. Volatilia cœli eos existimant, qui in columnis vitam degunt, vt ante diximus, apud quos Christus omnino non habitet, cùm illius præsentia sint indigni. Sepulchrum verè patēs guttur istorum hominum scelestorum, quod multum fœtorem emittit.

XLIX.

DVos illos dæmonibus vexatos, qui de sepulchris exibant, duos ordines interpretantur, nempe clericorum, & Monachorum. Semper enim in manu factis templis quæ isti sepulchra vocant, inhabitare, in quibus mortuorum ossa recondita sint. Sic enim homines nefarij appellant reliquias sanctorum. Hos porro duos ordines Bogomilis esse valde formidandos, adeo vt nemo ipsorum per illam viam transire queat. Gregem autem porcorum multorum pascentium esse homines viles, & imperitos, ac vitam suillam agentes quos illi suffocant in mari peccatorum.

L.

VInum nouum appellant doctrinam suam, vtres autẽ veteres, eos, qui illam nõ admittunt. Nouos verò, qui illam suscipiunt, atque conseruant.

LI.

MVlierem, quę duodecim annos sanguinis fluxu laborauerat, hierosolymitanam appellant Ecclesiã, quæ sanguinis victimarum effusionẽ in duodecim Tribubus Israëlis patiebatur. Hunc sanguinis fluxum stitisse Christum, cùm paulo post euertit Hierosolymã. Sed quomodo per annos duodecim intelligi possunt duodecim tribus, cùm annus sit temporarius quidam motus, atque interuallum. Tribus autem sit genus hominum? Quid autem intersit inter hominem, & tempus quis non videt?

LII.

AVdite magis adhuc ridiculã interpretationẽ, atq; inde colligite ineptias nihil ab anilibus nugis & fabulis discrepantes. Illud enim, increpuit eos Iesus, sic interpretantur, vt idem sit, ac si dixisset, Iniecit illis Iesus sermonem. Cum pudore, mihi credite, & inuitus hæc loquor. Ridicula enim commemorans, ridiculus videor. Quanquam paucis dedita opera multa coaceruaui, vt ex his paucis reliqua lectores iudicarent, sunt enim omnia eiusdem, vt aiunt, officinæ. Vastum enim impietatis pelagus aperuimus, ad quod traiiciendum multorum esset opus dierum spatio. Nos autem paululum à terra adhuc mouimus, & tamen vos nauseantes sentio, immo verò mihi prius, quam vobis, id accidit. Ac mihi melius vr̃, vt orõnis vela contrahamus, & inhibentes in silentij portum cõtendamus. Et eo magis, quòd lingua illa scelesta garrulaq; conticuit. Et nefaria illius labra, qui impias istius modi nugas excogitabat, oppressa sunt, & obturatum est os loquẽtium iniqua. Cùm enim hunc sapientissimus, & magnanimus noster imperator accersendum curasset, & ex verbis ipsius fabulæ simulationem patefecisset, eumq; nihil aliud esse, nisi æs vndiq; tinniens & fallax reperisset, cùm modo fingeret, se resipiscere, modo tanquam canis ad vomitũ suum rediret, re considerata, omnibusq; magistratibus tã ciuilibus, quam Ecclesiasticis conuocatis, sententiam tulit, vt igne combureretur, qui multos in gehennæ ignem coniecerat. Ac nunc ille quidem crematus abiit. Quis autem dolori questum exæquans satis pro ipsius meritis conqueratur, qui cùm quindecim annorum spatio dogmata didicisset, ea docuit annis amplius quadraginta, innumerabilesq; discipulos in barathrum perditionis detrusit, ac denique ab illis minimè sanctè discedens, & ab vtraque vita exclusus, sic vtrunque ignem est consecutus, vt ab extincto ad illum, qui non extinguitur, profectus sit? De reliquis item fidendum est. Caput enim draconis iam cõfractum est, partesq; ipsius, ac membra præcipua sublata, reliqua autem similem exitum aut celeriter, aut paulo post consequentur. Bona autem sumus in spe, ne caudam quidem euitaturam diligentem, & accuratam imperatoris indagationem, qui magno studio atque omni ratione cunctos venatur, vt eos rectibus comprehendat, quo pietatis triticum à zizaniis expurgatũ ostendatur.

TIT. VIGESIMVSQVARTVS

Aduersus Saracenos, qui vocantur Ismaelitæ, quod ab Ismaele originem duxerint. Hic autem fuit Abrahæ filius ex Agar ancilla Saræ susceptus. Agareni autem dicuntur ab Agar Ismaelis matre. Saraceni vero appellantur ex eo, quod Agar cum a Domina sua exclusa in solitudine iter faceret, ad Angelum dixerit, Sara me cenin, id est, vacuam dimisit, ut ipsi dicunt.

SARACENI vsque ad tempora Heraclij Imperatoris colebant Idola, luciferumq;, & Venerem, quam propria lingua Chamar, quod magnum significat, appellant, adorabant. Tunc autem surrexit eis falsus propheta Moameth. Hic maledictis magnus insignisq; fuit. Genus autem duxit ab vna ex tribubus Ismaëlis. Hic admodum puer parentibus orbatus, apud fœminam viduã educatus fuit, quæ illi sanguine coniuncta erat, sed cùm puerilem ætatem exuisset, cum ipsa concubuit, & palàm duxit eam in vxorem. Cumq; bonorum eius Dominus effectus esset, sæpe mercaturam exercuit, & aliquando profectus in Palæstinam, cum Hebræis versatus est, deinde cum Arianis, mox etiam cum Nestorianis, & gloriæ motus cupiditate, celeriter ab Hebræis quidẽ monarchiam didicit, ab Arianis autem filiũ, & Spiritum sanctum esse procreatos, à Nestorianis verò hominis adorationem, compositamq; sibi ex his religionem constituit. Verùm eo quondam solutione membrorum laborante, vxor illius vehementer angebatur, & mœrebat, quòd cum paupere eoq; paralytico matrimonio coniuncta esset. Erat his amicus Monachus quidam hæreticus, qui illis in locis propter fidei prauitatem exulabat. Hic ex cõsensu Moameth vxorem ipsius admonuit, eum non communi morbo laborare, sed quotiescunque videret Archangelum Grabielem, non posse formidandum ipsius aspectum sustinere, atque ita in illum morbum incidere. Etenim Angelum illum solere ad magnos mitti Prophetas, qui Dei mysteria & res futuras illis aperiret. Mittitur autem, inquit, & ad maritum tuum, qui est magnus Propheta. Quibus illa verbis elata, gaudioq; affecta rem aliis quoq; fœminis patefecit, Virum suum Moameth magnum esse prophetam. Qua quidem ratione fama à fœminis ad viros delata percrebuit. Atque ita impostor ille cœpit doctrinæ suæ morbũ inter imperitos disseminare. Iste diuulgauit, è cœlo scripturam ad se dormientem decidisse, quę Theologiam eiusmodi contineret. Vnum esse Deũ rerum omnium auctorem, qui nec genitus esset, nec gigneret. Verbumq; Dei & spiritum esse res procreatas, quę in Mariam sororem Mosis, & Aaron introierint. Ipsam verò sine semine concepisse Iesum Christum Prophetam, & seruum Dei, quem Iudæi inuidia concitati, cùm vellẽt in crucem agere, vmbram ipsius comprehenderunt, & crucifixerunt. Ipsum verò nec crucifixum esse, nec mortuum. Deum enim illum ad se in cœlum assumpsisse, quoniam eum diligebat. Sed cùm in cœlum Christus ascendisset, quæsisse Deum ab illo, an dixisset, se esse filium Dei, &

Deum. Iesum verò ita rn̄disse, Hoc ego non dixi, nec erubesco esse seruus tuus. sed hoĩes dicũt, me id dixisse. Has & alias multas ineptias absurdas atq; ridiculas ea scriptura complectitur, quã ad se demissam à Deo ipse confingit. Nos ãt discipulis, eius rn̄demus, oẽs Prophetas de Dn̄o nostro Iesu Chr̄o ante locutos esse, in primisq; Mosem, dixisseq;, Dei filium & Deum, extremis diebus humanitatem suscepturũ, & susceptæ carnis consilium executurũ, & crucifixum iri, & sepultũ, & resurrecturum, & in cœlum ascensurũ, venturumq; postremo iudicem oĩum, & pro suis cuiq; meritis præmia redditurum. Hos aũt Prophetas vos quoq; suscipitis. De Moameth vero quis Prophetarum eũ Saracenis mittendũ prædixit? Ac Moses quidẽ, cùm mons Sinai nebula, & igne, & caligine, & procella, & aliis rebus eiusmodi formidãdus esset, aspiciente vniuerso populo in nebulam ingressus est, & legem accepit. Moameth verò quibus p̄cedentibus signis, aut quibus intuẽtibus ad se missam à Deo, vt ipse ait, legẽ accepit? Hæsitantes isti rn̄dent, oĩa Deum, quę vult, & qũo vult, efficere. Sed qũo ad Prophetam vestrũ lex descendit? Ad ipsum, inquiunt, dormientem. Quibus nos rursum, vnde igitur constat, eã à Deo ad ipsum descẽdisse? Nónne magis verisimile est, hominem illam scripsisse, ac proiecisse super eũ. Aut etiam, cùm eã ipse confinxisset, tanq̃ ad se diuinitus decidisset, rumorẽ sparsisse. Ad quæ cùm illi nihil commodè valeant rn̄dere, subiicimus, queẽadmodum, qui dormit, perperam sæpe loquił & inepta somnia contuetur, ita scripturã, quæ ad ipsum dormientem delata sit, ineptam & falsis somniis plenã esse. Præterea cùm quærimus, cur non ipsi, cùm Moameth illis p̄ceperit, vt nihil sine testibus aut faciãt, aut suscipiant, testimoniũ postularint, ex quo intelligerent, eum à Deo prophetam esse declaratũ, & Theologiam illã ad eum fuisse diuinitus missam, tacẽt præ pudore. Nos aũt magna dicimus, est imperitia, vt cùm nec vxores, nec seruos, nec pecuniã, aut possessionẽ, aut asinos, aut canes, q̃ parui momenti res sunt, sine testibus habeatis, solam fidem & scripturam velitis sine testibus hr̄e. Verùm qm̄ Iesum Chr̄m dicitis esse verbum Dei, & sp̄ũm eius, vel inuiti confitemini, verbum Dei & sp̄ũm ipsius in Deo esse, verbum enim Dei, & sp̄ũs eius, ab eo cuius sunt, separari non possunt, ne sine verbo & spiritu esse deprehendał. Quod si in Deo est verbum ipsis, & Deus nimirum est, & Chr̄s vt verbum Dei, Deus est, vt autem è Virgine natus, est hō. Atq; ita duplicẽ illum oportet confiteri, nẽpe Deum, atq; hoĩem, duabus in naturis, diuinitate & humanitate declaratũ. Sed ipsi rursum ad falso missam scripturam confugiũt. Itaq; ratiocinationibus oportet, vt eos ad veritatem perducamus.

Demonstratio de Verbo & Deo.

Deus, cùm perfectus sit, sine verbo non est, cũq; verbũ habeat, habet illud nō sine exn̄tia, aut eiusmodi, vt aut initium habuerit, aut finem sit habiturũ. Neq;.n. vnq̃ fuit sine verbo, sed cũ semper sit, semper verbũ habet suum ex se genitũ, & in se manens, & viuens, & perfectũ, non quẽadmodum est verbum nostrũ. Quorũ.n. essentia diuersa est, horum & verbũ diuersum est. Sicut aũt verbum nostrum ex mente genitum neq; oĩno idem est cũ mente, neq; plane diuersum, ex mente enim proficiscił, cũ sit aliud tamen, q̃ ipsa est, sed mentẽ ipsam indicans, ab ea nō prorsus discrepat, sed ita vnum est natura, vt subiecto tn̄ differat, sic & Dei verbũ, qui filius est, subsistentia quidẽ sua ab illo distinctum est, ex quo genitum est, ꝙ autem eadem ostendit, quæ circa Deum considerantur, vnum cum ipso natura est.

Alia de Spiritu sancto demonstratio.

Oportet, vt verbum habeat sp̄ũm, qui testimonium illi reddat, & actionem illius declaret. Nã & verbum nostrum non est expers sp̄ũs, ꝗ enunciationis tp̄e vox fit nostri verbi, q̃ quidem vox indicat illius vim. Attamen sp̄ũs noster ab essentia nr̄a diuersus est, cùm aëris sit influxus, atq; defluxus. In Deo aũt, queẽadmodum verbum, non vt nostrũ est, sed essentia subsistit, eiusdẽq; cum patre essentiæ est, atq; naturæ, sic & Spiritus sanctus essentia subsistit, eiusdemque cum Deo essentiæ est, atque naturæ, & perfectionis, cùm & à patre procedat, & in ipso sit, & cum verbo ac filio testimonium reddat, & ipsius index sit.

Patrem igitur, & filium, & Spiritum sanctũ & esse, & eiusdem esse naturæ, abundè ondimus. De matre aũt filij Dei hominem induti, ac Dei, pauca quædã nobis dicenda sunt, quæ satis sint ad coarguendam illã falso missam scripturã. Ex quo enim soror illa Mosis & Aaronis Maria cũ fratribus suis ex Aegypto egressa est, vsq; ad Christi ortum, duo annorũ millia p̄terierunt. Et ipsa Maria non transiliit mensurã vitæ earũ fœminarum, q̃ tunc extiterunt. Perspicuum igitur est mendacium, & male concinnatũ, historiæq; repugnans. Præterea qũo Dauid Christi progenitor quantum ad humanitatẽ pertinet, censeatur, ꝗ multis annis post Mariæ sororis Mosis & Aaron mortẽ natus & enutritus est, & res diuinas gessit? Diuinitus igił missa putabił scriptura, q̃ tales nugas, & eiusmodi mendacia continet? Si.n. Mariæ illius, q̃ Mosis & Aaron soror fuit, filius fuisset Iesus Christus, cùm ante Pontium Pilatum astitit iudicandus, extremam egisset senectutẽ, & annorum, ꝗ intercesserant, multitudine, cõsumptus tanq̃ simulachrum hominis extitisset. Quòd aũt non vmbra Christi, sed ipse Christus crucifixus sit carne, intelligi pōt ex sanguine, qui ex sanctissimo ipsius corpore defluxit, & à christianis hominibus asseruatur, queẽ Christi esse ex morborũ curationibus, & multis miraculis constat. Quid? ꝙ Prophetę de cruce, deq; iis, q̃ crucem antecesserunt, apertissimè p̄nuntiarunt, vt ex aliis scripturis demr̄ationes omittamus, quas nec norunt Saraceni, nec probant? Nã ꝙ Deum etiam dicũt ignorasse, an Christus docuerit hoĩes, se quoq; Deum esse, & iccircò quæsisse ex illo, & ipsum negasse, magna profecto digni essemus reprehẽsione, si conaremur id confutare. Qui enim fieri potuit, vt Deus ignoraret, quod factum fuerat? aut Christus, qui se ipsum in Euangelio veritatem appellauit, coram Deo mentiretur, & veritatem negaret, præsertim cùm Deus sit, vt ante diximus?

Nos tanq̃ idololatras calumniantur, qm̄ crucem, quã ipsi detestantur, adoramus. Nos aũt ad eos dicimus, Cur igitur vos apud lapidẽ Bachtham cõmoramini, & eũ osculamini? Rn̄dent eorum quidam, Quia super illo cũ Agar rem habuit Abraham. Alij verò. Qm̄ illic, inquiũt camelum alligauit, cũ esset immolaturus Isaac. Tũ nos ad illos, Vos non pudet adorare & colere lapidẽ, super quo cũ muliere Abraham concubuit, aut camelum alligauit, & nobis vitio vertitis, ꝙ crucẽ, per quam dęmonum vis euertitur, & Diaboli fraudes, ac dolí dissoluuntur, adoramus? Quãquam lapis ille caput est Veneris, quam Ismaelitæ quondam adorabant. Nam si diligenter inspicias, nunc etiam sculpti capitis præfert effigiem.

Pręcepit miseris barbaris, vt simulachrũ Baccha Ismacech adorarent, quam ipse adorationis obseruationẽ appellat. Et hæc duo nomina barbara Titzaphæ & Marua ex Dei venerãdis nominibus esse dicit, Dei, inquã, sui. Illis autẽ qui ab ipso decepti sunt, & ad nefariũ illud oratorium adducti, iubet, vt eant in circuitu, atq; adeo, vt ex quodam ipsorũ, qui sponte sua ad Christianã religionem se contulit, intellexi, in medio ædis simulachrum quoddam lapideum iacet, & illi, qui hoc dæmonis institutum exequuntur, miseris ceruicibus suis inclinatis, & manu dextera erga ipsum extensa, altera manu aurem suam occludentes tandiu ambulãt in circuitu, quoad tenebris circunfusi decidant. Ecce quam aperte idolorum cultum instituerit.

Ex scriptis Euodii Monachi.

ISte Moameth licet imperitus agrestisq; fuerit, tamẽ centum & tredecim fabellas confinxit, & singulis nomen imposuit dignum imperitia atq; stultitia sua. Harũ impuras & absurdas ineptias si velim exponere & confutare, idem erit ac si augiæ fimũ (quod aiunt de Hercule) coner efferre. Pauca igitur cæteris omissis commemorabimus & quæ omnino magis necessarium est vt cognoscantur & confutentur.

Solidum, ac rotundũ, seu sphæricum dicunt esse Deũ, quę quidẽ figura corporis est, & corpus indicat, quemadmodũ & illud nimirum, quod densum est, atq; constrictũ. Verùm, si De⁹, vt ipse ait, sphæra sit, & ex materia cõstet, neq; audiet, neq; cernet, & pręceps labeť, vt fit, & sine ordine deuolueť.

Docent malorum omnium auctorẽ esse Deũ, quemadmodum & bonorum. Quẽ, inquit, dirigit Deus, ille dirigitur, & quos errare facit, illi sunt, qui delinquũt. Et paulo post idẽ confirmans, Ego, inquit, non sum animę meæ Dñs, vt ea faciat, quæ bona sunt, vitetq; cõtraria, Nisi quatenus De⁹ vult. Et oblitus, quòd se paulo ãte Prophetã appellasset, si, inquit, omnia cognoscerẽ, possem vtiq; bona complecti, & mala me non possent attingere. Sed qũo mala posses effugere, si natura sunt, vt ipse ais? Nã si potes illa vitare, naturalia ꝑfecto non sunt. Cæterùm in Titulo aduersus Masalianos conscripto Deũ non esse malorũ causam demonstrauimus. Ibi quærito caput decimum septimum.

In octaua fabella, Iudæi, inquit, dicunt, Israëlem esse filiũ Dei, & Christiani Christum Dei filium esse contendunt. Hęc sunt eorum verba, ex proprio ipsorum ore profecta, & quæ sequũtur. Sed audi, filij patris mẽdacij. Iudæi nõ dicunt Israëlem esse naturalem filium Dei, sed Dei beneuolẽtiam erga se demonstrant propter suam in illũ pietatẽ. Christiani verò Christum natura filium Dei, & eiusdem cnm patre essentiæ, quantum pertinet ad Diuinitatẽ, confitentur. Si enim, vt ipse quoq; fateris, Christo datum est Euangeliũ à Deo, in Euãgelio autẽ scriptum est, ter Deum Christo testimonium è cœlo reddidisse, semel.n.ait, Hic est filius meus dilectus, alias autẽ, Et clarificaui, & iterũ clarificabo, & in mõte Thabor, ipsum audite. Quid absurdum alienũ ve faciunt Christiani, si Christum & Deũ, & Dei filium esse confitentur. Cùm ipse De⁹ id ipsum testimonio suo cõfirmet, vt patet ex Euangelio, quod à Deo traditum esse confiteris?

Cùm de Christo, deq: Euangelio mentionẽ fecisset, Misimus, inquit ex persona Dei post hos omnes, nẽpe prophetas, Iesum Mariæ filiũ, vt verè perficeret ea, quæ ante ipsum in lege fuerunt, ad eumq; deduximus Euangeliũ, in quo est directio, & lux, & iustitia, secundũ legis potentiam, quę ante fuit, ad directionem, et promissionẽ timentibus eũ, & ad eos diiudicandos, qui verè sunt ex Euangelio. Si Christus venit, vt ea impleret, quæ ãte ipsum fuerãt, hoc est, quę sunt antiquę legis & Euangelium hominibus attulit verã viuendi rationẽ, & lucem, & iustitiã, vt ipse confiteris, & ipse iudicaturus est, quid tibi reliquũ est, quod hominibus conferas? Nihil aliud nisi fraudes, & doli, & quæ veris decretis contraria sunt.

Item ex persona Dei, Qñ, inquit, volumus locũ aliquem perdere, iubemus habitantibus in eo, & illi se nequitiæ dedunt, atq; ita iusta vř ratio interitus ipsorũ, & sñiæ contra illos latæ. Et domitoribus eos tradimus. Et multa hoĩum genera, quæ post Noë fuerũt, perdidimus. Hæc verba Deóne humani generis amanti cõueniunt, an humani generis inimico dæmoni? Est'ne Dei, iubere, & hortari, vt hoĩes perditè sceleratèq; viuant, an Diaboli? Qui iubet, scelerate vitam institui, is scelerum auctor est, & maiore supplicio dignus.

Fili Dei, vt scripsit Moses, cùm vidissent filias hominũ esse pulchras, duxerunt eas vxores. Quo quidem loco Moses appellat filios Dei, posteros Seth. Sic.n. ille, quoniã Deũ imitatus est diuinamq; ac piã vitã instituit, fuit appellatus. Filias autem hominum vocat eas, quæ ex cain & filiis eius duxerũt originem. Moameth verò cõtrarium dixit. Nã pro filiis Dei, Angelos fœminas intellexit, vt Græcorum etiã fabulæ dicũt, quale illud est:

Iris ad pulchram Helenam Angelus venit.

PRo filiabus autẽ hominum filios ipse hominum dicit Et, quod maxime miserandum est, à Deo id factũ esse, narrat, Elegit, inquiens, ipse Dñs filios nostros, & ex Angelis fœminas accepit. Vos autem dicitis, Deũ sermones magnos, id est, filios habere, cùm filias potius habeat, quarũ duodecim sponsas filiis hominum dedit, ex quibus gigantes nati sunt. Quòd autẽ fœminæ Angeli, nõ sint filij Dei in sextadecima fabula iurat, & eos, qui id existimãt execratur. Sed quòd fœminæ sint Angeli, contendit atq; cõfirmat. Verùm, vt concedatur id, quod nulla fieri ratione potest, viros cum Angelis fœminis misceri, & semen in illis emittere, quonã in vtero suscipient atq; fouebunt, quæ corporis sunt expertes? aut qua idonea materia fœtũ nutrient? aut quomodo vterũ gerent? Ad hæc quomodo natura, quæ materia caret & sanguine, lac subministrabit animali, quod solitũ est, succos eiusmodi appetere. Patet igiť angelos nec fœminas esse, nec mares, mas.n. & fœmina sunt corporum differentiæ.

Deũ introducit iurantẽ eiusmodi iusiurandum: per Phudi Phulcorum, & per accesiones accesionũ, & rursum in alia fabella per lambitiones lambitionum, per gestantes ius carnium, per currentes rectas, per res diuidentes, Itemq; in alia, per montem, per scripturam versibus incedentem, & in mẽbrana tenui per hospitium habitatum, per tectũ conclusum, per mare vinctum, & eiusdem generis alia multa barbara, & stulta, & ab ipsius insania minime abhorrentia.

Et alibi per calamum, & per ea, quæ incedũt, & alibi iurat per eas, quæ ordinem dissoluunt, per procellarum procellas, per simplicium simplicitates, per capientes capacitatem, & abiicientes memoriam defensionis, & in aliis per trahentes bolidem, & auferentes ablationem, & natantes natationem, & anteuertentes anteuersionem, & rem gubernantes in die, in qua cõcutit terrę motus. Et rursum alibi, per cœlum & Altaric. Significat autẽ Altaric stellã perforatã. Et alio in loco, per splẽdorẽ, & per decẽ noctes, & iugum, & solutionem, & noctẽ, quando panduntur. Itemq; alibi, per ficus & oleas Sinai, & hanc regionem. Et alibi per eas, quæ currũt in latratu & quæ telum ostendunt ignitum, & quæ decidunt in splendorem, & quæ deturbant in paludem. Et alibi per Alazer. Atq; his quidem rationibus partim Deũ suum iurare dicit, partim ipse iurat, quo perterrefaciat homines barbaros, & multa ipse scire, & profunda mysteria tenere videatur. Quemadmodum etiã cũ dicit, inscripto in Acca, Qui.n. scire posis, quid Acca significet? Et alia multa his similia valde ad explicandũ difficilia, & aures discipulorum ipsius perturbantia.

Cùm igitur iuret Moameth ꝑ solem, & lunam, & stellas, & animalia circa ignẽ degentia, & canes cursores, & plãtas, & alia nomina incognita, & barbara, quæ, vt opinor, nihil aliud significant, nisi dęmonia quædã perniciosa, atq; inimica, & scelerata, perspicuum est, illũ Deos illa existimare. Qui.n. iurant, per eos, qui maiores sunt, quam ipsi sint, solẽt iurare. Quamobrem & Deus, cùm maiorem nõ habeat, per quem iuret, per se ipsum iurat, vt ostendit scriptura. Promissio.n.ꝑ aliquem accipit confirmationem.

Dicit tẽplum ab Ismaële & Abrahã fuisse exædificatũ. De quo tñ scriptura nusquã mentionẽ facit. Nã si lapidis tantum vnctionem ad Dei laudẽ erecti Diuinus Moses non prætermisit, Qũo templum totum silentio prætermisisset.

Præcepit, vt ad austrum conuersi precarentur, vt ea quoq; re ab illis viderentur discrepare, qui ad solem orientem conuersi precantur.

Iubet, vt qui ad precandum accedunt, aqua sese expient, si adest aquæ copia, sin desit, vtantur puluere. Atqui puluis magis inquinat, q̃ emundat. Quãquam quid etiam simplex aquæ ablutio prodesse potest iis, quorum animæ sunt coinquinatæ & sordium plenæ?

Dicit rursum tanq̃ ex persona Dei, Nos tibi cantharum dedimus, precare ad Dñm tuum, & immola. Quàm admirabilis immolatio atq; magnifica, & eo digna, qui præcipit.

Quæ inter decimam octauam & trigesimam sextam fabellam interiecta sunt, oĩa vt præstigiarum monstrorumq; plena præterimus. Quibus referta sunt item illa, quæ tum ex veteri testamento, tum etiã ex nouo sumpsit, atq; corrupit. Dicit. n. Mosis & Aaron sororem Mariam iuxta palmam Christum peperisse, & ꝑꝑ dolores partus animo defecisse, Christumq; ex ventre illius locutum esse, atq; iussisse palmæ, vt sese concuteret, & de fructibus eius comedisse. Dauidem autem & Solomonem cũ dæmonibus & volucribus collocutos, Solomoneq; dæmonum opera vsum & Gundas quosdã adhibuisse, & ventis imperasse, & formicarum mysteria cognouisse, & agrestem quẽdam gallum fuisse illius præceptorem. Et loricam ferream à Dauide fuisse dicit primum excogitatam. Se ipsum verò dicit iudicem vna cum Deo mundũ iudicaturum. Et alia his etiam magis absurda & dæmonibus conuenientia comminiscitur.

Solem ait ad finem vesperæ in aqua calida lauari, lotũq; ad auroram redire, atq; oriri. At si ignis est sol, aqua autem & ignis sese vicissim interimunt, cur vnum ab altero non deletur? Præterea quæ huius lotionis vtilitas, cùm ipse sol purissimus sit, & multo, quam aqua, purior?

Solem & lunam equites dicit esse. Sed quõ quæ anima carent, equitare possunt? Aut quõ equi currum ignis sustinere queant? Terreni. n. sunt equi. ignis autem consumit. Quòd si igneos esse dixeris, equorum naturam non habebunt, sed similitudinem duntaxat, cùm sint Dei nuncij.

Ex hirudine dicunt hominem fieri. Sed quõ potest ex animali despectissimo fieri honoratissimum? ex rõnis experti, quod rõne præditum est? ex detestabili amabilissimum.

Hominibus à se deceptis permittit, vt ex oĩbus vescantur animalibus, vt cane, & lupo, & cęteris, excepto porco. Edite, inquiens, ex oĩbus, quæ sunt in terra. Munda sunt enim, & bona, & nolite sequi vestigia Satanæ. Satanam nimirum appellans Deum, qui alia munda, alia immunda appellauit. Hunc. n. alibi Deum vocas, nugator, & tibi ipse aduersaris.

De ieiunio leges ferens, Nox, inquit, vobis satis est, vt cũ vxoribus vestris commisceamini: ipsæ. n. vestra sunt vela, & vos estis illarum vela. Scit Deus, vos in die ieiunij affligere animas vestras, & vobis propitius fit Miscemini cum illis, vt vos consolemini, & comedite vesperi & bibite, donec nigra noctis obscuritas exalbescat ꝑꝑ diem. Et rursum implete ieiunium, vsq; ad vesperã. Et miscemini cum illis, quæ vobiscũ densæ versantur in oratorio. Hæc est lex Dei. Cuiusmodi ieiunium est istud, homo impurissime? aut quænam lex est hęc Dei? vt ꝑ totam noctem te crapulæ dedas, atq; libidini?

De temperantia disserens, vxores, inquit, vestræ sunt agri vestri, ingredimini in agros vestros, qua parte vultis, & cum animabus vestris congredimini. Idest omnem cupiditatem vestram explete: & vxoribus vestris vtrinque abutimini. Quid impuritate ista libidinosius, aut sceleratius?

Iussit iste, vt quatenus singuli haberent vxores, concubinas autem mille, aut quot possent alere. Concubinæ vt vxoribus obtẽperarent. Et quam maritus velit, repudiare posit, & aliam in locum eius ducere. O intemperantiam incredibilem, & porcis, atque canibus congruentem.

De vxoris à marito disiunctione verba faciens, siquis, inquit, vxorem suam repudiarit, nubat alteri. Et tum, si velit maritus, qui illam repudiauit, ad ipsum reuertatur. Non licebit illi prius, q̃ alteri nubat, ad eum redire. Præclara lex, quæ præcipit adulterium, & eo vult repudium expiari. Ad bellũ contra nos incitans discipulos suos, eos, inquit, vbicunq; inueneritis, interficite. Quid ita, ò homicida? An ne à nobis edocti, & admoniti resipiscant, & execranda, atque nefaria decreta coarguant tua?

Impellit & omni rõne barbaros armat aduersus Christianos, vt eorum sanguine sese cruentent, credantq; tũc à Deo magnum se præmium suscepturos. si crudeles se in illos præbuerint. Quintã verò partem captiuorũ, & reliquæ prædẽ iubet, vt Deo Prophetæq;, & Apostolo suo Moameth offerãt. Neq;. n. æquum erat, vt qui interitus ipsorũ est auctor quæstus eorũ expers foret. Et consentaneum erat, vt populus sanguinarius, prophetæ sanguinario ex humano sanguine munera offerret. Pręcipit aũt vt christianis supplicantibus recõciliẽt. In qua quidẽ humanitatis specie crudelitas latet. Si. n. reconciliati fuerint, simulq; versantur, velint aũt ab illorum recedere potestate, tunc bellũ & cædes ipsis vt inferãt, iubet. Qđ si religionẽ eorũ cõplexi fuerint ipsos fratrũ hẽant loco.

Ad religionem & fidem, inquit, ne coëgeritis. perspicuũ. n. est, inquit, q̃ accepta sit Deo ex falsa aliarũ improbitate, cũ tanq̃ falsæ reiectę sint. ò singularis humanitas, Qui Chr̃ianos iubet interficere, non ꝑcipit interim, vt ad fidẽ & religionem suam suscipiendam compellant. Iubet occidere, non ꝑꝑ religionis discrimen, sed ob iusitã crudelitatẽ atq; inhumanitatẽ, & ne viuẽtes ipsorũ, impietatẽ redarguant, vt ante diximꝰ.

Suos monet, ne Iudæos, néue Chr̃ianos recipiant, aut tueantur. Quisquis. n. inqt, ex vobis illos defendit, is est eorũ ex numero. Esto, Chr̃ianos qui rerum oĩum effectricẽ & sanctã Trinitatem adorãt, odio prosequeris, & ea perpeti iubes, cur idẽ in Iudæos statuis, qui se fidẽ, & religionẽ Abraham seruare profitent. Non hoc aperit malitiam tuã? Nosti. n. in lege, Christi diuinitatẽ ostendi, iccirco vtrosq; iubes hostes declarari, ò Chr̃i, ĩmo Dei hostis. Deinde Chr̃ianorum simul & Iudæorum vicẽ ita cõmiseratur. Vę vobis domestici scripturarum. Nihil vobis, erit nẽpe vtilitatis, quoad legẽ sequemini, & Euangeliũ. Atqui paulo ante dixeras, legẽ verè à Christo fuisse impletã, Et per Euangelium ab ipso fuisse traditam rectè viuendi rõnem, & lucem, atq; iustitiã. Sed mos est, vt mẽdacia secum ipsa pugnent, quo clarius conuincantur.

Cùm & mares & fœminas circũcidi iussisset, interdixit illis etiam vino. Mares quidẽ vt circũcidantur, Hebraicam est, vt autem & fœminæ, id verò Moameth impudẽtiæ propriũ, vt circũcisio corrigatur. Nam à vino iussit abstinere, ne ebrij facti ab hostibus, maximeq; à christianis superentur.

Fingit fuisse camelum quandam, quæ totum prætercurrẽtem fluuiũ posset bibere. Erat aũt inquit valde magna adeo, vt in medio duorũ ingentium montium non caperet. Populus igitur, inquit, qui erat in eo loco, vno die bibebat aquã fluminis, altero aũt die camelus. Sed cùm aquam biberet, potabat eos, & aquæ loco lac suũ subministrabat. Improbus aũt ille populus impetu facto in camelũ interfecit illã. Huic erat filia camelus quædã parua, quę matre interfecta clamauit ad Deum, qui eã ad se sustulit. Ex discipulis istius, qui fabulam finxit, quærimus, vtrũ camelus parua ex coniunctione nata sit, an sine coniunctione. Rñdent, sine coniunctione. Rursum instamus, Quõ sine coniunctione? & ignorare se dicũt. At quõ Deus camelum illam paruã ad se sustulit? & vbi pascitur? Et cur Propheta vester nõ docuit vos, quæ ad ortum eius sine coniunctione pertinent, & vbi pascatur, & vtrũ in cœlo viuat, num posteaquam sublata fuit, occiderit, an tanq̃

præcursor in paradisum introierit? Ad quæ cùm nihil habeant, quod respondeant, permanent muti.

Se paradisi claues ait accepisse, & in die, quo mũdus iudicabitur vniuersus, post Mosis, & Hebręorum oĩum pp transgresionem legis, condẽnationem, post sñiam latam in christianos, qui Christum Dei, filium, & Deum appellant paradisum patefacturum, secũq; septuaginta hoĩum millia ex iis, q̃ doctrinam suam susceperint, in paradisum ingressuros, reliquos aũt discipulos suos iudicatũ iri, ac meliores quidẽ ex illis in Paradisum ipsos quoque admittendos, deteriores aũt & sceleratos in Paradisum quidẽ introituros, sed tabellam è collo suspensam gestaturos, & Dei propheteq; Moameth libertos appellandos.

Paradisum quatuor hr̃e fluuios dicit, ex aqua clarissima, ex lacte purissimo, ex vino suaui, & ex melle solido.

Cũ fœminis autem & in paradiso consuetudinẽ esse q̃ suauissimam & perpetuã, & sine fluxu. Hebræos hoĩes & Christianos ligna ad ignem cõportare, Samaritanos aũt stercus eorum exportare, q̃ in cœlo vitã agunt, ne paradisus, vt ipsi dicunt, fœteat. Hæc oĩa valde ridicula sunt, & Chr̃ianis auribus nõ admittẽda, & fabulosa, atq; pugnãtia, nec opus est, vt illis confutandis labor suscipiatur, cùm ipsa sese euertant.

Oĩbus interdicit, ne probationem inquirant eorum, q̃ ab ipso tradita sunt, vtrũ sint vera, necne. Sed nunc quidẽ tanq̃ Dei numina data suscipiant oĩa ipsius instituta, explorationẽ autem eorum reiiciant in extremũ illum diẽ, quo mũdus vniuersus iudicabit̃. Tunc n. perspicuũ fore, vtrũ recta probaq; sint, an contra. Ac ne quis diceret, pete signũ à Deo ad ea cõprobanda, q̃ a te tradita sunt, excusationem subiicit, & Deũ alloquitur ad hunc modũ. Petunt scripturæ domestici. i. illi q̃ diuinam abs te missam scripturam susceperũt, vt super ipsos è cœlo scriptura deferat̃, altera nimirũ scriptura, cuius testimonio confirmet̃, hanc esse veram, & gratã tibi. Deinde subiicit, Hebræos rẽ maiorem à Mose postulasse, dixisseq;, ostende nobis Deũ perspicue & à Deo pp peccata ipsorum, & iniquam petitionẽ fuisse deletos. Hæc ille adiunxit, quo terrorẽ discipulis suis iniiceret, prohiberetq;, vt dictum est, ne veritatis testimonium exigerent, nequid illis simile contingeret. Atqui recusarunt potius Iudæi, ne se Deus alloqueret̃ & quã in monte conspexerant gloriã Dei, grauem & intolerabilẽ iudicarũt, & falsum est illud, ꝙ Hebręos interfectos fuisse dicit.

Præterea sibi ipse veritatem attribuens, seq; dignum esse affirmans, cui in iis, quæ tradit, fides habeatur, nomina quorundam adducit, qui ante Noë ad prædicandũ venerint, quę nemini nota sunt, eosq; dicit benedictionẽ illis, qui sibi crediderũt, cõciliasse, qui autẽ non crediderunt, maledictionẽ. Post Noë itẽ Tzaled quendã nominat prophetam, fratrem Thomad, qui nec fuit, nec ab vllo vnq̃ de ipso facta est mentio. Præterea Saipũ tum Mosi, tũ cæteris historicis pariter incognitũ. Hos prędicasse dicit, & illis, qui verbis ipsorũ fidem habuerint, Deũ propitium reddidisse, inimicũ verò atq; iratam illis, qui fidẽ non habuerint. Deinde ad hũc modũ loquitur de se ipso, Væ vobis homines. Ego sum Apostolus Dei. Ex iis, quæ tradis, facile ostẽdis, cuius sis Dei Apostolus, nempe mẽdacis, idest, ipsius Satanæ. Huic enim, quæ grata sunt, doces. Inuisa autẽ vero & soli Deo.

Rursum ita de se loquitur ex persona Dei, Misimus te ad gentẽ, vt ei præsis, & ipsa credat iis, quæ à te tradẽtur. Et hoc dixit, vt solet, quo se dignũ, cui fides haberetur, ostenderet. Et subiicit. Dicunt, qui negant. Tu nõ es Apostolus. At mihi satis est testimoniũ Dei, qui mihi testis est, ꝙ sim eius Apostolus, vobis autẽ, quòd nõ credatis mihi. Deũ igitur testem adducit apostolatus sui, cùm tamen Deo nihil afferat dignũ, neq; vllam Apostoli notam, neq; miraculum, neq; prophetiam veram, neq; probè transactam vitam, neq; doctrinam, sed cõfidenter dicat, Deus mihi testis est.

Et alio in loco, te à dæmone, inquit, vexari, dicent omnino, cùm dixeris, te à Deo hæc accepisse. Si. n. verax esses, Angelum vtiq; deduxisses. Causas affert, cur Angelũ descendere non oportuerit. Et quosdã ait esse, per quos id fieri prohibeatur. Et Angelis descendentibus rem totã perfici, ac nullã hominibus gratiã relinqui. Atqui verbis his tuam tegis imbecillitatem atq; hæsitationem. Sępe. n. Angeli in terrã descenderunt, immo verò descẽdunt quotidie ad ministrandũ illis, qui seruantur. Sed quod tandẽ signum ac demonstrationem affert Apostolatus sui? Vidistis, inquit, siderũ iactus, cùm Satanas ascendit, vt audiat ea, quæ gerũtur in cœlo. Propterea credite, me esse Apostolũ. Hoc. n. ante me docuit nemo. Ante te profectò nemo istud docuit. Neq;. n. illi sunt stellarum iactus aduersus dæmonẽ, vt ipse confingis. Sed scintillæ, quæ à stellis proficiscuntur. Ignis. n. sunt stellæ, & ex ignea natura sua igneos illos iactus emittunt.

Rursum vt se dignũ ostendat, cui fides habeatur, introducit Deũ, ita de se iureiurando testantem, atq; dicentẽ, per sidus deorsum fluitans deceptus non est amicus vester, nec inique egit, neq; ex voluntate locutus est sua, sed ea, quæ patefacta sunt illi demonstrataq; ab eo, qui fortis est, & inuisibilis. Atqui quemadmodũ iurare Deũ per sidus, falsum est, sic & ea, quę Moameth patefacta dicit, falsa & à dęmone profecta sunt omnia.

Ait, Iesum Mariæ filiũ de se prædixisse, cùm diceret, Ego sum Apostolus Dei ad vos, & impleo illa, quæ in lege prædicta sunt ante me, & prænuntio vobis, post me venturũ Apostolum nomine Moameth. Vbinã prædixit hoc Christus, aut in qua scriptura? Omnes. n. Christi sermones plane cognitos, & perspectos habemus. Aut igitur ostẽdãt discipuli Moameth, quo in loco sanctarũ scripturarum prędictum hoc fuerit, aut sciant omnino, hoc itẽ esse falsum, quemadmodũ & reliqua, quæ ab ipso tradita sunt.

Centesima duodecima fabella, quę inscribitur, Parcam, Est autẽ cantus præstigiarũ plenus, verba continet eiusmodi, Dic parcã, in Dominũ Diaphaumatis, ex malo, quod formauit, ex malo iactus siderũ, cùm extenditur, ex malo sputorum in nodos ex malo inuidentis. Et cẽtesima tertiadecima fabella pariter est præstigiarũ referta cantilena. Et eandẽ habet inscriptionẽ, & hæc verba, Dic parcam in Dñm hoĩum, regem hoĩum. Deus hoĩum ex malo murmure dęmonum, ꝙ iniicit in hoĩum corda. Ex dæmonibus & hominibus.

Tradidit iste veneficus & dæmoniacas quasdã institutiones, & magicas fraudes, & nefaria quedã arcana. Temere igitur gloriãtur eius discipuli, nec animaduertũt, se maledictorum omniũ & impietatis, ac præstigiarũ, & fraudis plenum magistrum habere.

Dicunt Ismaëlitæ Deũ ismaëli quoq; benedixisse. Quibus respondemus, eum benedictionẽ quidẽ accepisse, non tamẽ eiusmodi, qualẽ, habuit Isaac, cuius in semine gentes omnes benedictionẽ assecuturas promisit Deus, ipsumq; maximæ promisionis hæredẽ fore. Ismaël verò talẽ habuit bñdictionem, qualis est & animaliũ reliquorum. Nẽpe vt cresceret, & multiplicaret̃. Quid autẽ illius generi prodest propagatio, & multiplicatio, si diuina careat bñuolẽtia, & à Deo sit alien⁹.

Appendix.

Photii Patriarchæ Constantinopolitani ex Epistola ad Michaelem Bulgariæ principem de septem conciliis œcumenicis.

PRimũ, & œcumenicũ, sanctumq; concilium in Nicea Bithyniæ celebratũ est. In quo trecenti decẽ & octo diuini Episcopi veritatis iudiciũ susceperũt. Præerant, & Alexander, qui sedẽ Constantinopolitanã obtinebat, vir cũ

sene

senectute,tũ prudẽtia grauis,viteq; splẽdore,ac summo pietatis fideiq; studio & magna diuinis in rebus loquendi libertate insignis. Et Siluester & Iulius illustres ac celebres Ecclesiæ Romanę Põtifices. Quorũ tamen neuter interfuit. Sed Bitonem & Vincentiũ nomine suo, vterq; põtificatus sui tẽpore, cõmuni congressui ad esse voluerũt, homines virtute, & presbyterij dignitate præstantes. Cũ his cõiunctus erat codumbres Episcopus, qui in grecis persecutionib⁹ nomen suũ re ipsa verum esse demonstrauit. Cum.n. pius appellaretur, confessionẽ suã ab idolorũ cultu purã, integramq; seruauit. Præterea Alexãder Archiepiscopus Alexãdriæ sacris officiis exornatus, qui secum etiã comitẽ duxit Athanasium. Diaconorum tunc quidẽ Athanasius ordinẽ obtinebat, haud multo post autẽ illi successit etiã in Archiepiscopatu, Aderat & præclarũ Antiochenæ Ecclesiæ decus Eustathius, qui cũ fidei puritate fulgebat, tum verborũ ac sententiarũ modestia erat admirabilis. Macarius item Hierosolymorũ Episcopus multis virtutũ generibus approbatus, & cõplures alij gratiis apostolicis, & martyrij cruciatib⁹ illustres inter quos Paphnutius, & spiridarũ Iacob⁹ & Maximus boni, admirandiq; cœtus, boni, admirabilesq; socij, atque præfecti. In quibus omnibus Magnus & admiratione dignus Constantinus Romani imperij moderator excellebat, qui & cõcilium congregandũ curauerat, & illlud præsentia sua clarius efficiebat. Ex tot igitur, ac talibus viris sacer ille cœtus constabat. Coactus autẽ erat, vt Arium quendam rerũ nouarum studiosum impietatis cõdemnaret, & apostolicam, atq; diuinam prædicationem confirmaret. Erat infelix iste oriundus ex Alexandria, & in clerum electus illius Ecclesiæ ad presbyteri gradũ ascenderat. Primũ aduersus pastorem suum superbam mentem extulerat, deinde cõtra communẽ pastorem & Dominum furorem exercuit suum. Filium enim ac verbum Dei (ò temeraria lingua atq; mẽs) in rerũ quę createq factæq; sunt numerũ redigere conabatur. nec illud ꝙ omnibus commune est, & per se cognitũ, volebat considerare, nempe filios omnes eandem essentiam habere, atq; naturã, quam patres habent, ex eoq; fieri, vt si filium creatũ diceret, patrẽ quoq; creatum pronunciaret. Quemadmodum qui patrẽ essentiæ mũdi effectricis, atq; naturę cognoscit esse sempiternæ, eiusdem quoq; filiũ cõfitetur. Præterea vbi filij proprietas esset, si aliã pater, filius aliam haberet essentiã? Quid? nónne gentium error cõfirmaretur, si Diuinitas in maiorẽ, minoremq; naturã ita dissecta esset, vt illa primo Deo, mundiq; opifici & seniori, hæc autẽ secũdo, & ministro, atq; iuniori Deo tribueretur? Hæc ex improba Arij semente proficiscunt. Sed nefariam, atq; impiã istius, qui maledicã in procreatorem linguam armauerat, sacer ille Pontificũ cœtus hæresim patefecit, anathemateq; damnauit, declarans eiusdẽ essentiæ, eiusdemq; naturæ, & sempiternũ filium, ac verbũ Dei cum ipsius genitore, & eandẽ habere potestatẽ, atq; idem imperiũ, quemadmodũ diuina oracula, & pij, sacriq; scriptores tradiderunt. Neq;.n. ignorabant, vt trinã monarchiam & principatum in vna ꝑsona cõcludere iudaicũ est, & odio Christũ prosequentium, ita omni essentia, naturaq; præstantiorẽ & singularem Diuinitatẽ in naturas impares, & inæquales dissecare, aliarũ gentium esse, quæ Deorum multitudinem colunt. Atq; ita quidem se habet sanctum & œcumenicum primum concilium.

Sanctum & œcumenicum secundũ conciliũ centum & quinquaginta Episcoporum, sacrũ sibi locum ad disputãdũ & decernendũ in regia ciuitate delegit. Præsides habuit Timotheum, qui Alexandrię sedem, & admirabilẽ virum Meletium, qui sedẽ Antiochiæ, & Cyrillũ, qui Hierosolymorum sedẽ obtinebat. Nectariũ præterea, qui nuper ab initiatorũ grege separatus, & ablutis diuino lauacro vitę sordib⁹ purus, iam purissimã sacri principatus dignitatẽ ex cõmuni cõcilij cõsensu, & electorũ suffragiis simul, & regiæ ciuitatis Episcopus, & concilij præses declaratus est. Inter hos fuit & Gregorius ille Nyssæ, quę in cappadocia est, Episcopus, & q ex operibus Theologię cognomen adeptus est. Quib⁹ haud multo post & Damasus Episcopus Romæ eadẽ cõfirmans, atq; idẽ sentiens accessit. Sacrosanctus hic chorus Macedoniũ quendam, qui Cõstantinopolis sedẽ iã surripuerat, quoniã in sanctissimum, vitæq; principẽ spiritum maledicta coniecerat, condemnauit. Vt.n. Arius aduersus filiũ egerat, sic Macedonius aduersus Spirtum sanctũ, vt eius in omnes imperiũ, ac dominatũ in seruorum, ac ministrorũ ordine collocaret. Atqui facile poterat, si voluisset infelix, perspicere, quẽadmodum illi, qui filiũ inter res collocant procreatas, non minore patrem afficiunt contumelia, ita qui sanctissimum ipsius spiritum in earũ rerũ, quæ procreatæ sunt, numero, cõstituunt, par & simile ĩ ipsum maledictũ cõferre. Nã si spiritus creatus est, & ille cuius est spiritus, est procreat⁹. Quòd si summa ista impietas vel auditu est intolerabilis, cur non cauit ille miser, negare spiritũ esse Deũ, ne ad hæc impia argumẽta necessario deueniret? Qũo.n. scrutatur etiã profunda Dei, & ei nihil est absconditũ? Qũo alter est paracletus? Qũo cum patre & filio collocatur? Eũtes enim, inquit ipse filius, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Si vnus ex tribus his, in quibus illustramur, creatus est, nec reliqui ab hac ignominia sunt alieni. Quòd si creatus est, qũo creat? Qũo sanctificat? Qũo viuificat? Qũo gratias diuidit? Qũo est Deus? Nihil horũ stultus ille considerans, à principe & vnica atq; inseparabili diuinitate abstrahere, ac remouere conatus est. Quãobrem merita impietatis suæ præmia tulit. cùm & ipse sacerdotio fuerit spoliatus, & oẽs illi, q impium aduersus Deum obstinatè bellũ susceperant, Et quẽadmodum ille sanctissimum spũm ab vna Trinitatis Diuinitate secludere conabatur, sic eũ à sacerdotio, & fidelium cõmunione tanq̃ alterum Arium sanctum œcumenicũq; concilium exclusit. Sanctissimum verò, vitæq; auctorem spũm, vt eiusdem naturæ, atq; eiusdẽ essentiæ, & æqualis potestatis, atq; oĩpotentem simul cũ p̃re & filio adorandum collaudãdumq; ex patrum Theologorũq; doctrina declarauit. penitusq; euulsit, siqua ex Ariano semine zizania pullularãt. Tũc autẽ imperij habenas regebat Magnus, & verè magna laude dignus Theodosius, q ipse quoq; pietatis defensor extitit, & ꝓpugnator. Atq; his quidẽ & hoc sanctũ cõciliũ concludit.

Ephesi, quod oppidũ est in Asia, sanctum atq; œcumenicum conciliũ tertium celebratum est ducentorum Eporum. Ex quibus erãt pręsides Cyrillus ille celeberrimus inter p̃res, qui ꝑꝑ virtutem, sapientiæq; diuitias, magnæ ciuitatis Alexandri sedẽ obtinebat, & Cælestini Romani Pont. implebat sedem, atq; personã gerebat, & Memno, cui Ecclesiæ Ephesiorum cõmissa erant gubernacula, & Iuuenalis Eps Hierosolymorum, qui cũ vniuerso concilio, Nefarium Nestorium ob ea, q̃ impiè commiserat, pœnis meritis affecerunt, Hic ex Antiochia, q̃ apud Orontem est, profectus, Cõstantinopolis sedem haud sanctè tractauit, sed cùm turbida Diodori, & Theodori fluẽta exorbuisset, & in mẽtis ebrietatẽ incidisset, absurda, & inepta verba ad gregis perniciẽ in multorũ aures effudit. Christum.n. filium vnũ, verum Deum nostrum, qui propter nos, & ꝑꝑ nostram salutẽ carnis, & sanguinis, quẽadmodum nos, particeps esse voluit, & massam nostrã in se ipsum suscipiẽs, vnus ex duobus cõtrariis declaratus est Deus idem exñs, atq; homo, vnus Christus, vnus filius, idẽ sursum ex patre sine matre, idẽ deorsum ex matre sine p̃re, idẽ ipse, & non alius, vna persona, atq; vna hypostasis hũc, inquam, vnum Dñm nostrum Iesum Christum, in duas secare, atque diuidere personas miserrimus ille non veritus, alium quidem

nudum hoīem,& ſine verbo humanitatē ſuſcipiente,in propriam perſonā confinxit,alium Deū ſeparatim,& à ſuſcepta nudum humanitate. Metuebat.n.homo ſtult⁹, nequid Deus patereť, ſi incredibili adductus benignitate figmentū ſuum, vt illud curaret,atq; refingeret,induiſſet. Neq; illud animaduertebat, quòd ſi naturā humanā, à verbi perſona ſepararet, eam propriis morbis laborātem, ac minime curatā,& ſalutis expertē reliquiſſet. Quid? quod ab his penitus digrediens ne matrem quidem ipſius, quantum ad carnem pertinet, ſanctiſsimā virginem, quæ proprie & verè Deū verbum carnē indutum peperit, vocandā Dei genitricē cenſebat, ſed quemadmodum Diuinitate filiū, ſic matrē eius hac Dei genitricis appellatione ſpoliabat. Itaq; meritas tantæ dementiæ, & maledicæ linguæ pœnas luit. Nā ab illo beatorum Patrum cœtu ſacerdotij ſpoliatus dignitate, vna cum execranda ſententia ſua anathemati traditus eſt ſempiterno. Declaratum eſt autē Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum in vna eademq; perſona, vt verè, ac pie à patribus traditū eſt, adorandum, ac prædicandum. Et immaculatā eius, ſemperq; virginē, matrē proprie & verè appellandā ſummis cū laudibus Dei genitricem. Quę enim Deū verbū, cum in carne naſci vellet, genuit, iure Dei genitrix vocata, celebrataq; eſt. Atque hunc quidē finem & hoc tertium conciliū habuit, cùm Theodoſiū iuniorem Romana Reſp. tranquillis oculis cerneret paternum,& regium imperium à tertia vſq; progenie gubernantem.

Sāctum,& œcumenicum quartū concilium pręſentē atq; fauētem habuit Marcianū piiſsimum imperatorē, delegitq; ſibi chalcedonē inſignem Bythiniæ ciuitatem. Sexcēti & triginta Epiſcopi interfuerūt. Pręſides declarati ſunt Anatolius qui ſacras regiæ ciuitatis habenas moderabatur. Et Paſchaſinus, ac Lucentius Epiſcopali dignitate præſtātes cum Bonifacio Præsbytero, qui locū obtinebāt Leonis ſanctiſs. Papæ Romani, cuius gloria magna, magnuſq; pietatis, ac religionis zelus & ſtudiū. Et Maximus Antiochiæ Epiſcopus & Iuuenalis epiſcopus Hieroſolymorū. Qui Eutychē illum infelicem,& defenſorem ipſius, atq; arrogantē Dioſcorum vt impios ad cauſam dicendā in iudiciū vocarunt. Nam & iſti errorem ex diametro contrariū errori Neſtoriano defendētes in eandem miſeriam inciderūt. Vnū.n.Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum ex diuinitate atq; humanitate conſtantē,& in his duabus naturis adorandum ad vnā audacter ac ſtulte naturam redigebāt,& cōfundebant. Nec animaduertebant homines infelices, ſe illū & à diuina diuerſum eſſentia,& ab humana alienū natura cōſtituere. Nā ſi vna eſt Chriſti natura, aut diuina omnino eſt, aut humana. Si diuina ſola, vbi humanitas? Sin humana tantum, vbi Diuinitas? Sin tertiū aliquid præter hæc, (id.n.videtur reliquū, & huc magis vergit eorū ſententia,) nónne natura diuerſus Chriſtus & à patre,& à nobis conſtituetur? Quo quid magis impiū, aut ſtultū fingi poteſt? Dei verbum, ac Deū ita hominē factum eſſe dicere, vt & propriæ diuinitatis interitū paſſus, ſit,& humanitatis aſsūptę iacturā fecerit? Hoc.n.omnino ſequitur incommodum, ſi neutrā Chriſto, ſed diuerſam naturā tribuant. Quamobrē ſentētiæ iſtius auctores, Chriſtiq; oppugnatores meritas tātæ impietatis pœnas dederunt. Sacerdotio.n.ſpoliati vna cū hæreſi ſua Chriſti oppugnatrice ab Eccleſię totius cōmunione fuerūt excluſi anathemateq; damnati. Rectus autē,& inuictus Eccleſiæ ſenſus magis adhuc ſcripturarū, patrumq; teſtimoniis confirmatus, atq; illuſtratus eſt, Vnū eſſe Chriſtū, ſeu vnā Chriſti perſonā eſſe, duaſq; naturas, nempe diuinitatem,& humanitatē, ſine confuſione, diſtractioneq; conſideratas, ita beatiſsimis illis Epiſcopis aperte declarātibus, & decernētibus, vt ſine diſſenſione ab omnibus crederetur, & in omnes terrarū fines promulgaretur. Nónne perſpicue Chriſtus diuinæ naturæ ſuæ dignitatē oſtendit, dum claudis crura corrigeret,& confirmaret, cęcis videndi facultatē tribueret, mortuos ab inferorū portis in vitam reuocaret,& alia īnumerabilia diuina ſigna pficeret, ac demſraret? Hūanitatē verò, dū laſsitudinem, labores, famem, ſitim, & q̄ his ſimilia ſunt, ſubiret atq; pferret? Hęc.n.partim Deo, partim homini cōgruentia, idē Chriſtus verus Deus nr̄ efficiens, vnā in ſe atq; ſingularem perſonā,& duas ac differentes naturas ſine confuſione cōiunctas aperte ſine vlla cōtrouerſia demōſtrauit. Atque hæc quidem in quarto concilio confecta ſunt.

Sanctum, & œcumenicū quintū concilium centū ſexaginta quinq; Epiſcoporū præſentia,& concurſu. Conſtantinopoli celebratū eſt. Pręfuerunt Menas primū, deinde Eutychius ipſius regiæ ciuitatis Antiſtites. Et Vigilius Romæ Epiſcopus, qui in ciuitate quidē erat, ſed concilio non aderat,& quāuis ad ſacri cętus conuentum prōptus non eſſet, communem tamen Patrū fidē libello comprobauit. Et Apolinarius Alexandriæ, Domuſq; Antiochiæ Archiepiſcopi, & Dydimus,& Euagrius Euſtochij Hieroſolymorum Epi vicem gerentes. Tūc autē,& Iuſtinianus optimus Imperator romanū imperium obtinebat,& decretis fauebat Eccleſiaſticis. Hoc igitur ſanctū, œcumenicumq; conciliū nefaria Neſtorij dogmata iterū pullulantia penitus euulſit ſimul cum ipſo ſatore zizaniorum, Theodorumq;, ac Diodorū, quorū ille Tarſi erat Epiſcopus, hic aūt Mompſueſtię, qui cùm Neſtorij prius hæreſim parturirent, eā deniq; ſcriptis etiā ediderunt, mentiſq; ſuæ tanq̄ partus quoſdam adulterinos horrendoſq; reliquerunt. Præterea damnarunt & anathemate confoderunt, Origenem,& Dydimum,& Euagriū veteres fidelium morbos, qui ſane homines Gręcorū fabulas in Dei Eccleſiā inferre conati fuerant. Docuerūt.n.iſti animas ante corpora extitiſſe,& vnā animā in plura ingredi corpora. Quæ quidē opinio impia eſt, & execrāda, & verè ſolis ipſorū animis digna. Aeterni quoq; ſupplicij finem fore dixerunt. Hoc autē nihil aliud eſt, niſi homines ad omnia peccata, atq; ad interitū adhortari. Præterea dæmonibus priſtinam dignitatem reddiderunt. Reuerſuros.n.ad ſublimem illam gloriā fingunt, ex qua deciderunt. Ad hæc reſurrectura cum animis corpora negarunt. Nudas.n.animas, & corporis expertes reſurrecturas. Quam autē appellent reſurrectionem non video. Siquidē reſurrectio eſt illius, quod cecidit, aut caſurū eſt, nō autē illius, quod ſemper manet,& nō corrūpitur, qualis eſt anima. Nec animaduertunt homines miſeri, quantū nugis ſuis in iuſtū iudicem crimen conferant. Summam.n.illius iniuſtitiam eſſe teſtantur, qui corpora ſimul cum animis in virtutū ſtudiis laborantia præmiorū priuet ſocietate. Contraq; corporibus, quæ ſimul cum animis peccauerunt, impunitatē concedat. Atq; ita ſociis corporibus excluſis animas duplici vel ſupplicio, vel præmio afficiat. Non ſolum autē hæc maledicta, ſed etiā illa, quæ paulo ante extiterant. Anthimo Trapezuntio, qui Eutichis opinionē fouebat, & ſeuerò, Petroq; Apamēſe,& Zoagra, auctoribus, cū reliqua illa ſcelerata, atq; multiplici ipſorū manu ſacer hic patrū chorus ſuſtulit, anathemateq; damnauit, huius ſancti operis duce potiſsimū Agapeto Romæ pontifice, adiuuantibus, & collaborantibus illuſtrib⁹ Epiſcopis, inter quos fuit inclytus Antiochię antiſtes Ephræmius,& Petrus antiſtes Hieroſolymorū. Diuinus igiť ille cœtus Epiſcoporū his omnib⁹ damnatis atq; reiectis, vera diuinaq; catholicæ, atq; apoſtolicæ Eccleſię decreta ſanxit,& cōfirmauit. Ac quintum quidem concilium his continetur.

Sanctum, & œcumenicū ſextum concilium ſibi quoq; ſacrum in vrbium regina arcanorum Eccleſiæ ſpectaculorum theatrum elegit. Centū autē,& ſeptuaginta diuinis viris fultum in certamen ingrediens, pietatē, & religionē ſplendidè victricem demonſtrauit. In hoc qui præeſſent, iudicati ſunt digni Georgius regiæ ipſius ciuitatis antiſtes, & Theodor⁹,

& Georgi⁹ in presbyterij dignitate cōstituti, vna cū Ioāne Diacono, qui Agathonis sanctissimi Papæ Romani loco, in eorū, q̃ præerāt ordine numerati sunt Et magnę ciuitatis Alexādriæ sedis locū Petrus Monachus impleuit. Cū quibus, & Georgius Monachus, ac presbyter ī gradū pōtificię sedis Hierosolymorum ascēdit. Hi simul cū aliis sacris sanctisq; patribus sergium, Pyrrhū, Paulū Cōstantinopolitanos, Cyrumq; Alexandrinū, & Theodorum Pharensem, qui mutuā mēdacij Cathenā conficiebant, necnon & Macharium Antiochenū simul cum Stephano hęresis discipulo, & misero quodā sene, q̃ Polychronius vocabať, cum superioribus cōsentiente, & illorū impietatē defendente merito condemnarunt, quoniā in Christo vero Deo nostro, q̃ duas habet naturas, impie, absurdeq; vnā tantū esse volūtatē, & vnā actionem audebant affirmare. Nec illud, q̃ ad intelligendū facile, ac promptū est, animaduertebāt homines imperiti, non eiusdē actionis esse, claudum auctoritate ꝓpria curare, & itineris laborē sentire. Cæcos illuminare, & digitorū opera terrā sputo cōmiscere, lutumq; cōficere, atq; oculis imponere. Mortuū suscitāre, & sup mortuū lacrimare. Itemq; nō eiusdē esse volūtatis, deprecari, vt mortis calix trāseat, ipsumq; rursus gloriā appellare & q̃ noluerat, velle. Nec intelligebant, ex ipsorū opinione sequi, duas in Chr̄o naturas nō esse. Oīs.n. natura actionis est fons, & diuersis actionib⁹ diuersæ respōdēt volūtates Quare si, vt ipsi falso opināť, vna est, actio, atq; vna volūtas, & natura nimirū vna est, ex qua illę proficiscūť. Quòd si duæ naturę sunt, nondū.n. eò progressi sunt, vt hoc negēt, cū in oculis habeant dispersionē, & interitū eorū, qui illius erroris auctores fuerunt, q̃ fieri poterit vt vtraq; illarū propriam non effundat actionē ac voluntatē? Verùm & isti cū falsæ opinioni suæ nihil anteponerēt, æterno damnati sunt anathematę. Et ille sanctorū patrum cœtus, vt duas in vno Chr̄o naturas, ita duas in eodē naturales volūtates, & duas actiones omnib⁹ Ecclesiis recte cōfitendas, prædicandasq; censuit. Cōstantinus autē Heraclij nepos, tūc Auitā imperij sortē suscepisse se declarauit, cū & aliis in rebus faueret concilio, & rectā Ecclesiæ sententā cōprobaret. Ac sextum quidem concilium ita se habet.

Sanctū, & œcumenicū septimū conciliū Nicæam sibi quoq; Bythiniæ ciuitatē delegit, in qua & antea rectorū dogmatū iudicium fuerat. Trecenti & sexaginta septē interfuerunt Epi, q̃ sacræ magnæq; Phalangis suæ ordinū duces, ac p̄sides constituerūt, Tararium inter Ep̄os celeberrimū. Diuinus hic vir, atq; optimus erat, ac dignus, vt si q̃s alius, q̃ sacra regię ciuitatis gubernacula tractaret: Et Petrū religiosissimū protopresbyterū Ecclesiæ Rom. & alterū Petrū presbyterū ipsum quoq;, & illius mansionis p̄fectum sancti Sabæ. Hi sedis apostolicæ sortiti sunt locū, Adriano tunc pontificiā dignitatē obtinente: Et Ioānem ac Thomā singulari viuendi rōne celebres, & sacro honore insignes & totius oriētis diœceses Apostolicarū, magnarumq; sediū gubernantes, nēpe Apolinarij, & Theodoriti, & Eliæ, quorū primus Alexādriæ, alter Antiochiæ, tertius Hierosolymorū erat antistes. Tūc Cōstantinus & Irene rectè de religione sentiētes, & pietatis gloria coronati, Imperij Rom. purpurā induebāt. Hoc sacrū, magnūq; conciliū recens patefactā & barbarā hęresim, q̃ ab impiis, & execrādis hoībus parta erat, diuina cōmuniq; s̄nia, simul cum ipsius auctoribus cōdēnauit. Infelices.n. hoīes isti verbis nō cōfitētes se Chr̄o vero Deo n̄ro maledicere, factis oīa in eū maledicta & linguæ petulantiā con gesserūt. Cūq; illū sine medio, & sine aliquo velo cōtumelia afficere nō auderent, ꝑ venerādam imaginē oēm Chr̄o inimicæ mentis cupiditatē expleuerūt. Adorandā.n. Christi imaginē, ꝑ quā idolorū error excludiť (Proh nefariū sceleratæ, atq; impiæ linguæ, cogitationisq; sonū) Idolū appellauerūt, & oībus ipsam ignominiis afficientes, & ꝑ platæas, ac vias publicas trahentes, & pedibus cōculcantes in ignē cōiecerūt, spectaculū Chr̄anis hominibus miserandū, & sola Chr̄i hostium impietate dignū. Eadē & in reliquas sacras imagines cōtulerūt. cū celeribus pedibus sanguinē funderēt, dirisq; manib⁹, & impuris labris petulantiā exercerēt, nec vllā tanti furoris, atq; demētiæ satietatē caperent hoīes pessimi. sacras chr̄ianorum notas, & effigies, non minus, q̃ si gentiū essent abominationes, īmo verò magis, publicè detestabanť. Ex quo bellū grauissimū aduersus Chr̄m, & sanctos eius cōmouebať. Oībus.n. perspicuum est, honorē imaginibus habitū ad eos trāsire, quos illæ referunt. Verū isti noua Iudæorū Chr̄i hostiū ꝓgenies, dū Chr̄i, atq; sanctorū eius imagines afficiunt cōtumelia, ea ꝑficiunt, in q̃bus patres ipsorū defecerunt, Irruunt.n. in facinora Iudæorū, singulariq; alacritate p̄res suos superare conanť. Et dū non audent in medio chr̄ianorum labris etiam Chr̄m abnegare, in eundē ipsum iudaicū, paternūq; zelum deprehenduť incidere, & adulterinam hāc etiam oñdunt imitationē, nec vllo cōsistunt loco, sed tanq̃ veneno hæresis ebrij huc illuc iactanť, & ruunt. chr̄ianos.n. se esse profitenť, & aduersus Chr̄m debacchanť. Iudæos appellari se nolunt, & imagines oppugnantes zelum ipsorū Chr̄o inimicū imitātur, & superāt. Idololatriæ nomē vitāt, & se in ipsos chr̄ianos diuinaq; chr̄ianorum sanctaq; mysteria nihilo idololatris leniores p̄bent. Quāobrem sanctū & œcumenicū cōciliū eos, q̃ adulteræ istius, & multis seminib⁹ cōmixtæ opinionis ignobilitatē fugere noluerunt, tanq̃ nothos & à fideliū nobilitate alienos insolubilibus anathematis vinculis cōstringēdos iudicauit. Imaginem aūt Chr̄i veri Dei n̄ri ex Apostolorum & sanctorū patrum traditionib⁹, & sanctorū oraculorū testimoniis ad honorem, & venerationē illius, quē ipsa refert, adorandā atq; colendam suffragiis oībus censuit, & cōfirmauit. Cū adoratio nimirū atq; honor adhibeať eodem mō, quo in aliis sacris notis, & formis sanctissimæ latriæ vtimur. Neq;.n. in illis cōsistimus, honorēq;, & adorationē cōcludimus, neq; ad alios diuersos, ac varios fines distrahimur, sed ꝑ diuersum, & singularē ipsorū cultum & adorationē, q̃ cerniť, sacra, conueniētiq;, ac minimè diuisa rōne animos n̄ros ad indiuisibilē illā, singularēq;, atq; vnicam Diuinitatē dirigimus. Sic venerabilē crucē adoramus, in qua Dn̄i corpus extēsum est, & sanguis ille, quo mūdus vniuersus purgatus est, emanauit. Et ligni natura illius fluxibus irrigata ꝑ morte vitā perpetuā tulit. Sic crucis signū adoram⁹, quo dæmonū agmina fuganť, & varij curantur morbi. Cùm semel in ipso exēplari gratia, & virtus exhibita sit, &, vsque ad exempla similis vis sese diffundat. Hæc igitur singula, nempe Christi imaginem, & ipsam crucē, crucisq; notam culta, adorationeq; prosequētes honorem, & adorationē non in ipsis cōcludimus, sed ad eū dirigim⁹, q̃ ꝑ incredibiles diuitias amoris erga nos, factus est homo, & mortē ꝑ nobis ꝑtulit cōtumeliosam. Sic & sanctorū tēpla, & sepulchra, & reliquias, ex quib⁹ morborū curationes emanant, fideliter adoramus, Christū verum Deū nostrū, q̃ gloria ipsos effecit, collaudātes, & celebrātes. Et si quid his in mysticis & sanctis nostris sacrificiis simile est, ꝑ munus, & gratiam in illis exhibitā, præcipuū auctorē, & principē causam agnoscimus, & commēdamus. Quapropter & diuinus, ac sanctus ille beatorū atq; sacrorū virorū cœtus non solum imaginem Christi, quēadmodum diximus, verùm etiā immaculatissimę, semperq; virginis Marię, & Dn̄e nostrę Dei genitricis, & sacras sanctorū omniū imagines ꝓ ratione excellētiæ & sanctitatis exemplariū colēdas & adorandas communiū oraculorum decretis constituit, & confirmauit. Per ipsas.n. ad præsentiam quodammodo, atq; cōgressum, animi ducimus intentionem, & ꝑ hāc, diuina naturamq; superāte coniūctione copulamur cū illo, q̃ summus est rerū expetendarū. Hęc igiť sapiēter, diuinæq; septimū illud conciliū decreuit, atq; constituit. Quo quidē facto oēm hæreticā pestē, ac turpitudinē à grege rōne p̄dito depulit, ꝓpriūq; decus, ac pulchritudinē Ecclesiā recipere oñdit, & tanq̃ spōsam nō in fimbriis aureis, sed intelligibilib⁹ decoratā imaginibus, ad Chr̄i sponsi dexteram, constitutam, hilaribus, & lætis oculis toti fideliū multitudini conspiciēdam, honorandamq; demonstrauit. Finis.

Venetiis, Apud Hieronymum Scotum. 1555

EVTHi
mij Mo
nachi
Panoplia
Orthodo
xæ Fidei


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm